

CORPUS
REFORMATORUM

POST

CAROL. GOTTL. BRETSCHNEIDERUM,

PHILOS. ET THEOL. DOCTOREM ETC.

EDIDIT

HENRICUS ERNESTUS BINDSEIL,

PHILOS. DOCTOR,

BIBLIOTHECAE REGIAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS,

SOCIETATIS GERMANICAE ORIENTALIS ET INSTITUTI AFRICANI PARISIENSIS SODALIS.

VOLUMEN XIX.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1853.

HALIS
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

POST

CAROL. GOTTL. BRETSCHNEIDERUM

EDIDIT

HENRICUS ERNESTUS BINDSEIL.

VOLUMEN XIX.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1853.

VOLUMEN XIX.

LIBRI PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS AUCTORES CLASSICOS AUT ENARRAVIT AUT INTERPRETATUS EST.

(PARS EXTREMA.)

DD.

INTERPRETATIO LATINA LOCORUM EMPEDOCLIS, ARATI ET OPPIANI.

EE.

INTERPRETATIO LATINA EPIGRAMMATUM ALIORUMQUE CARMINUM VETERUM.

FF.

ENARRATIO OPERUM VIRGILII.

GG.

ENARRATIO DUORUM OPERUM OVIDII.

HH.

ENARRATIO COMOEDIARUM TERENTII.

II.

PROLOGI IN PLAUTI MILITEM ET IN SENECAE THYESTEM.

LIBRI
PHILIPPI MELANTHONIS
IN QUIBUS AUCTORES CLASSICOS AUT ENARRAVIT AUT INTERPRETATUS EST.

(PARS EXTREMA.)

LXXVI. PHIL. MEL. INTERPRETATIO DUARUM ELEGIARUM TYRTAEI ET SOLONIS, ATQUE LOCI PHOCYLIDIS.

A *dramaticis* poetis graecis nunc, ordine in Vol. XVIII. p. **119—120**. proposito, ad *elegicos* progredimur. Ex his l. l. quinque enumeravimus, quorum carmina aut integra aut singulos eorum locos Melanthon vel interpretatus est vel etiam enarravit, nempe: **1.** ***Tyrtaeum*, 2.** ***Solonem*, 3.** ***Phocylidem***, **4.** ***Theognidem***, **5.** ***Callimachum***.

Tyrtaei carmen, quod Melanthon interpretatus est, orditur a verbis: *Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα* etc.*) Haec interpretatio latina invenitur

a. in Grathusii collectione Epigrammatum Melanthonis fol. M 4.

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 7., ubi aeque ac apud Grathusium sic est inscripta: „Poëma veteris Poëtae Tyrtaei, latino carmine redditum."

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. **667**. nr. **381**. sic inscripta: „Poema Tyrtaei latino carmine redditum."

d. in Melanthonis interpretatione orationis Lycurgi contra Leocratem, in huius Corp. Reform. Vol. XVII. p. **965** sq.

Haec h. l. notare sufficiat; interpretationem ipsam vero hic omittimus, et lectores ad illum locum Vol. XVII. delegamus (conf. Vol. XVIII. p. **121** sq. nota**)), ubi etiam trium priorum editionum varietatem lectionis adscripsimus.

Solonis elegia a Melanthone conversa, incipiens a verbis: *Ἡμετέρη δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ' ὀλεῖται*, inter huius poetae carmina a Brunckio (Gnom. poet. p. **78—80**.) decimo quinto loco, a Bergkio (Poet. lyr. p. **321** sq.) tertio loco refertur. Libros, qui Melanthonis interpretationem huius elegiae continent, in huius Corp. Reform. Vol. XVII. p. **865—871**. iam commemoravi**), quibus addendi sunt Brunckii liber modo laudatus, in quo p. **88—90**. eadem interpretis Mel. nomine inscripta exhibetur, et Hertelii editio sententiarum Theognidis aliorumque poetarum, quae Francofurti **1563**. 8. prodiit (vide infra p. 7., ubi huius editionis indicem integrum afferęmus), in qua Melanthonis interpretatio huius elegiae Solonis p. **411—413**. invenitur. Interpretationem ipsam in eodem Vol. p. **873—876**. edidi, quam ob causam lectorem iterum ad illud Vol. delego.

Ex Phocylidis elegiarum reliquiis Melanthon unum versum in latinum sermonem transtulit, cuius interpretatio, addito versu graeco, invenitur

a. in Vincentii editione Epigrammatum Mel. fol. P 2[b],

b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. **669**. nr. **388**. 1.

---

*) Haec elegia, quam Lycurgus in oratione contra Leocratem c. 28. nobis conservavit, in editionibus Klotzii (*Τυρταίου τὰ σωζόμενα*, Tyrtaei quae restant omnia collegit commentario illustravit edidit Christ. Adolph. Klotzius. Bremae 1764. 8.) et Brunckii (in libro: *Ἠθικὴ ποίησις* sive Gnomici poetae graeci. Ad optim. exempl. fidem emendavit R. Fr. Ph. Brunck. Argentorati 1784. 8. p. 59 sq.) inter huius poetae carmina primo loco, a Bergkio autem (Poetae lyrici graeci. Edidit Theodorus Bergk. Lipsiae 1843. 8. p. 308 sq.) septimo loco refertur. — Duos extremos huius poematis versus: *Ἀλλά τις εὖ — ὀδοῦσι δακών*. Brunckius omisit.

**) Inter hosce libros illic p. 870. nr. 8. memoravi Tomum Scriptorum publicorum Witeb., qui Witebergae a. 1560 prodiit ab haeredibus Georgii Rhaw excusus. Alia huius Tomi editio sic est inscripta:

Scripta publice proposita a Professoribus in Academia Vuitebergensi ab anno 1540. *usque ad annum* 1553. *Witebergae excudebant haeredes Petri Seitzii*. 1553. 8.

in qua huius carminis interpretatio fol. Ii 7[a] — 8[b] invenitur.

Phocylidis fragmentum 17. Ed. Bergk.[1])

Philippo Melanthone interprete.

Nec nisi librato dirimas[2]) sententia litem,
Parte quid ex utraque queant, examine causae.

---

1) Poetae lyrici graeci. Ed. Th. Bergk p. 341. fr. 17. *Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Apud Vincent. et in Corp. Ref. l. l. sic legitur: *μήτε δίκην* (Corp. male: *δήκην*) *δικάσῃς* (Vinc. *δικάσης*) *πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσης.*

2) dirimas] sic scripsi (= Phocyl. *δικάσῃς*); Vincent. et Corp. Ref.: dirimat.

LXXVII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO SENTENTIARUM THEOGNIDIS.

Theognidis sententias Melanthon latine vertit et explicavit in schola Vitebergensi a. 1551. exorsus 2. Maii *). Hanc interpretationem atque explicationem Iohannes Maior, discipulus eius, primum a. 1560. edidit sic inscriptam:

Theognidis Sententiae cum versione latina, ita ut verbum verbo conferri possit, addita earundem explicatione a Philip. Melan. in Schola Vuitenbergensi. Witebergae excudebat Laurentius Schuenck. 1560. 8. **). Haec Ed. contextum graecum cum versione latina Melanthonis e regione apposita continet. Sequitur eius explicatio, quae etiam separatim prodiit, cum hoc proprio indice:

Explicatio sententiarum Theognidis, in scola (sic) *Witebergensi auctore reverendo et clarissimo uiro, Philippo Melanthone, Anno* 1551. *die* 27. *Maij: Collecta à Iohanne Maiore Doctore, et in publicum commodum aedita. Witebergae excudebat Laurentius Schuenck.* 1560. — (In fine:) *Witebergae excudebat Laurentius Schuenck.* 8. 19 plagg. litt. A — T sign., 7 foll. non num., 1 fol. album, 137 foll. num., ult. fol. album. (fol. A 2^a — 5^a Ioh. Maioris epistola nuncupatoria ad Ulricum Mordisium, Witeb. 15. Nov. 1560. scripta; fol. 5^b — 7^b Epitaphium Phil. Melanthonis, auctore Ioh. Mathesio; In tumulum Ph. Melanthonis Ioh. Stigelius; Veritas plorans ad tumulum Ph. Melanthonis, graece, auctore Casp. Peucero; Ioh. Maioris carmen in mortem Ph. Mel. (cum eius effigie); fol. A 8. album; fol. 1 [fol. B 1] — 137^a Explicatio sententiarum Theognidis: per Philippum Melanthonem, in schola Vuitebergensi; fol. 137^b Clausula typogr.; ult. fol. album. ***).

Illa editio contextum graecum et Melanthonis versionem latinam e regione appositam continens saepe recusa est eodem titulo; sed in omnibus repetitis editionibus *Explicatio Melanthonis* desideratur, quamquam in titulis commemoratur. Has editiones repetitas nunc deinceps describam:

Theognidis Megarensis sententiae cum versione latina, ita ut uerbum uerbo conferri possit, addita earundem explicatione, à Philippo Melanthone, in schola Vuitebergensi. (Haec sequitur Insigne typogr.: Femina nuda, sinistro cubito in cranio humano innitens, dextra manu taeniam tenens, cui inscripta sunt verba: Respice finem.) *Witebergae excudebat Laurentius Schuenck.* 1561. 8. 6 plagg. litt. A — F sign., 1 fol. non num., 47 foll. num. (fol. A 1^b et fol. 1 [fol. A 2] — 47. Theognidis sententiae graece et lat. Contextus graec. inscriptus est: Θεογνιδος του Μεγαρεως γνωμαι ἐλεγιακαὶ, Versio a sinistra contextui apposita: Theognidis Megarensis Sententiae Elegiacae.; ult pag. vacat.) ****).

— — (Index ut in Ed. 1560.) *Lipsiae, Ioh. Rhamba.* 1562. 8. 48 foll. non num. †).

Theognidis Megarensis sententiae cum versione latina, ita ut verbum verbo conferri possit, addita earundem explicatione, A Philip. Melanth. in Schola Vuitebergensi. (Haec sequitur Melanthonis effigies ligno incisa.) *Lipsiae Iohannes Rhamba excudebat Anno M. D. LXIIII.* 8. 6 plagg. litt. A — F sign., 48 foll. non num. (fol. A 1^b — F 8^a Theognidis sententiae graece cum Mel. versione lat. e regione apposita, fol. F 8^b vacat.) ††).

---

*) Conf. Mylii Chronologia Scriptorum Phil. Melanchthonis fol. F 6^b ad a. 1551.

**) Haec Ed., quae in Biblioth. acad. Erlangensi asservatur, a Fabricio l. l. Vol. I. p. 712. et Hoffmanno l. l. Vol. III. p. 703. memoratur.

***) Haec Ed. explicationis Theognidis in Biblioth. Orphanotrophei Halensis et Acad. Gottingensis invenitur. Praeter Fabricium et Hoffmannum l. l. etiam a Schweigero, Handb. d. class. Bibliogr. P. I. p. 316 sq. affertur.

****) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Gotting. in manibus habeo. In hoc exemplari interpretationi praecedenti explicatio illa Melanthonis a. 1560. eodem volumine adiuncta est. — Memoratur haec Ed. ab Hoffmanno l. l. p. 703.

†) Hanc Ed., quam ipse nondum vidi, afferunt Schweigerus l. l. p. 316. et Hoffmannus l. l. p. 703.

††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi et Lipsiensi, atque in meis libris est.

Theognidis Megarensis sententiae, cum versione latina, ita, ut verbum verbo conferri possit, addita earundem explicatione a Philippo Melanchthone. Lipsiae **1566.** 8. *).

— — (Index ut in Ed. Lips. **1564.** cum Melanthonis effigie) *Mulhusii Duringorum, Excudebat Georgius Hantzsch, Anno M. D. LXX.* 8. **6** plagg. litt. A—F sign., **48** foll. non num. (fol. A 1ᵇ—F 8ᵃ Theognidis sententiae graece cum Mel. versione lat. e regione apposita, fol. F 8ᵇ vacat) **).

— — (Idem Index cum Mel. effigie) *Lipsiae Iohannes Rhamba excudebat M. D. LXXVI.* 8 min. **6** plagg. litt. A—F sign., **48** foll. non num. (fol. A 1ᵇ—F 8ᵃ Theognidis sententiae graece cum Mel. versione lat. e regione apposita, fol. F 8ᵇ vacat) ***).

— — (Idem Index cum Mel. effigie) *Lipsiae, Imprimebat Georgius Defnerus. M. D. LXXXI.* 8. **6** plagg. litt. A—F sign. **48** foll. non num. (fol. A 1ᵇ—F 8ᵃ Theognidis sententiae graece cum Mel. versione lat. e regione apposita; fol. F 8ᵇ vacat) ****).

— — (Idem Index.) *Witebergae* **1583.** 8. †).

— — (Idem Index.) *Lipsiae, Lamberg* **1591.** 8. ††).

— — (Idem Index.) *Lipsiae, Lamberg* **1594.** 8. †††).

— — (Idem Index.) *Lipsiae* **1606.** 8. ††††).

Theognidis sententiae cum versione latina Philippi Melanchthonis. Lipsiae apud Voigt; Vuitebergae apud Sam. Seelfisch. MDCIX. 8. *†).

— — (Idem Index.) *Wittebergae* **1631.** 8. **†).

Theognidis Sententiae, cum versione latina, ita ut verbum verbo conferri possit, addita earundem explicatione a Philippo Melanchthone. Londini MDCXXXIX. 8. ***†).

Praeter has Editt. repetitas, quae solas Theognidis sententias graece et latine continent, prodiit haec Melanthonis interpretatio etiam cum aliorum poematis coniuncta, in hisce Editionibus:

Theognidis Megarensis Sententiae Elegiacae, Graece et Latine, una cum eiusdem argumenti reliquijs, Phocylidis, Pythagorae, Solonis, Tyrtaei, Naumachij, Callimachi, Mimnermi, Eueni, Rhiani, Eratosthenis, Panyasidis, Lini, Menecratis, Posidippi, Metrodori, Simonidis: Senariorum libello. Omnia in usum Scholarum collecta, et ad uerbum conuersa per Eliam Vinetum, et Iacobum Hertelium Curien. Variscum: Carmine uero Latino partim a Hieronymo Osio Turingo, partim ab alijs expressa. Accessit in studiosorum gratiam, Homeri Batrachomyomachia, item Latino carmine a Hier. Osio reddita. Basileae. — (In fine:) *Francofurti, ex officina Ludouici Lucij, Anno Salutis humanae M. D. LXIII. Mense Septembri.* 8. **27½** plagg. litt. a—z, A—E (½ pl.) sign., **439** pagg. num., ult. pag. vacat. Hic liber pag. **24—127.** Theognidis sententias graece cum latina Melanthonis interpretatione e regione apposita continet ****†).

Poemata Pythagorae, Phocylidis et Theognidis: cum versione latina, huius quidem D. Phil. Melanchthonis: illorum vero noua, vbi verbum verbo respondet. Accessit et breuis quarundam vocum difficiliorum analysis. In vsum acad. Gustauianae, cura et sumpt. M. Io. Gezelii. Dorpati Liuoni, apud Io. Vogel. **1646.** 8. *††).

---

*) Sic haec Ed. a solo Fabricio l. l. p. 714. memoratur; equidem eam non vidi.

**) Hanc Ed. quam ex Biblioth. magniducali Wimar. in manibus teneo, Fabricius l. l. p. 714. et Hoffmannus l. l. p. 703. memorant.

***) Haec Ed., quae Fabricio, Schweigero et Hoffmanno latuit, in meis libris est.

****) Haec Ed., quam ex Biblioth. regia Dresdensi in manibus habeo, a solo Fabricio l. l. p. 714. affertur.

†) Haec Ed., quae Fabricio, Schweigero et Hoffmanno latuit, in Biblioth. regia Dresdensi est.

††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Erlangensi est. Hoffmannus, qui eam l. l. p. 703. memorat, *Lipsiae* loco, *Witebergam* scripsit; at Lamberg typographus Lipsiensis illius temporis est, non Witebergensis, conf. Gust. Schwetschkii Codex nundinarius Germaniae literatae bisecularis (Halle 1850. Fol.) pag. 28 sqq. sub a. 1591. et seqq.

†††) Hanc Ed. solus Hoffmannus l. l. p. 703. affert, ubi iterum *Witebergam* loco *Lipsiae* scripsit.

††††) Haec Ed. a solo Fabricio l. l. p. 714. memoratur.

*†) Sic haec Ed. ab Hoffmanno l. l. p. 704. affertur; brevius a Fabricio l. l. p. 704. sic: Wittebergae 1609. 8.

**†) Haec Ed. a solo Fabricio l. l. p. 704. memoratur sic: Wittebergae 1631. 8.

***†) Sic hanc Ed. Hoffmannus l. l. p. 704. affert, Fabricius autem l. l. p. 704. brevius sic: Londini 1639. 8.

****†) Haec Ed., quae in meis libris est, praeter alia etiam p. 411—413. Melanthonis interpretationem elegiae Solonis continet.

*††) Sic haec Ed. affertur a Fabricio l. l. p. 717. et Hoffmanno l. l. p. 513.

Ex his 17 Editionibus interpretationis Melanthonis hasce sex in manibus teneo: 1) *Ed. Witeberg.* 1561., 2) *Ed. Francof.* 1563., 3) *Ed. Lips.* 1564., 4) *Ed. Mulhus.* 1570., 5) *Ed. Lips.* 1576., 6) *Ed. Lips.* 1581., quas solis annorum, quibus prodierunt, numeris significabo. — Praefatio huic interpretationi in his Editt. non est praemissa.

THEOGNIDIS MEGARENSIS SENTENTIAE ELEGIACAE
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

O Rex, Latonae fili, Iovis proles, nunquam tui
Obliviscar exordiens, neque finiens;
Sed semper primumque, et ultimum, inque mediis
Canam; tu autem me audi, et bona da.
[1] Phoebe rex, quando equidem te Dea peperit veneranda Latona,
Palmam teneram manibus amplexata,
Immortalium pulcherrimum, in rotunda palude:
Tota quidem impleta est Delus ingens
Odore divino; risit vero terra prodigiosa[2],
Gavisusque est profundus pontus maris albicantis.
O[3] Diana fericida, filia Iovis, quam Agamemnon
Placavit, quando in Troiam navigabat navibus velocibus,
Precantem me audi; mala autem fata expelle:
Tibi quidem hoc, Dea, parvum, mihi vero magnum *est*.
Musae et Gratiae, filiae Iovis, quae[4]) quondam Cadmi
Ad nuptias profectae, pulchrum cecinistis carmen;
Nam quod est pulchrum, est amicum[5]); quod non est pulchrum, non amicum est.
Hoc carmen immortalia venit per ora.
Cyrne, docenti quidem mihi signum imponatur
His carminibus; latebit enim nunquam, si surripiatur;
Neque quisquam mutabit peius, bonum quod adsit,
Sic vero quisque dicet: Theognidis sunt carmina
Megarensis, omnes quidem inter homines celebris;
Civibus vero nondum omnibus placere possum.
Nil mirum, *o* Polypaeda; neque enim Iupiter
Neque pluens omnibus placet, neque abstinens.
Tibi vero ego benevolus praecepta dabo, qualia ipse,
Cyrne, a bonis *viris*, puer adhuc existens, didici.
Sapito neque turpibus ex factis, neque iniustis
Honores, neque potentiam trahe, neque divitias.
Haec quidem sic scito; *cum* malis vero ne versare
Viris, sed semper *cum* bonis conversare;
Et cum eis bibe et comede, et cum eis
Sede; et place illis, quorum magna potestas *est*.
A bonis enim *viris* bona disces; si vero malis
Commiscearis, perdes et quam habebas[6]) mentem.

---

1) Versuum numeros, quibus illae 6 Editt. omnes, quas in manibus habeo, carent, ex Ed. Bekkeri (Theognidis elegi ex fide librorum manuscriptorum recensiti et aucti cum notis Frid. Sylburgii et Rich. Franc. Phil. Brunckii edidit Immanuel Bekkerus. Lipsiae 1815. 8.) adscripsi. Cum hac Ed. versuum numeris congruit Ed. Bergk. (Poetae lyrici graeci. Edidit Theodorus Bergk. Lipsiae 1843. 8. pagg. 360—424., ubi Theognidis elegiarum reliquias exhibet.); magnopere vero ab utraque differt Ed. Brunck. (*Ηθικη ποιησις* sive Gnomici poetae graeci. Ad optimorum exemplarium fidem emendavit Rich. Franc. Phil. Brunck. Argentorati 1784. 8. pagg. 1—49., ubi Theognidis sententiae graece leguntur).

2) prodigiosa] Ed. 1561. mendo typogr.: prodiosa.

3) *O*] omnes eiusmodi voces, quas interpres in hac versione ipse addidit, ut clarior fiat, in illis Editt. intra uncinas inclusae sunt; equidem has, uncinis omissis, typis cursivis, quae dicuntur, exscribendas curavi, auctoritatem sequens recentiorum interpretum ut Barnesii, Musgravii et Fixii, qui in versione lat. tragoediarum Euripidis omnes voces, quas interpretationi ad fidem verborum graecorum factae ipsi adiecerunt, ut dilucidior reddatur, typis cursivis exscripserunt.

4) quae] sic (= Theogn. *αἵ*) Editt. 1561., 1570.; in Editt. 1561., 1563., 1576., 1581. deest.

5) quod est pulchrum, est amicum;] sic Editt. 1561., 1564., 1570.; Editt. 1563., 1576., 1581. quod pulchrum est, amicum;

6) habebas] sic Editt. 1561—1570.; Editt. 1576., 1581. habeas.

Haec cum didiceris, cum bonis conversare, et aliquando dices,
Bene consulere amicis me.
Cyrne, uterum fert civitas haec; timeo autem, ne pariat virum
Correctorem malae insolentiae vestrae.
Cives enim, adhuc illi *sunt* modesti; praefecti vero
Versi sunt multam in nequitiam cadere.
Nullam unquam, Cyrne, boni civitatem perdiderunt viri;
Sed quando contumeliosis esse malis placuerit,
Populumque corruperint, iudiciaque iniustis dederint,
Propriorum lucrorum causa, et potentiae:
Spera[7]) non diu illam civitatem quietam fore,
Etsi nunc manet multa in quiete:
Cum malis amica viris haec fuerint,
Lucra publico cum malo venientia.
Ex his enim seditio est, et intestinae caedes virorum;
Rex vero civitati nunquam illi placeat.
Cyrne, civitas quidem adhuc haec civitas *est*, populi autem alii,
Qui prius neque iura noverant[8]), neque leges;
Sed circum latera pellem caprarum atterebant;
Foris autem, tanquam cervi, hanc depascebantur civitatem;
Et nunc sunt boni, *o* Polypaeda; at *qui* prius boni *erant*,
Nunc mali *sunt*; quisnam haec ferret respiciens?
Se invicem autem decipiunt, alii alios ridentes,
Neque malorum rationes cognoscentes, neque bonorum.
Neminem horum amicum fac, *o* Polypaeda, civium
Ex animo, utilitatis causa alicuius.
Sed videaris quidem omnibus lingua amicus esse;
Rem vero communices nemini ullam
Seriam. Cognosces enim improborum mentes virorum,
Quod ipsis in factis fides est nulla;
Sed dolos, deceptionesque, versutiasque dilexerunt
Sic, ut viri non amplius incolumes.
Nunquam, Cyrne, improbo fidens consulta cum viro,
Quando seriam rem volueris facere;
Sed ad probum profectus, consulta multum laborans,
Et longum pedibus, Cyrne, iter peragens.
Rem vero ne amicis omnino communica cum omnibus:
Pauci sane e multis fidelem habent mentem.
Paucis fidens magnas viris res aggredere,
Ne forte insanabilem, Cyrne, accipias dolorem.
Fidelis vir auroque et argento rependi
Dignus *est* in molesta, Cyrne, seditione.
Paucos invenies, *o* Polypaeda, viros amicos,
Fideles, in difficilibus rebus persistentes:
Qui ausint, concordem animum habentes,
Aeque bonorum malorumque participes esse.
Hos vero non invenies[9]) quaerens, neque inter omnes
Homines, quos navis non una omnes agit,
Quibus in lingua et oculis inest
Pudor; neque ad turpem rem quaestus agit.
Ne me verbis quidem cole; mentem autem habe et praecordia alibi,
Si me amas, et tibi fidelis inest mens.
Aut me ama, puram afferens mentem; aut me refugiens,
Odio prosequere, manifeste contentionem suscipiens.
Qui vero unica lingua dupliciter habet mentem, hic amicus
Gravis, Cyrne, inimicus melior, quam amicus existens.
Si quis laudabit te tanto tempore, quanto[10]) viderit *te*,
Separatus vero *a te* alio linguam mittit malam:
Talis profecto sodalis vir, amicus *est* non valde bonus,

---

7) Spera] sic (= Theogn. Ἔλπεο) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. Spero.

8) noverant] sic (= Theogn. ᾔδεσαν) Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581. mendo typogr.: moverant.

9) invenies] sic (= Theogn. εὑρήσῃς) Editt. 1561 — 1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. invenis.

10) quanto] sic (= Theogn. ὅσσον) Editt. 1561., 1563., 1570 — 1581.; Ed. 1564. quando.

Qui dixerit lingua optima, cogitat autem alia.
Sed sit talis mihi amicus, qui amicum me
Cognoscens, iracundiam, et[11]) gravem *me* existentem, ferat
Pro fratre. Tu autem mihi haec in animo
Considera, et aliquando mei memineris in posterum.
Nullus hominum persuadeat improbum virum amare,
Cyrne; quae enim est utilitas, ille vir amicus si sit?
Neque te ex gravi labore liberaverit et detrimento,
Neque bonum habens, illius *te* participem facere voluerit.
Improbis vero benefacienti vanissima gratia est:
Perinde *est* ac seminare pontum maris albi.
Neque enim pontum seminans[12]), profundam segetem metas:
Neque malis benefaciens, beneficium vicissim accipias ab eis;
Inexplebilem enim habent improbi mentem; si vero *in* uno aberraris,
Superiorum omnium effusa periit amicitia.
At probi plurimum fruuntur beneficio accepto;
Memoriam autem habent beneficiorum, et gratiam postea.
Nunquam malum virum, amicum fac sodalem;
Sed semper fuge, tanquam malum portum.
Multi sane potus et cibi sunt amici;
In seria autem re pauciores *sunt amici*.
Fucato vero viro cognitu difficilius nihil *est*,
Cyrne, neque cautionis est maioris.
Auri adulterini et argenti intolerabile detrimentum,
Cyrne, et invenire facile *est* viro sapienti.
Si autem amici mens viri in pectoribus latuerit,
Tenuis existens, dolosum vero in praecordiis cor habeat:
Hoc Deus fucatissimum fecit hominibus,
Et cognitu omnium hoc difficillimum;
Non enim poteris cognoscere viri mentem, neque feminae,
Priusquam tentaveris ceu iumentum,
Neque poteris coniectare, tanquam aliquando tempestive profectus;
Saepe enim animum fallunt species.
Neque potentia opta, *o* Polypaeda, *te* eximium esse,
Neque facultatibus; duntaxat autem viro adsit fortuna.
Nihil in humanis patre et matre melius
Est, quibus sanctum, Cyrne, curae est ius.
Nemo, Cyrne, damni et lucri causa ipse *est*;
Sed Dii horum datores amborum.
Neque quispiam hominum facit, in praecordiis intuitus,
In finem an bonum fiat, an malum.
Saepe enim putans *se* facturum malum, bonum fecit;
Et putans *se* facturum bonum, fecit malum.
Neque cuiquam hominum adveniunt, quaecunque voluerit;
Impediunt enim gravis fines impossibilitatis.
Nos homines autem vana existimamus, scientes nihil;
Dii vero secundum suam omnia perficiunt mentem.
Nemo unquam, hospitem, *o* Polypaeda, qui fefellerit,
Atque supplicem, mortalium, immortales latuit.
Fac malis autem iuste paucis cum facultatibus vivere,
Quam dives esse, iniuste opes adeptus;
In iustitia[13]) autem comprehensim omnis virtus inest,
Omnisque vir bonus *est*, Cyrne, iustus qui est.
Divitias quidem daemon etiam improbissimo viro dat;
Sed virtus paucos viros, Cyrne, comitatur.
Iniuriam, Cyrne, Deus primum malum dedit viro,
Cuius futurus est locum nullum ponere:
Parit profecto satietas iniuriam, quando improbum opes secutae sint
Hominem, et cui non mens sana sit.
Nunquam mihi paupertatem perniciosam, viro iratus,

11) et] sic (= Theogn. καὶ) Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581. mendo typogr.: ei.

12) seminans] sic (= Theogn. σπείρων) Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581. seminas.

13) In iustitia] sic (= Theogn. ἐν δὲ δικαιοσύνῃ) Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581. male coniunctim: Iniustitia.

Neque egestatem, Cyrne, malam obiice.
Iuppiter enim sane libram inclinat alias alii,
Interdum quidem ditescere, interdum vero nihil habere.
Nunquam, Cyrne, vendita verbum magnum; novit enim nemo
Hominum, quid nox et dies viro perficiat.
Multi quidem utuntur malis consiliis, numine autem dextro,
Quibus, quod malum videbatur, cedit in bonum,
Sunt vero *alii*, qui et consilio bono, et numine sinistro
Res gerunt, finis autem rebus non succedit.
Nemo hominum, neque dives, neque pauper,
Neque malus sine numine, neque bonus *est*;
Aliud alii malum est, re vera autem beatus nemo *est*
Hominum, quotquot sol intuetur.
Quem autem Dii amant, et invidus laudat,
Viri vero studium est nullum.
Deos ora, quibus est magna potestas; nihil sine Diis
Est hominibus, neque bona, neque mala.
Virum bonum paupertas, quam aliae res omnes, domat magis,
Et *quam* senectus cana, Cyrne, et *quam* febris:
Quam quidem *paupertatem* oportet fugere, et in immensum mare
Proiicere, et petras, Cyrne, contra altas.
Omnis enim vir paupertate domitus, neque quicquam dicere,
Neque facere potest; lingua vero illi ligata est.
Oportet igitur simul super terram et lata dorsa maris
Quaerere gravis, Cyrne, liberationem paupertatis.
Mori, *o* amice Cyrne, pauperi melius est viro,
Quam vivere dura afflictum paupertate.
Arietes quidem et asinos quaerimus, Cyrne, et equos
Generosos, et quisque vult ex bonis
Admittere; ducere autem malam *uxorem*, mali viri filiam, non renuit
Generosus vir, si ei pecunias multas dederit:
Nulla *femina* mali viri recusat esse uxor
Divitis, quin divitem vult *maritum* loco boni.
Opes quidem aestimant; et ex malo *viro ortam* bonus duxit uxorem,
Et malus ex bono *ortam cum* divitiis miscuit genus.
Itaque ne mirare genus, *o* Polypaeda, civium
Labefactari; cum enim miscentur bona malis.
Ipse quidem hanc, cognoscens malo patre ortam esse,
In aedes *suas* ducit, opibus *illius* inductus,
Nobilis ignobilem, quandoquidem fortis ipsum necessitas
Cogit, quae viri fecit miseram mentem.
Opes vero cui a Iove, et cum iustitia viro fuerint,
Et integre, semper quidem stabile est;
Si vero iniuste praeter tempus vir lucri cupido animo
Acquiret, sive iureiurando praeter iustum capiens,
Statim quidem ferre lucrum videtur, in finem vero
Rursum est damnum; Deorum enim superior est mens.
Sed haec hominum fallunt mentem; non enim super ipsos
Fiunt beati rei erroris.
Sed hic quidem ipse solvit malum debitum; ille vero charis
Noxam postea liberis appendit.
Alium vero non apprehendit vindicta; mors enim impudens
Prius super [14]) palpebras sedebat, fatum afferens.
Nemo profecto exuli amicus et fidelis sodalis *est*,
Exilio autem est hoc acerbius.
Vinum sane potare multum, malum *est*; si vero quis ipsum
Potarit prudenter, non malum, sed bonum *est*.
Cyrne, amicos secundum omnes commuta varios mores,
Ingenium temperans, quod quisque habet.
Polypi mentem obtine versipellis, qui ad petram,
Cui adhaeserit, talis visu apparet.

---

14) super] sic (= Theogn. ἐπί) Editt. 1561., 1563., 1570 — 1581.; Ed. 1564. male: semper.

Nunc quidem hac sequere, aliquando alius colore fias,
Celeris mutatio quidem sapientia est morum.
Neque nimis indignare, cum perturbantur cives,
Cyrne; media autem perge via, quomodo ego.
Quisquis quidem putat proximum suum scire nihil,
Sed se[15]) ipse solum varia consilia habere:
Ille sane amens est, mente privatus bona;
Aeque enim omnes varia scimus.
Sed hic quidem non vult turpes quaestus sequi;
Alteri vero, doli magis infideles placent.
Divitiarum autem nullus *est* finis certus hominibus;
Qui enim nunc ex nobis plurimas habent facultates,
Duplo augere *eas* properant; quisnam saturaverit omnes?
Opes[16]) quidem mortalibus sunt amentia.
Ate[17]) autem statim emergit, quam cum Iupiter
Mittet laborantibus, aliàs alius habet.
Arx et turris qui erat stulto populo,
Cyrne, modicum honorem consequitur bonus vir.
Neque amplius decet nos, nimirum viros salvos,
Diruere tanquam civitatis moenia expugnandae.
Tibi quidem ego alas dedi, cum quibus super immensum mare
Volabis, per terram omnem sublatus
Facile; epulis vero et conviviis aderis
In omnibus, multorum versans in oribus.
Et te cum tibiis canoris iuvenes viri
In mundo amabiles honesta et suavia
Canent; et postquam tenebrosas sub latebras terrae
Iveris, luctuosas in Ditis domos:
Nunquam, ne mortuus *quidem* amittes gloriam, neque latebis,
Immortale hominibus semper habens nomen,
Cyrne, per Graeciam terram versans, et per insulas,
Piscoso transiens mari in sterili,
Non equorum tergis insidens, sed te mittent
Splendida[18]) Musarum dona violis coronatarum[19]).
Omnibus enim, quibus curae est, et posteris carmen,
Eris cum, donec terra et sol *erunt*.
Caeterum ego modicam a te consequor reverentiam:
Quin tanquam pusillum puerum verbis me decipis.
Pulcherrimum *est id*, *quod est* iustissimum; optimum vero est valere.
Res vero iucundissima est id, quod quis amat, assequi.
Equa ego *sum* pulchra, et certatrix, sed pessimum
Virum fero, et mihi hoc molestissimum.
Saepe profecto cogitavi effringens frenum
Fugere, excutiens malum aurigam.
Non mihi bibitur vinum, postquam ad puellam teneram
Alius vir habitat, multo me peior,
Frigidam mihi apud eam chari bibunt parentes,
Quare simul aquatur, et me lamentans fert.
Illic mediam *ipsam* puellam amplexus brachio, osculatus sum
Collum; illa vero tenerum loquebatur ex ore.
Cognoscibilis *est* sane paupertas, et aliena existens;
Neque enim in forum venit, neque iudicia.
Ubique enim deterius habet, ubique et permista;
Ubique vero inimica simul est, ubicunque fuerit.
Aequaliter sane alia quidem Dii mortalibus hominibus,
Senectutemque gravem, et iuventutem dederunt;
Omnium vero pessimum inter homines, morteque
Et omnibus morbis est nequius,
Liberos postquam educaveris, et necessaria omnia praebueris,

15) se] in Ed. 1570. deest.

16) Opes] sic (= Theogn. χρήματα) Editt. 1561., 1563., 1570—1581.; Ed. 1564. Omnes.

17) Ate] sic (= Theogn. Ἄτη) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. male disiunctim: A te.

18) Splendida] sic (= Theogn. ἀγλαά) Editt. 1563—1581. Ed. 1561. Splendido.

19) coronatarum] Ed. 1561. mendo typogr.: coronatorum.

Pecuniamque reposueris, multa molesta perpessus,
Patrem odio prosequuntur, imprecanturque *illi* interire,
Et execrantur, veluti mendicum supervenientem.
Verisimile est malum virum male iura administrare,
Nullam in posterum reverentem Deorum iram.
Improbo enim difficilia homini licet multa suscipere
E vestigio, cogitareque, quomodo recta omnia faciat [20]).
Civium nulli fidelis existens pedem hunc progredere,
Neque iureiurando credulus, neque pacto,
Neque, si Iovem vult praebere regem maximum
Sponsorem immortalium, pignora ponere volens.
Nam in civitate ita maledica placet nihil,
Quam *se* servare, vulgus infelicius.
Nunc vero proborum mala sunt bona improbis
Virorum, suntque perversis lex.
Pudor quidem enim periit; impudentia autem, et iniuria
Superans iustitiam, terram totam occupat.
Neque leo semper carnes comedit, quin imo ipsum
Et fortem etiam existentem capit perplexitas.
Garrulo homini tacere gravissimum onus *est*;
Loquens autem imperitus, quibuscum est, oneri est,
Oderuntque *eum* omnes; necessarius vero congressus
Viri talis convivio est.
Neque vult amicus esse, postquam malum viro evenerit,
Neque si ex utero, Cyrne, uno natus fuerit.
Asper et dulcis esto, et [20a]) morosus, et immitis
Famulis et servis, vicinisque propinquis.
Non oportet obstrepere bonae vitae, sed ipsam quietam [21]) omittere;
Malam autem movere [22]), donec in recta constitueris [23]).
Mali non prorsus mali ex utero nati sunt;
Sed *cum* viris malis ineuntes amicitiam.
Factaque improba didici, et verba maledica, et contumeliam,
Sperans illos omnia dicere vera.
Inter sodales vir prudens esto;
Omnia autem te latere tanquam absentem puta.
Scito ferre ridicula; foris vero fortis sis,
Cognoscens mores, quos quisque habet.
Inter insanos maxime insanio, sed inter iustos
Omnium hominum sum iustissimus.
Multi quidem divites sunt mali, boni autem sunt pauperes;
Sed nos *cum* illis non commutabimus
Virtutem divitiis, quoniam illud quidem stabile *est* semper,
Opes vero hominum aliàs alius habet.
Cyrne, bonus quidem vir animum habet firmum semper,
Fortis vero *est* inque bonis positus, inque malis.
Si vero Deus malo viro facultates et divitias dabit,
Insipiens malitiam non potest continere.
Nunquam ob parvam causam amicum virum perdideris,
Credens gravi, Cyrne, calumniae.
Si quis peccatis amicorum in omni *re* irascatur,
Nunquam inter se concordes, neque amici
Poterunt esse. Peccata enim homines insequuntur
Mortales, Cyrne, Dii vero non volunt ferre.
Et lentus [24]) consultus cepit [25]) celerem hominem, sequens,
Cyrne, cum recta Deorum iustitia immortalium.
Quietus, sicut ego, mediam viam ingredere pedibus,

---

20) faciat] sic scripsi; Editt. 1561—1581. faciet.

20a) et] in Ed. 1563. deest.

21) quietam om.] sic Editt. 1563., 1576., 1581.; Editt. 1561., 1564., 1570. quietem om. (Theogn. ἀτιμάζειν).

22) movere] sic (= Theogn. κινεῖν) Editt. 1561., 1564—1581.; Ed. 1563. monere.

23) constitueris] sic Editt. 1561., 1564—1581.; Ed. 1563. constiteris.

24) lentus] sic (= Theogn. βραδὺς) Editt. 1561—1576.; Ed. 1581. lenius.

25) cepit] sic (= Theogn. εἷλεν) Editt. 1564., 1570.; Editt. 1561., 1563., 1576., 1581. coepit.

Neque aliis tribuens, Cyrne, *ea quae sunt* aliorum.
Nunquam exulem virum ob spem, Cyrne, osculaberis;
Neque enim domum regressus, est idem amplius.
Ne quid nimis propera, omnium media optima: et sic,
Cyrne, habebis virtutem, quam quidem accipere difficile *est*.
Iupiter mihi amicorum det remunerationem, qui me amant,
Et *me quam* inimicos magis, Cyrne, potentem fore.
Et sic possim videri inter homines Deus esse,
Si, postquam remuneravero, me sors apprehendat mortis.
Sed, Iupiter, perfice mihi coelestis opportunum votum:
Da vero mihi pro malis, et aliquo affici bono.
Moriar autem, si nullam malarum sedationem sollicitudinum
Invenero, dederisque pro calamitatibus calamitates.
Fatum enim sic est; ultio vero non apparet nobis
Virorum, qui meas facultates tenent, vi
Depraedati; ego autem canis transivi alveum,
Torrente fluvio omnibus spoliatus:
Horum liceat nigrum sanguinem bibere, ac bonum attollat
Numen, quod ex mea sententia perficiat haec.
O improba paupertas, cur cessas *me* relinquens, ad alium
Virum ire[26])? cur vero quidem me non volentem amas?
Quin abi, et domum aliam accede, neque cum nobis
Semper miserabilis huius vitae sis particeps.
Forti sis animo, Cyrne, in malis, postquam et in bonis gaudebas,
Quando te et haec fatum iubebat habere.
Sicut autem ex bonis accepisti malum, sic[27]) vero et rursus
Emergere tenta[28]), Deos precans.
Neque nimis ostenta, malum vero, Cyrne, ostentare,
Paucos sollicitos tui mali habes.
Viri cor minuitur magnam iniuriam passi,
Cyrne; ulciscentis vero augetur postea.
Bene demulce inimicum; postquam vero sub potestatem venerit *tuam*,
Ulciscere ipsum, excusationem nullam admittens.
Refrena mentem; linguam vero suavitas semper sequatur;
Improborum quidem est cor acrius.
Non possum noscere animum civium, quem habent;
Neque enim benefaciens placeo, neque male.
Vituperant autem me multi simul mali, atque etiam boni;
Imitari vero nemo insipientium potest.
Ne me invitum vi pungens sub plaustrum adige,
In amicitiam nimis, Cyrne, attrahens.
O Iupiter chare, miror te; tu enim omnibus[29]) imperas,
Honorem ipse habens, et magnam potestatem.
Hominum vero bene nosti mentem, et animum cuiusque[30]);
Tua vero potentia omnium est summa, *o* Rex.
Quomodo autem tua, *o* fili Saturni, audet mens viros iniustos[31])
In eadem sorte, et iustum habere?
Sive probitate delectetur mens, sive scelere
Hominum iniustis operibus incumbentium.
Nihil[32]) quicquam discretum a numine est mortalibus,
Neque[33]) via, quam ingressus *quis* immortalibus placeat.
Attamen autem divitias habent innocuas; alii vero ex malis

26) ire?] sic (= Theogn. *ἰέναι*;) Editt. 1561 — 1576.; Ed. 1581. ires.

27) sic] Ed. 1570. mendo typogr.: si.

28) tenta] sic (= Theogn. *πειρῶ*) Editt. 1561., 1564 — 1576.; Editt. 1563., 1581. tanta.

29) omnibus] sic Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. omnium.

30) cuiusque] sic (= Theogn. *ἑκάστου*) Editt. 1563 — 1581.; Ed. 1561. cuiusquam.

31) iniustos] in Ed. 1570. deest.

32) Nihil] sic Editt. 1561 — 1576.; Ed. 1581. Nil.

33) Neque] sic (= Theogn. *οὐδ'*) Editt. 1561 — 1576.; Ed. 1581. Ne.

Factis cohibent animum tamen paupertatis.
Matrem inopiam acceperunt *ii*, *qui* iusta amant,
Quae virorum impellit animum in errorem,
Laedens in pectoribus mentes forti prae necessitate;
Audet vero non volens *vir* turpia multa ferre,
Divitiis cedens, quae quidem mala multa docent,
Mendaciaque, dolosque, perniciosasque lites,
Virum etiam invitum; malum autem ei nihil videtur;
Hae enim et molestam pariunt anxietatem.
In paupertate autem quando *est* malus vir, tunc multo melior
Apparet, donec quidem divitiae *eum* occupant.
Huius quidem iniusta cogitat mens, neque semper
Recta sententia pectoribus innata est.
Illius autem neque mala sequitur mens, neque bona;
Sed bonum audere oportet haec et illa ferre.
Reverere vero amicos, fugeque perniciosum iusiurandum;
Verere autem immortalium iram devitans.
Nil nimis festina; tempus autem in omnibus optimum
Factis hominum, saepe vero ad virtutem
Festinat vir lucrum quaerens, quemcunque fortuna
Propensa in magnum delictum protrudit,
Et eum fecit putare, quae quidem sint mala, ea bona esse
Facile; quae vero sint utilia, ea mala *esse*.
Amicissimus cum esses *mihi*, peccasti; ego vero tibi autor nihil *sum*;
Sed tu mentem non bonam nactus eras.
Nullum thesaurum liberis repones meliorem
Pudore, qui bonos viros, Cyrne, sequitur.
Nullius hominum vitii videaris esse socius,
Quem consiliumque sequitur, Cyrne, et quem potentia.
Bibens vero non sic inebriabor, neque me vinum
Exagitabit, ut dicam grave verbum de te.
Neminem similem mihi possum quaerens invenire
Fidelem sodalem, cui nullus est dolus.
Ad indicem vero profectus atteror, tanquam plumbo
Aurum; praestantior vero nobis inest mens.
Multa me et intelligentem praetereunt, sed necessitate
Taceo, cognoscens nostram potentiam.
Multis hominibus linguae ostia non adiacent
Congrua, et ipsis multa non curanda curae sunt.
Crebro enim malum reconditum intus, melius *est*;
Bonum vero foras egressum melius *est*, quam malum.
Omnium quidem non nasci hominibus optimum *est*,
Neque intueri radios celeris solis;
Natum vero quam citissime portas Plutonis transire,
Et iacēre multa terra obrutum.
Procreare et educare facilius hominem, quam mentem bonam
Inserere; nemo adhuc hoc perpendit.
Quisquis sapientem fecit insipientem, et malum bonum.
Si vero Aesculapiadis hoc dedisset Deus,
Sanare malitiam et perversas mentes virorum,
Multas mercedes, et magnas tulissent;
Si vero procreari *posset* et inseri *in* homine mens,
Nunquam ex bono patre esset malus *filius*,
Parens sermonibus prudentibus; verum docens
Nunquam facies *eum*, *qui* malus *est*, virum bonum.
Stultus *est*, qui meam quidem habet mentem in custodiis,
Suam vero ipsius propriam nihil curat.
Nemo sane *in* omnibus est beatus; sed *vir* quidem bonus
Sustinet habere malum, et non manifestus[34]) *est* tamen.
Improbus vero neque *in* malis novit, neque *in* bonis
Animum habens manere. Immortalium autem dona
Varia mortalibus adveniunt; sed sustinere
Oportet dona Deorum, qualiacunque *hi* dant, habere.

---

34) manifestus] sic (= Theogn. ἐπίδηλος) Editt. 1561., 1563., 1570—1581.; Ed. 1564. manifestius.

Si me vis lavare, capite impolluta a summo
Semper alba aqua fluet nostro;
Inveniesque me omnibus in rebus, tanquam excoctum
Aurum, rubrum adspectu, quando teritur indice:
Cuius colorem desuper nigra non tangit rubigo,
Neque caries, semper vero florem habet purum.
O homo, si prudentiae sortitus esses partem, ut *es* stultitiae,
Et prudens sic, ut demens, fuisses:
Multis admirandus videreris civium
Sic, ut nunc nihili dignus es.
Nequaquam utile est mulier iuvenis viro seni;
Non enim gubernaculo paret, quomodo acatium,
Neque anchoram habent; abrumpens vero vincula
Saepe de nocte alium[35]) habet portum.
Nunquam non faciendis mentem adhibe, neque intendas animum
Rebus, quarum facultas est nulla.
Facile sane rem Dii dederunt, neque quicquam malam,
Neque bonam, difficili autem facto gloriam habet.
Circa virtutem conterere, et tibi iusta amica sunto,
Neque te vincat lucrum, quod turpe sit.
Neminem horum invitum manere coge apud nos,
Neque foras iube non volentem ire,
Neque dormientem excita, *o* Simonides[36]), quemcunque nostrûm
Armatum vino[37]) mollis somnus corripuerit.
Neque vigilantem iube invitum dormire;
Omnis enim coacta res molesta est.
Bibere vero volenti adstando *quis* misceat:
Non omnes noctes contingit suavia pati.
At ego, modum enim habeo suavis vini,
Somni sedatoris malorum memor ero domum profectus.
Ostendam autem, quod vinum iucundissimum est viro potatu;
Neque enim sobrius sum, neque valde ebrius.
Quisquis autem praeterierit potus modum, non amplius ille
Suae ipsius linguae compos est, neque mentis.
Loquitur autem infinita, quae sobriis videntur turpia;
Veretur vero faciens nihil, quando ebrius fuerit:
Ante qui erat sapiens, tunc stultus. Sed tu haec
Cognoscens, ne bibe vinum supra modum;
Sed aut priusquam potus sis, surge, ne te urgeat
Venter, ceu malum servum quotidianum.
Aut praesens ne bibe; tu vero habe[38]) hoc vanum,
Calicis semper causa sane potus es.
Hic enim fertur amicorum gratia, ille vero proponitur;
Illum vero Diis libas, hunc in manu habes.
Negare non nosti, invincibilis vero sane ille *est,*
Qui multos[39]) bibens nil ineptum dicet.
Vos vero bene loquimini ad craterem[40]) manentes,
Invicem iurgia diu prohibentes.
In medium loquentes simul cum uno, et cum omnibus,
Et sic convivium fit non iniucundum[41]).
Insipientis viri simul et sapientis, vinum: quando sane
Potatur supra modum, levem facit mentem.
In igne quidem aurum et argentum periti viri
Cognoscunt; viri vero vinum indicat mentem,
Et maxime etiam sapientis, quod supra modum hausit bibens,
Ita ut deturpet et *eum, qui* prius erat sapiens.
Vino gravor caput, *o* Onomacrite, et mihi vim infert
Vinum, et mentis non amplius ego sum custos
Nostrae; at domus circumcurrit; sed sane surgens

35) alium] Editt. 1576., 1581. mendo typogr.: aliam.

36) Simonides] sic (= Theogn. *Σιμωνίδη*) Editt. 1563 — 1581.;, Ed. 1561. Simoniades.

37) vino] Ed. 1581. mendo typogr.: uno.

38) habe] sic (= Theogn. *ἔχε*) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. habes.

39) multos (scil. calices)] sic (= Theogn. *πολλοὺς*) Editt. 1564., 1570.; Editt. 1561., 1563., 1576., 1581. multis.

40) craterem] sic (= Theogn. *κρητῆρι*) Editt. 1561 — 1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. corrupte: creatorem.

41) non iniucundum] sic (= Theogn. *οὐκ ἄχαρι*) Editt. 1564., 1570.; Editt. 1561., 1563., 1576., 1581. non iucundum.

Tentabo, num forte et pedes vinum habeat,
Et mentem in pectoribus; timeo autem, ne quid stultum
Faciam ebrius, et magnum dedecus habeam.
Vinum potatum copiose malum *est*; si vero quis ipsum
Bibat sapienter, non malum *est*, sed bonum.
Venisti sane, *o* Cleariste, profundum pontum permensus
Huc ad nihil habentem, o miser, nihil habens.
Navis sane lateribus sub transtra ponemus nos,
O Cleariste, quae habemus, et quae tribuunt Dii.
Eorum autem, quae sunt *nobis*[42]), optima dabimus; si vero quis venerit,
O Iupiter, amicus qui sit, *dicam ei*: recumbe, ut amicitiam habes;
Neque quid facultatum mearum celabo *te*, neque quid maius
Tui causa hospitii aliunde afferemus.
Si vero quis percontetur *de* mea vita, sic illi dicito:
Quod bene quidem difficulter, quod difficulter vero, maxime bene,
Sic, ut unum quidem hospitem patrium[43]) non reiicere,
Xenia vero plura est non potens praebere.
Non te frustra, *o* Plute, mortales colunt maxime;
Re vera enim facile calamitatem fers.
Etenim divitias quidem habere bonos par est;
Paupertas vero malo commoda viro ferre.
Heu meam pubertatem, et senectutem exitialem,
Hanc quidem imminentem, illam vero discedentem.
Neque quemquam prodidi amicum, et fidelem socium,
Neque in meo animo dolosum nihil inest.
Semper mihi charum cor exultat, quando audiero
Tibias sonantes desiderabilem sonum.
Laetor vero bene bibens, et tibicinem audiens;
Laetor vero benesonam manibus lyram tenens:
Nunquam servile caput rectum natum est,
Sed semper obliquum, et cervicem obliquam habet.
Neque enim ex scilla rosae nascuntur, neque hyacinthus,
Neque unquam ex ancilla filius ingenuus.
Nullus vir, amice Cyrne, compedes fabricat sibi,
Si non meam mentem decipiunt Dii.
Timeo, ne hanc civitatem, o Polypaeda, iniuria,
Quae Centauros crudivoros, perdat.
Oportet me ad amussim, et rectam rationem, hanc iudicare,
Cyrne, causam, aequumque utrisque dare,
Vatibus, avibusque et ardentibus sacrificiis,
Ut non erroris turpe dedecus habeam.
Neminem unquam malo[44]) urge, sed iusto.
Beneficentia nihil *est* melius.
Nuntius mutus bellum multilacrymum excitat,
Cyrne, ex procul conspicua apparens specula.
Quin equis iniice velocibus frena;
Hostilibus enim ipsos viris occursuros video.
Non multo spatio pertransibunt semitam,
Nisi meam mentem fallunt Dii.
Oportet forti esse animo gravibus in doloribus constitutum virum,
Aque Diis[45]) petere liberationem immortalibus.
Considera, periculum quidem in novaculae stat acie,
Aliquando multa habebis, aliquando pauciora:
Ita ut tu neque valde abundans possessionibus fias,
Neque tu in multam opulentiam evadas.
Sit mihi alia quidem me habere, alia vero multa donare,
Opes hostium amicis habere.
Vocari vero ad convivium, sedere autem iuxta bonum
Virum, utilem sapientiam omnem scientem,
Causa intelligendi, quando aliquid dixerit sapiens, ut docearis,

42) *nobis*] in Ed. 1563. deest.

43) patrium] sic (= Theogn. *πατρώϊον*) Editt. 1561., 1564—1581.; Ed. 1563. mendo typogr.: partium.

44) malo] sic (= Theogn. *κακότητι*) Editt. 1561 — 1576.; Ed. 1581. malo.

45) Aque Diis] sic (= Theogn. *Πρός τε θεῶν*) Editt. 1561., 1563., 1570—1581.; Ed. 1564. Atque Diis.

Et hoc ad domum lucrum habens abeas.
Pubertate oblectans *me* ludo; diu enim sub
Terra, amissa anima, iacebo sicut lapis
Mutus; linquam [46]) autem amabilem lucem solis.
Quamvis vero bonus fuerim, videbor nihil amplius.
Opinio quidem hominibus malum magnum *est*, experientia autem optimum.
Multi inexpertam opinionem habent bonorum [47]).
Bene habeo, bene habe; quid nuntium alium mittis?
Beneficii facile *est* nuntium.
Me amici produnt, quoniam inimicum fugio,
Tanquam gubernator Choeradas marinas.
Facile *magis* ex bono facere malum, quam ex malo bonum.
Ne me doce: minime tantus sum, *ut* discam.
Odi malum virum; tacite [48]) vero adsum,
Parvae avis levem habens mentem.
Odi vero mulierem circumcursantem, virumque protervum,
Quicunque alienum vult aurum [49]) arare.
Sed quae quidem praeterierunt, impossibilia sunt factu
Opera; quae autem post *erunt*, custodiae curae sint.
Omnibus sane periculum in rebus: neque quis novit,
Quo evadere futurus est, re incipiente.
Sed hic quidem celebrari tentans, non providus
In magnum incommodum, et grave cecidit.
Sed benefacienti Deus in omnibus ponit
Successum bonum, liberationem stultitiae.
Tolerare oportet, quae dant Dii hominibus mortalibus,
Facileque ferre utramque sortem.
Neque malis aegrotans ange mentem, neque bonis
Oblecteris repente, ante *quam* finem extremum videris.
O homo, inter nos a longe simus amici:
Praeter hanc, omnis rei est satietas.
Diu sane et amici simus; caeterum etiam aliis conversare [50])
Viris, qui tuam magis cognoscunt mentem.
Non me fefellisti iens per viam, quam iam et prius
Agebas, furans nostram amicitiam.
Peri, *o* Diisque inimice, et hominibus infidelis,
Frigidum qui in sinu varium habebas anguem.
Talia vero et Magnetas perdiderunt facinora, et iniuria,
Qualia nunc sacram hanc civitatem occupant.
Multo sane plures *quam* fames, satietas perdidit iam
Viros, quotquot parte plus habere volebant.
In initio mendacii modica gratia, atque in fine:
Turpe sane lucrum, et malum utrumque
Est; neque quicquam pulcrum *est ei*, quem mendacium comitetur,
Viro: etsi exierit primum ex ore.
Non difficile *est* vituperare propinquum, neque ipsum
Laudare: improbis viris haec curae sunt.
Tacere autem non volunt mali, mala garrientes,
Sed boni omnium modum sciunt habere.
Neminem prorsus bonum, et moderatum virum,
Eorum, *qui* nunc *sunt*, hominum sol adspicit.
Non admodum hominibus ex animi sententia omnia fiunt;
Multo enim mortalibus praestantiores *sunt* immortales.
Multum in anxietatibus versor, moerens corde;
Summam enim paupertatem non praetercurrimus.
Quilibet divitem virum colit, contemnit autem pauperem;
Omnibus vero hominibus ea inest mens.
Omnigenae nequitiae inter homines sunt,
Omnigenaeque virtutes, et vitae artes.
Difficile *est* sapientem apud insipientes multa loqui,
Et tacere semper; hoc enim non *est* possibile.

---

46) linquam] *sic* (= Theogn. λείψω) Editt. 1561 — 1576.; Ed. 1581. mendo typogr.: linguam.

47) bonorum] sic (= Theogn. ἀγαθῶν) Editt. 1563 — 1581.; Ed. 1561. bonum.

48) tacite] sic Editt. 1561 — 1576.; Ed. 1581. tacita (Theogn. καλυψαμένη).

49) arvum] sic (= Theogn. ἄρουραν) Editt. 1561., 1562., 1570 — 1581.; Ed. 1564. mendo typogr.: aurum.

50) conversare] sic Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581.; conversari (Theogn. ὁμιλεῖν).

Turpe sane *est* ebrium apud viros sobrios esse;
Turpe vero, si sobrius apud ebrios maneat.
Pubertas et adolescentia allevant[51]) mentem viri;
Multorum vero effert animum in errorem.
Cui non animi libidine fortior *est* mens, *ille* semper in noxis,
Cyrne, et magnis versatur in erroribus.
Consulta bis et ter, quod tibi in mentem venerit;
Nocuus enim profecto praeceps vir est.
Viros bonos sequitur consilium et pudor,
Qui nunc inter multos re vera *sunt* pauci.
Spes et periculum inter homines *sunt* similes;
Illa enim gravia sunt numina, utrumque[52]).
Saepe praeter opinionem et spem contingit invenire
Res virorum; consiliis vero non inest finis.
Non sane molestia afficit ullus neque amicum, neque inimicum,
Nisi seriam rem consequaris.
Multi apud craterem amici sunt sodales;
In autem seria re pauciores.
Paucos curatores fideles invenias amicos,
Positus in magna animi anxietate.
Iam nunc pudor quidem inter homines periit,
Sed impudentia terram circumit.
Heu improba paupertas, cur meis decumbens humeris
Corpus deturpas, et mentem nostram?
Turpia autem me non volentem vi, et multa doces,
Bona ab hominibus et honesta edoctum?
Beatus sim, et Diis charus immortalibus,
Cyrne, virtutem vero aliam nullam amo.
Tecum, Cyrne, affecto male moeremus omnes;
Sed sane alienus dolor diem unum durat tantum.
Nihil nimis difficilibus contristeris mentem, neque bonis
Gaude, quoniam est viri omnia ferre boni.
Neque iurare oportet hoc aliquid: nunquam res haec erit;
Dii etenim oderunt, quibus adest finis.
Et facere sane aliquid: et ex malo bonum factum est,
Et malum ex bono, et pauper vir
Statim valde ditavit *se:* et qui valde multa acquisivit
Derepente, omnia profecto perdidit nocte una.
Et sapiens peccavit, et insipientem saepe gloria
Secuta est, et honorem, etiam *qui* malus erat, invenit.
Si quidem opes haberem, *o* Simonida, quales novi,
Non possem angi bonis congrediens;
Nunc autem me cognoscentem praetereunt; sum vero mutus
Opibus, multis sciens licet melius adhuc.
Quare nunc ferimur, velis albis expassis,
Melio ex ponto noctem per tenebrosam.
Exhaurire autem *sentinam* non volunt; superat autem mare
Utrumque navis latus, ubi valde quis difficile
Servatur; illi vero dormiunt: gubernatorem quidem fecerunt quiescere
Bonum sane, qui custodiam habebat perite.
Opes autem rapiunt vi; decor vero periit.
Divisio autem non amplius fit in medium.
Baiuli vero imperant, mali autem super bonos:
Timeo, ne quo modo navem fluctus absorbeat.
Haec mihi aenigmatice dicta sint, occulta probis;
Cognoscere autem potest quis etiam malum, si sapiens sit.
Multi divitias habent imperiti; alii autem honesta
Quaerunt, gravi oppressi paupertate.
Facere autem utrisque[53]) difficultas incumbit;
Prohibent enim hos quidem opes, illos vero mens.
Non licet mortalibus adversus immortales pugnare,
Neque *in* ius vocare: nemini hoc fas *est*.
Non oportet pascere, quod non pascendum fuerit:

---

51) allevant] sic Editt. 1561., 1564., 1570.; Editt. 1563., 1576., 1581. allevat (= Theogn. *ἐπικουφίζει*).

52) utrumque] sic (= Theogn. *ἀμφότεροι*) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. utrinque.

53) utrisque] sic (= Theogn. *ἀμφοτέροισιν*) Editt. 1564., 1570.; Editt. 1561., 1563., 1576., 1581. utrinsque.

690 Neque facere, quod non melius sit[54]) perficere.
Gaudens bene perficias viam magnum per pontum[55]),
Et te Neptunus gaudium amicis reducat.
Multos sane satietas viros perdidit insipientes;
Cognoscere enim difficile est modum, quando bona adsunt.
695 Non possum tibi, *o* anime, praebere necessaria omnia:
Sustine; nam pulchra non tu solus amas.
Bene quidem habente me, multi *sunt* amici; si vero quid sinistrum
Contigerit, pauci fidelem habent mentem.
Turbae autem hominum virtus unica est haec,
700 Ditescere; sed aliarum rerum nullus sane est usus,
Neque si iustitiam quidem habeas Rhadamanthi ipsius,
Plura vero sciveris, *quam* Aeolides[56]) Sisyphus,
Qui etiam ex inferno peritiis rediit,
Persuasa Proserpina blandis verbis,
705 Quae hominibus praebet oblivionem, laedens sensum.
Alius vero nondum quis hoc consideravit,
Quemcunque sane mortis nigra nebula obtexerit,
Veneritque in horridum locum mortuorum,
Nigrasque portas transierit, quae mortuorum
710 Animas cohibent, etsi recusantes.
Verum tamen[57]) illinc Sisyphus rursus rediit heros
Ad lucem solis, sua variarum rerum peritia.
Neque si falsa quidem facis veris[58]) similia,
Linguam habens bonam Nestoris divini;
715 Celerior autem fueris pedes velocibus Harpyis,
Et filius Boreae, quorum celeriter eunt pedes.
At[59]) certe oportet omnes sententiam hanc reponere,
Quod divitiae plurimam *in* omnibus habent potestatem.
Aequaliter divites sunt, *is* cui multum argentum est,
720 Et aurum, et terrae farriferae arva,
Equique mulique, et cui necessaria adsunt
Ventrique et lateribus, et pedibus grata pati,
Pueri et mulieris; quando vero illorum venerit
Tempus, et cum pubertate est congruum:
725 Haec *sunt* divitiae hominibus; nam superfluas omnes
Opes habens nemo venit in infernum.
Neque pretia dans mortem fugerit, neque graves
728 Morbos, neque malam senectutem instantem[60]).
731 O Iupiter pater, utinam fiant Diis amica, scelestis quidem
Contumeliam placere, et ipsis hoc sit gratum.
Animo improba facinora, in mentibus autem quisquis crudelis[61])
Fecerit, Deos nihil curans.
735 Ipsum postea rursus luere mala, neque postea
Patris improbitas liberis[62]) sit malum.
Filii vero, qui *cum sint* iniusti patris, iusta cognoscentes
Faciunt, *o* Iupiter, tuam iram reverentes.
Ab initio iusta inter cives amantes,
740 Ne quam trangressionem luant parentum.
Haec sint beatis Diis grata; nunc vero qui facit *scelus*,
Ille effugit; poenam autem alius postea fert.
Et hoc, *o* immortalium rex, quomodo est iustum?
Facinora qui vir extra existens iniusta.
745 Nullam iniquitatem habens, neque iusiurandum impium.

54) sit] sic (= Theogn. ᾖ) Editt. 1561—1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. fit.

55) viam magnum per pontum] sic (= Theogn. ὁδὸν μεγάλου διὰ πόντου) Editt. 1561—1576.; Ed. 1581. viam magnam per pontum.

56) Aeolides] sic (= Theogn. Αἰολίδου) Editt. 1561., 1563., 1570—1581.; Ed. 1564. mendo typogr.: Acolides.

57) Verum tamen] sic Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. Veruntamen.

58) veris] sic (= Theogn. ἐτύμοισιν) Editt. 1561., 1564., 1570.; Editt. 1563., 1576., 1581. veri.

59) At] sic (= Theogn. ἀλλὰ) Editt. 1561., 1564—1581.; Ed. 1563. Ac.

60) Distichon, quod hunc versum in Editt. Bekk., Bergk. subsequitur (et in Ed. Brunck. h. l. exstat):
Φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερὰ ποικίλ' ἔχουσαι,
μυρόμεναι ψυχῆς εἵνεκα καὶ βιοτῆς.
in Editt. 1561—1581. h. l. deest. In Ed. Gaisf. (Poetae minores graeci. Vol. I. p. 203—277.) hoc dist. h. l. omissum post vs. 1226. reperitur.

61) crudelis] sic Editt. 1576., 1581. (= text. gr. Editt. 1564—1581. et Editt. recent. ἀπηνής); Editt. 1561—1570. Minervae (= text. gr. Editt. 1561., 1563. Ἀθήνης).

62) liberis] sic (= Theogn. παισὶ) Editt. 1561., 1563., 1570—1581.; Ed. 1564. mendo typogr.: libris.

Sed iustus existens, non iusta patiatur?
Quis itaque et homo alius respiciens ad eum, postea
Veneretur Deos? et quem animum habens,
Quando vir iniustus et sceleratus, neque cuiusquam viri,
Neque quicquam Deorum iram timens,
Contumeliam facit *aliis* divitiis saturatus; iusti vero
Affliguntur gravi pressi paupertate?
Haec discens, *o* chare sodalis, iuste opes acquire,
Prudentem animum habens sine peccato.
Semper horum versuum memor; ad postremum vero
Probabis, verbo frugi obtemperans.
Iupiter quidem *super* hanc civitatem teneat *in* aethere manens
Semper dextram manum in illaesionem,
Aliique immortales beati Dii; sed Apollo
Concinnet[63]) linguam, et mentem nostram:
Cithara rursus sonet sacrum melos, sive etiam tibia.
Nos vero libationibus Deos placantes,
Bibamus, iucunda inter nos loquentes,
Nihil[64]) Medorum metuentes bellum.
Hic esse, et meliorem laetum animum habentes
Sine curis hilariter vivere
Oblectatos, longe vero malas sortes arcere,
Senectutemque exitialem, et mortis finem.
Oportet Musarum famulum, et nuntium, si quid eximium
Noverit sapientiae, non invidum esse;
Sed alia quidem inquirere, alia vero indicare[65]), alia vero facere,
Quid ipsis profuerit solus sciens?
Phoebe rex, ipse quidem turri ornasti civitatem summam,
Alcathoo Pelopis filio gratificans;
Ipse vero exercitum contumeliosum Medorum abarce
Hac civitate, ut tibi populi in laetitia
Vere ineunte claras mittant Hecatombas[66])
Delectati cithara, et hilari convivio,
Paeanumque choris, vociferationibusque tuum circum altare.
Profecto enim ego timeo, stultitiam intuens,
Et seditionem Graecorum, populi corruptricem; sed tu, Phoebe,
Propitius nostram hanc custodi civitatem.
Veni quidem enim ego et in Siculam aliquando terram:
Venique in Euboeae vitiferum solum,
Spartamque Eurotae arundiniferi claram urbem:
Et me excipiebant alacriter omnes advenientem;
Sed nulla mihi oblectatio in praecordia venit eorum,
Adeo nihil sane erat charius aliud patria.
Nunquam mihi cura recentior alia ostendatur
Loco amabilis sapientiae; sed hanc semper habens,
Oblecter[67]) cithara et saltatione et carmine,
Et cum bonis bonam habeam mentem.
Neque quemquam externum offendens factis improbis,
Neque quemquam civium; sed iustus existens
Tuam ipsius mentem oblecta; morosorum vero civium
Alius aliis male, alius melius dicet.
Bonos alius valde vituperat, alius laudat;
Malorum vero mentio fit nulla.
Hominum autem inculpatus super terram est nullus;
Sed cui melius *est*? cuius non pluribus cura est.
Nullus hominum neque erit, neque fuit,
Qui omnibus placens descendet in *domum* Plutonis.
Neque enim, qui mortalibus et immortalibus imperat,
Iupiter Saturnius, hominibus omnibus placere potest.
Torno et amussi, et gnomone virum oracula petentem

63) Concinnet] sic (= Theogn. *ὀρθώσαι*) Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581. Continet.

64) Nihil] sic Editt. 1561., 1564., 1570.; Editt. 1565., 1576., 1581. Nil.

65) indicare] sic (= Theogn. *δεικνύναι*) Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581. mendo typogr.: iudicare.

66) Hecatombas] Editt. 1576., 1581. male: Hereatombas.

67) Oblecter] sic (= Theogn. *τερποίμην*) Editt. 1561 — 1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. Oblectare.

Rectius, oportet quidem, Cyrne, observantem *esse*,
Cuinam *in* Pythone Deus respondens sacerdoti
Vaticinium significaverit pingui ex adyto.
Neque quicquam enim addens, nullum poteris quodquam remedium invenire,
Neque auferens, a Diis errorem profugere.
Rem passus sum morte inimici nihil inferiorem,
Sed aliarum omnium *rerum*, Cyrne, molestissimam.
Me amici prodiderunt; ego vero inimicos accedens,
Videbo et eorum, quamcunque habeant, mentem.
Bos mihi in lingua forti pede calcitrando insiliens,
Prohibet garrire, etiam scientem.
Cyrne, tamen vero, quod fatum *est* pati, non licet effugere;
Quod vero fatum *est* pati, non timeo pati.
In valde durum malum venimus, ubi maxime,
Cyrne, ambos fatum corripiat mortis.
Qui vero senescentes contemnunt parentes,
Horum quidem locus, Cyrne, modicus est.
Neque quemquam adiuva tyrannum, sub spe lucri esse,
Neque occide, Deorum foedera iniens.
Quomodo nobis sustinuit sub tibicine canere
Animus, terrae vero rex apparet ex foro,
Quae nutrit frugibus, in conviviis gestantes,
Fulvisque comis purpureas coronas.
Verum age quidem, *o* Scytha, tonde comam, seda comessationem;
Luge vero suave olentem locum pereuntem.
Fiducia opes perdidi, diffidentia autem servavi;
Consilium vero difficile est amborum.
Omnia illa in corvis et in corruptione *sunt*, neque quis nobis
Autor immortalium, Cyrne, Deorum beatorum,
Sed virorum vis, et lucra multa [68]), et iniuria
Multis ex bonis in calamitatem protrusit.
Duae sane *sunt* potus sortes miseris mortalibus:
Sitis membra resolvens, et inebriatio molesta.
Horum vero per medium versabor: neque mihi persuadebis,
Neque quicquam non potare, neque nimis inebriari.
Vinum mihi *in* reliquis quidem placet, *in* una autem *re* displicet,
Quando *scilicet* armans me, virum contra inimicum agit.
Sed quando supra existens, infra sit,
Toties domum imus sedantes potum.
Bene quidem constitutum virum male constituere facile est;
Bene vero constituere, *quod* male constitutum *est*, difficile *est*.
Calcibus insulta populo fatuo, percuteque stimulo
Acuto, et iugum grave circumpone;
Non enim unquam invenies populum domini studiosum adeo,
Hominum quotquot sol adspicit.
Iupiter virum perdat coelestis, qui *suum* sodalem
Mollia garriens fallere vult.
Suavia quidem et prius, sed multo meliora quam nunc:
Quapropter improbis nulla est gratia.
Saepe civitas haec per rectorum nequitiam,
Velut navis inclinata, ad terram cucurrit.
Amicorum vero si quidem quis videt me aliquid adversi habentem,
Cervicem avertens, neque videre vult.
Si vero quidpiam mihi alicunde boni, qualia saepe contingunt viro,
Multas salutationes et amicitias habeo.
Amici me produnt, et non volunt quicquam dare
Viris apparentibus; sed ego ultronea,
Serotinaque egredior, et matutina rursus ingredior,
Cum gallorum vox *auditur* expergiscentium.
Multis inutilibus Deus dat viris divitias
Bonas, qui neque sibi melior quicquam existens,
Neque amicis; virtutis autem magna gloria nunquam peribit,
Bellator enim vir terram et urbem [69]) servaverit.
In me deinde cadat magnum coelum, latum superne,

---

68) multa] sic (= Theogn. πολλά) Editt. 1561—1576.; in Ed. 1581. deest.

69) urbem] sic (= Theogn. ἄστυ) Editt. 1561—1576.; Ed. 1581. orbem.

Aereum, hominum metus antiquorum,
Si non ego illis quidem auxiliabor, qui me amant;
Sed inimicis molestia, et magnum nocumentum ero.
O vinum, partim quidem te laudo, partim vero te vitupero: neque te omnino
Neque unquam odisse, neque amare possum.
Bonum et malum es: quis poterit te quidem vituperare?
Quis vero poterit laudare, mediocrem habens sapientiam? [70])
Bibe vinum, quod mei verticis Taygeti
Vites tulerunt, quas plantavit senex
Montis in vallibus, Diis charus Theotimus,
Ex [71]) plataneto frigidam aquam educens.
Ex quo bibens graves quidem dissipabis curas,
Potus vero eris multo alacrior.
Pax et divitiae habeant civitatem, ut cum aliis
Commesser; malum enim non amo bellum.
Neque nimis praeconi aurem praebe alte vociferanti;
Non enim paterna pro terra pugnamus.
Sed turpe *est*, praesentem, et velocibus qui insedit [72])
Equis, non bellum lacrymosum intueri.
Heu meam ignaviam, Cerinthus quidem periit:
Lelantique bonum tondetur vinetum.
Boni fugiunt, civitatem vero mali administrant:
Ut Cypsellizon Iupiter perdat genus.
Consilio vero nil melius vir habet in se ipso,
Neque imprudentia, Cyrne, *quicquam* peius.
Cyrne, ne viris in omnibus rebus mortalibus succense,
Expendens, quod mentem qualem quisque habes
Ipse in pectoribus, et facta; sed iusto
Et iniusto magnum malum mortalibus inest.
Est aliud quidem peius, aliud vero melius factum cuiusque;

70) Distichon, quod hunc versum in Editt. Brunck., Bekk., Bergk. subsequitur vss. 877 sq.
Ἡβώοις, φίλε θυμέ. τάχ' αὖ τινὲς ἄλλοι ἔσονται
ἄνδρες, ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' ἔσομαι.
in Editt. 1561—1581. et in Ed. Gaisf. h. l. deest.

71) Ex] sic (= Theogn. ἐκ) Editt. 1561., 1563., 1570—1581.; Ed. 1564. Et.

72) insedit] sic Editt. 1561., 1564., 1570.; Editt. 1563., 1576., 1581. incedit (Theogn. ἐπιβάντα).

Nullus vero hominum ipse in omnibus sapiens.
Quisquis impensam servat, pecunias captans,
Clarissimam virtutem apud prudentes habet.
Si enim perspicere vitae finem liceret, quantum tempus quis
Cunctaretur finiens in domum Plutonis transire:
Par esset *eum*, qui quidem plus temporis fatum expectaret,
Parcere magis huic, quam habebat [73]), vitae.
Iam vero non licet, quod sane et mihi magnum luctum excitat:
Et mordeor mentem, et dupliciter animum habeo.
In trivio consisto: duae sunt ante viae mihi;
Ambigo, harum utram ingrediar priorem:
An nihil expendens, teram vitam in miseria,
An vivam iucunde, opera faciens pauca.
Vidi quidem enim ego *virum*, qui parceret, et nunquam ventri
Cibum liberum, dives existens, daret;
Verum prius *quam* perfecisset, descendit domum Plutonis intra,
Opes vero *is* hominum, qui in *eas* incidit, accepit,
Adeo ut in intempestiva laboraret, et non daret, ut vellet quis.
Novi vero alium, qui erat ventri [74]) obtemperans,
Facultates quidem dilapidavit; dicebat enim: vivo mentem oblectans;
Mendicat [75]) vero *apud* amicos omnes, ubi aliquem viderit.
Sic, *o* Democles, pro facultatibus optimum omnium
Sumptum facere, et curam habere.
Neque enim cum laboraveris, alii laborem *tuum* impertieris,
Neque mendicans, servitutem finieris.
Neque, si senectus venerit, opes omnes effluxerint;
Nam in hoc genere opes optimum *est* habere.

73) habebat] sic (= Theogn. εἶχε) Editt. 1561—1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. habeat.

74) ventri] sic (= Theogn. γαστρὶ) Editt. 1561—1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. mendo typogr.: neutri.

75) Mendicat] sic (= Theogn. πτωχεύει) Editt. 1561—1570.; Editt. 1576., 1581. Medicat.

Si enim dives es, multi *sunt tibi* amici; si vero pauper es,
Pauci; non iam similiter ipse vir bonus *est*.
Parcere quidem melius est, postquam nec mortuum luget
Quisquam, si non videt opes relictas.
Paucis hominum virtus et pulchritudo obvenit:
Beatus *est*, qui haec ambo sortitus est.
Omnes quidem *se* colunt, simul, aequales, quique in eodem
Habitant loco, quique seniores *sunt*[76]).
Non possum voce suavi canere, velut luscinia;
Etenim superiori nocte ad comessationem ivi.
Neque tibicinem causor; sed me sodalis
Deserit, sapientiae non indigens.
Prope tibicinem canam, illi constitutus
Dexter, immortales Deos precans.
Eo ad amussim rectam viam, neutram in partem
Inclinans; oportet enim me recta omnia cogitare.
Patriam ornabo claram civitatem, neque populo
Attendens, neque iniquis viris obediens.
Hinnulum ex cervo leo ut viribus confidens,
Pedibus comprehendens, sanguinem non bibi.
Muros autem altos conscendens civitatem non diripui,
Iungensque equos currum non inscendi;
Agens vero non egi, et non finivi finiens:
Faciensque non feci, perfecique non perficiens.
Improbis vero benefacienti duo *sunt* mala; nam *se* suis
Privabit multis *rebus*, et gratia nulla *habebitur*,
Si quo affectus a me beneficio magno, non gratiam habes,
Egens nostras iterum adeas domos.
Donec quidem ipse bibi ex fonte profundo,
Suavis mihi videbatur, et pulchra *esse aqua*.
Modo vero iam turbatus est; aqua vero commiscetur limo:
Alio fonte bibam, aut fluvio.

76) Distichon hunc versum in Editt. Bekk. et Bergk. subsequens vss. 937 sq.
γηράσκων ἀστοῖσι μεταπρέπει, οὐδέ τις αὐτὸν
βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει.
in Editt. 1561—1581., Brunck. et Gaisf. h. l. deest.

Ne unquam laudes, prius *quam* noveris virum clare,
Appetitum, et modum, et mores, qualis sit.
Multi sane fucatos fallaces mores habentes
Occultant, induentes[77]) animum diurnum.
Horum vero indicat omnium tempus mores cuiusque;
Etenim ego mentem longe iam extra perrexi,
Praevenique laudans, priusquam tuos per omnia cognoscerem[78])
Mores; nunc autem iam navis velut longe discedo.
Quae vero virtus *est* bibentem, vini praemium reportare?
Saepe sane vincit et malus virum bonum.
Nullus hominum, quem postquam tandem terra texerit,
Inque Erebum descenderit, domumque Proserpinae,
Oblectatur[79]), neque lyram, neque tibiam audiens,
Neque Bacchi dona tollens.
Haec videns, cordi bene persuadebo, ut levia
Genua, et caput intremulus proferam.
Ne mihi vir sit lingua amicus, sed magis re ipsa
Manibusque properet, opibusque utrumque,
Neque inter pocula verbis meam mentem oblectet;
Sed faciens appareat, si quid possit, bonum.
Nos vero in convivia charum declinemus animum,
Ut praeterea oblectationis opera amabilia ferat,
Statim enim tanquam cogitatio praeterit splendida pubertas,
Neque equarum impetus est velocior,
Quae quidem virum ferunt tumultuosum in laborem virorum
Impetuose, farrifero oblectatae campo.
Bibe, quando bibant *alii*, cum quidem animo contristatus fueris,
Nemo hominum noscat te gravatum.
Interdum quidem patiens contristaberis, interdumque faciens

77) induentes] sic (= Theogn. *ἐνθέμενοι*) Editt. 1561—1570.; Editt. 1576., 1581. induentem.

78) cognoscerem] Ed. 1581. mendo typogr.: cognoscere.

79) Oblectatur] sic (= Theogn. *τέρπεται*) Editt. 1561—1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. Oblectetur.

Gaudere potes, aliasque alius vir.
Si ponas, *o* Academe, amabilem hymnum canere,
Praemium autem in medio puer pulchrum florem habens
Tibique sit[80]) et mihi de sapientia contendentibus,
Cognoveris, quanto asinis praestantiores *sint* muli.
Cum vero Sol quidem in aethere solidungulos equos
Iam admonuerit, medium diem habens,
Coenamque terminaverimus, quomodo quem animus iubet,
Variis bonis ventri satisfacientes.
Gutturnium statim foras ferat, coronas vero intro
Formosa teneris manibus Lacaena puella;
Virtus vero praemium inter homines optimum,
Pulcherrimumque reportatu est viro sapienti.
Commune vero bonum hoc civitatique omnique populo,
Quisquis vir transgressus inter principia est.
Communiter autem hominibus praecepta dabo, ut quis pubertatis
Clarum florem habens, et mentibus bona cogitet,
Suis possessionibus bene affici; non enim repubescere
Bis datur a Diis, neque fuga mortis
Mortalibus hominibus; gravis autem senectus coarguit
Perniciosa, caputque apprehendit summum.
Quam beatus, fortunâtusque et felix *est*, quisquis expers
Laborum, in Plutonis domum nigram descendit,
Prius *quam* inimicos formidare et superare necesse *est*,
Investigareque amicos, quamnam habeant[80a]) mentem.
Statim[81]) mihi per quidem corpus fluit immensus sudor,
Consternor vero intuens florem iuventutis.
Iucundus simul et pulcher diutius debebat esse:
Verum brevis est velut somnium

80) sit] sic (= Theogn. εἴη) Editt. 1563—1581.; Ed. 1561. sis.
80a) habeant] sic scripsi; Editt. 1561—1581. habent.
81) Statim] sic (= Theogn. αὐτίκα) Editt. 1561, 1563., 1570—1581.; Ed. 1564. mendo typogr.: Satim.

Adolescentia pretiosa; sed perniciosa et deformis
Confestim super caput senectus pendet.
Nunquam inimicis sub iugum cervicem ponam
Grave, neque si mihi Tmolus instet capiti.
Improbis sane malitia vaniores luctus sunt;
Proborum vero semper actiones rectiores.
Facilisque actio inter homines, malitiae;
Boni autem difficilis, Cyrne, est conatus.
Confide, *o* anime, malis, simul gravissima passus,
Improborum sane cor est asperius.
Neque tu[82]) infectas ob res dolorem augens
Oderis, neque tristeris, neque amicos molestia affice,
Neque inimicos exhilara. Deorum enim fatata dona
Non potest facile mortalis vir effugere,
Neque nigrae descendens[83]) in fundum paludis,
Neque quando ipsum habuerit Tartarus tenebrosus.
Virum sane est bonum difficillimum fallere,
Ut in mea mente, Cyrne, olim iudicatum est.
Iucunda quidem et prius, verum multo melius nunc:
Quae improbis nulla est gratia[84]).
Amentes homines et stulti, qui quidem vinum
Non bibunt astro et cane regnante.
Age, cum tibicine lugente ridentes
Bibamus, illius doloribus oblectantes *nos*
Dormiamus; custodia vero urbis custodibus curae erit.
Heu littus amabilis patriae nostrae.
Profecto si quis illorum et occultus dormit,
Nostram reprehensionem accipiet moleste.
Nunc vero bibentes oblectemur, pulchra dicentes;
Quae vero post erunt, haec Diis curae sint.

82) tu] sic (= Theogn. σύ) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. te.
83) descendens] sic (= Theogn. καταδὺς) Editt. 1561—1564., 1576., 1581.; Ed. 1570. discedens.
84) Iucunda quidem — est gratia.] sic Mel. interpretatur hocce distichon:

Ἡδέα μὲν καὶ πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺ λώϊον ἤδη,
οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί᾽ ἐστὶ χάρις.

quod h. l. in Editt. 1561—1581. et in Ed. Gaisf., quae autem pro ἡδέα (iucunda) habet ᾔδεα (noveram), legitur; at in Editt. Bekk., Bergk. (et Brunck.) h. l. non invenitur.

Tibi vero veluti puero charo praecepta dabo ipse
Bona; tu vero animo et mentibus haec immitte.
Nunquam festinans facias malum, sed profunda
Tua mente consulta, tuo bonoque animo.
Eorum enim, *qui* pugnant, pugnat animusque intellectusque;
Consilium vero in bonam[85]) et mentem probam ducit.
Sed orationem quidem hanc omittemus. Caeterum mihi tu
Cane, et Musarum recordabimur ambo.
Ipsae[86]) enim haec dederunt habere grata dona
Tibi, et mihi quidem, et vicinis.
Honorat enim Apollo[86a]) affectum; a longe inspicienti
Cognoscere difficile etiam *ei*, qui est sapiens.
Alii quidem enim vitium tectum habent
Opibus, alii vero virtutem perniciosa paupertate.
In adolescentia vero iuxta quidem aequalem melius *est* dormire,
Desiderabilium operum amorem satiantem,
Estque[87]) comessantem cum tibicine canere:
His nihil[88]) sane aliud adest[89]) delectabilius
Viris sive feminis; quid mihi opes et pudor?
Oblectatio vincit omnia cum laetitia.
Dementes homines et stulti *sunt*, qui mortuos
Lugent, non autem adolescentiae florem pereuntem.
Oblectare mihi, chare anime, mox aliqui alii erunt
Viri; ego vero mortuus terra nigra ero[90]).

85) bonam] sic Editt. 1561., 1564—1581.; Ed. 1563. bonum.

86) Ipsae] sic (= Theogn. *αὐταί*) Editt. 1561., 1564—1581.; Ed. 1563. Ipse.

86a) Honorat enim Apollo] sic Editt. 1561—1581. In textu gr. enim habent *Τιμᾶ γὰρ ἀπόλλων*; Editt. recent. pro his exhibent *Τιμαγόρα, πολλῶν*

87) Estque] sic (= Theogn. *ἔστι δὲ*) Editt. 1563—1581.; Ed. 1561. male: Est, quae.

88) nihil] sic (= Theogn. *οὐδέν*) Editt. 1563—1581.; Ed. 1561. mihi.

89) adest] sic (= Theogn. *ἔπι*) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. est.

90) Oblectare mihi — nigra ero.] his verbis Mel. interpretatur hoc distichon:

Τέρπεό μοι φίλε θυμέ· τάχ' ἄν τινες ἄλλοι ἔσονται
ἄνδρες, ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' ἔσομαι.

quod h. l. in Editt. 1561—1581. et in Ed. Gaisf. exstat, in Editt. Bekk., Bergk. (et Brunck.) h. l. non invenitur.

Cyrne, amicos ad omnes converte varios mores,
Commiscens animum, qualis quisque natus est.
Nunc quidem hunc sequere, aliàs vero alius sis animo:
Melior res sane sapientia *est*, *quam* vel magna potentia,
Rei non factae difficillimum est finem
Cognoscere, quomodo sit hanc Deus perfecturus.
Caligo enim extensa est: ante *id*, *quod* futurum est,
Non intelligibiles *sunt* humanae fines infirmitatis.
Neminem inimicorum vituperabo, bonum existentem;
Neque quidem laudabo, *si* malus sit, amicum[91]).
Sic oportet bonum convertentem cogitationem
Firmam semper habere in finem viro amico.
Populum vero rogat multa ferre gravis; non enim novit
Hoc facere, quod tibi non gratum sit.
O Castor et Pollux, qui in Lacedaemone divina
Habitàtis Eurota pulchrifluo fluvio.
Si unquam consulam amico malum, ipse habeam;
Si vero aliquod ille mihi, bis tantum ipse habeat.
Moleste mihi animus habet circa tuam amicitiam;
Neque enim odisse, neque amare possum,
Cognoscens molestum quidem *esse*, quando amicus viro fuerit,
Odisse, molestumque, non volentem amare.
Considera sane nunc alium: mihi quidem nulla necessitas est
Hoc facere, mihi superiorum o gratia[92]) ponere[93]).
Iam et alis extollor ut volucris

91) Distichon hunc versum in Editt. Bekk., Bergk. subsequens vss. 1081 sq.:

Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα
ὑβριστήν, χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος.

in Editt. 1561—1581., Gaisf. (et Brunck.) h. l. non reperitur.

92) o gratia] sic Editt. 1561—1581. = *χάρις*, quam lectionem hae Editt. exhibent; Editt. Brunck., Gaisf., Bekk., Bergk. habent *χάριν*.

93) ponere] sic Editt. 1564—1581.; Editt. 1561., 1563. ponare (Theogn. *τίθεσο*).

Ex stagno magno, virum malum profugiens,
Guttur effringens; tu vero a mea amicitia peccans
Postea nostram cognosces prudentiam.
Quisquis tibi consuluerit de me, et te iusserit
Abire, relinquentem nostram amicitiam.
Iniuria et Magnetas perdidit, et Colophonem,
Et Smyrnam: omnino, Cyrne, et nos perdet.
Ad indicem vero veniens, attritusque plumbo,
Aurum excoctum existens bonus totus eris.
Heu me miserum; etenim ludibrium quidem inimicis,
Amicis vero labor, infelicia passus fui.
Cyrne, qui prius boni *erant*, nunc contra mali *sunt*; mali autem prius,
Nunc boni: quis posset haec sustinere, intuens
Bonos quidem contemptiores esse; peiores vero sortitos
Honorem? uxorem ducit autem ex malo bonus vir.
Se invicem vero fallentes, se mutuo derident,
Neque bonorum memoriam habentes, neque malorum.
Opes habens, paupertatem mihi obiecisti; sed aliqua tamen mihi
Sunt, alia comparabo Diis vota faciens.
O Plute[94]) Deorum pulcherrime, ét desiderabilissime omnium,
Cum te, et malus si sim, fio bonus vir.
Adolescentiae modum habeam; amet vero me[95]) Phoebus Apollo
Latonius, et Iupiter immortalium rex.
Ut vitam vivam mala extra omnia,
Adolescentia et divitiis animum exhilarans,
Ne me malorum commonefaciatis, tuli sane qualia Ulysses,
Qui Ditis magnam domum venit egressus:
Qui sane et procos interemit immiti ferro
Penelopes studiosus, puellaris uxoris,
Quae quidem diu expectavit charum apud filium manens,
Donecque terram ingressus est, formidandosque secessus.

94) Plute] sic (= Theogn. *Πλοῦτε*) Editt. 1561 — 1570.; Editt. 1576., 1581. Pluto.

95) vero me] sic (= Theogn. *δέ με*) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. me vero.

Si bibero, paupertatem animi corruptricem non curo,
Neque viros inimicos, qui mihi dicunt male;
Sed adolescentiam amabilem lamentor, quae me relinquit;
Lugeo autem molestam senectutem instantem.
Cyrne, praesentibus amicis mali sedemus principium;
Quaeramus autem hulceri remedia nascenti.
Spes apud homines sola Dea bona est;
Alii vero coelum relinquentes iverunt.
Abiit quidem Fides magna Dea, abiitque virorum
Temperantia, Charitesque, *o* amice, terram reliquerunt.
Iuramenta vero non amplius fidelia inter homines *sunt* iusta,
Neque Deos ullus veneratur immortales.
Piorum vero virorum genus periit, neque iura
Non amplius cognoscunt, neque quidem pietatem;
Sed dum quis vivat, et videat lumen solis,
Pius existens circa Deos, spem expectet:
Precetur vero Deos et splendidas coxas adolens,
Speique primae et ultimae sacrificet.
Consideretque iniustorum virorum obliquum sermonem semper,
Qui Deos immortales nihil reverentes,
Semper alienis opibus intendunt cogitationem,
Turpia malis operibus signa ponentes.
Nunquam praesentem relinquens amicum, alium quaere,
Miserorum hominum verbis persuasus:
Liceat mihi diviti malis sine curis
Vivere innoxie, nullum habenti malum.
Neque amo dives esse, neque opto; sed mihi liceat
Vivere ex modicis, nullum habenti malum.
Opes et sapientia mortalibus inexpugnabilis *res est* semper;
Neque enim poteris opibus animum saturare;
Sic vero[96]) sapientiam sapientissimus non refugit,
Sed amat, animum vero non potest explere.

96) Sic vero] sic (= Theogn. *ὡς δ' αὔτως*) Editt. 1561., 1563.; Editt. 1564 — 1581. Si vero.

Nullum thesaurum recondere filiis melius *est*;
1162 Petentibus vero bonis viris, Cyrne, da.
Nemo enim ex omni *parte* est omnino beatus; sed bonus quidem
Patienter fert habens malum, non manifestum tamen.
Improbus[97]) vero neque bonis scit, neque malis,
Animum simul temperare, immortalium vero dona
Varia mortalibus accidunt; sed pati
Oportet dona immortalium, qualia dant habere[98]).
1163 Oculi, et lingua, et aures, et mens virorum
In medio pectorum in prudentibus[99]) sunt.
1165 Bonis adhaere, malos vero nunquam sequere,
Quando viae perficias finesque negotiationis.
Bonorum bona quidem responsio, bonaque opera;
Malorum vero venti misera ferunt verba.
Ex malo consortio mala fiunt; bene vero et tu
1170 Cognosces, quando magnos accesseris immortales.
Mentem, Cyrne, Dii mortalibus dant bonam:
Hominis mens fines universi habet.
O beatus, quisquis nobis habet mentem, qua multa superior
Insolentia perniciosa, molestaque satietate *sit*.
1175 Est malum vero mortalibus satietas, illis nil peius;
Omnis enim ex his, Cyrne, est malitia.
Utinam sis operum turpium impassibilis et expers,
Cyrne, maximam[100]) experientiam haberes virtutis.

---

97) Improbus] sic (= Theogn. *δειλὸς*) Editt. 1563—1581.; Ed. 1561. Improbis.

98) Nemo enim — dant habere.] sic Mel. vertit haec tria disticha graeca:

Ουδεὶς γὰρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος, ἀλλ' ὁ μὲν ἐσθλὸς
Τολμᾷ ἔχων τὸ κακὸν, οὐκ ἐπίδηλον ὅμως.
Δειλὸς δ' οὔτ' ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται, οὔτε κακοῖσι,
Θυμὸν ὁμῶς μίσγειν· ἀθανάτων δὲ δόσεις
Παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχοντ'· ἀλλ' ἐπιτολμᾶν
Χρὴ δῶρ' ἀθανάτων, οἷα διδοῦσιν, ἔχειν.

quae h. l. in Editt. 1561—1581. et Gaisf. exstant, at in Editt. Brunck., Bekk., Bergk. h. l. non inveniuntur.

99) in prudentibus] sic (= Theogn. *ἐν συνετοῖς*) Ed. 1570.; Editt. 1561—1564., 1576., 1581. male: imprudentibus.

100) maximam] sic (Theogn. *μεγίστην*) Editt. 1563—1581.; Ed. 1361. maximum.

Cyrne, Deos reverere et time; hoc enim virum
1180 Cohibet neque facere neque dicere impia.
Plebivorum autem tyrannum, quomodo vis, deturbare,
Non indignatio a Diis est ulla.
Mens bona, et lingua, haec[1]) in paucis sunt
1184 Viris, qui horum utriusque *sint* dispensatores[2]).
1187 Nullus pecuniam dans mortem fugerit, neque gravem
Adversitatem, nisi fatum ad finem proiiciat:
Neque poterit stultitiam, quando sane Deus dolores mittit,
1190 Mortalis vir donis volens fugere.
Non amo solio regio sedere
Mortuus, sed mihi viventi contingat bonum.
Tribuli tapetibus simile stratum mortuo;
Lignum aut[3]) durum est, aut molle.
1195 Neque Deos peierando iura; non enim tolerabile *est*
Immortales celare rem debitam.
Avis vocem, *o* Polypaeda, clare clamantis
Audivi, quae mortalibus nuntia venit arationis
Tempestivae, et mihi cor percussit nigrum,
1200 Quod mihi florentes alii habent agros:
Neque mihi muli caudam trahunt aratri,
Alterius promissae causa navigationis.
Non eo, neque a me vocabitur, neque ad tumulum
Ploratus, super terram it tyrannus vir.
1205 Neque ille me mortuo neque dolebit,
Neque ex palpebris calidas miserit lachrymas.
Neque te comessari veto, neque provoco;
Molestus enim existens et amicus, quando abfueris.
Illustris quidem genere sum; urbem autem fortem Theben
1210 Habito, patria terra exulans.
Ne me simpliciter ludens, charos sopito parentes,

---

1) haec] sic (= Theogn. *τάδ'*) Editt. 1561., 1564., 1570.; Editt. 1563., 1576., 1581. adhaec.

2) Distichon, quod in Editt. Bekk., Bergk. hunc versum subsequitur vss. 1185 sq.:

Οὐδένα, Κύρν', αὐγαὶ φαεσιμβρότου ἠελίοιο
ἄνδρ' ἐφορῶσ', ᾧ μὴ μῶμος ἐπικρέμαται.

in Editt. 1561—1581., Brunck. et Gaisf. h. l. deest.

3) aut] sic (= Theogn. *ἢ*) Editt. 1561., 1563., 1576., 1581.; Editt. 1564., 1570. autem.

O Argyri; tibi enim servilis dies instat.
Nobis vero alia quidem sunt, *o* mulier, mala multa, postquam ex terra
Fugimus, molestam vero non propter servitutem,
Neque nos vendunt; civitas autem quidem est et nobis
Pulchra, Lethaeo inclinata campo.
Ne unquam iuxta lugentes *nos* sedentes rideamus,
Ipsorum bonis, Cyrne, laetantes.
Inimicum quidem difficile *est* et malevolum decipere,
Cyrne; amicum vero amico facile decipere.

1223 Nihil ira iniustius *est*, quae habentem
1224 Laedit, animo mala gratificans.
1225 Nihil, Cyrne, bona suavius est muliere:
1226 Testis ego; tu vero meae esto veritatis.
1221 Multa afferre solet sermo mortalibus viris
1222 Damna, mente, Cyrne, turbata[4]).

---

4) Nihil ira — Cyrne, turbata.] sic haec tria disticha in Editt. 1561—1581. et Gaisf. sunt disposita; in Editt. Brunck., Bekk., Bergk. horum tertium (vss. 1221 sq.) alteris duobus (vss. 1223—1226.) praecedit. — *His versibus* Theognidis sententiae in Editt. 1561—1581. finiuntur; in Ed. Brunck. 4 versus, in Ed. Gaisf. 12 versus, in Editt. Bekk., Bergk. autem 163 versus (scil. 1227—1389.) illos subsequuntur.

LXXVIII. PHIL. MEL. EXPLICATIO SENTENTIARUM THEOGNIDIS.

Melanthonis explicatio sententiarum Theognidis semel tantum prodiit (conf. supra p. 6 sq.) sic inscripta:

Explicatio sententiarum Theognidis, in scola Witebergensi auctore reuerendo et clarissimo uiro, Philippo Melanthone, Anno **1551**. *die* **27**. *Maij: collecta à Iohanne Maiore Doctore, et in publicum commodum aedita. Witebergae excudebat Laurentius Schuenck* **1560**. — (In fine:) *Witebergae excudebat Laurentius Schuenck.* **1560**. 8. $18^1/_2$ plagg. litt. A—T ($^1/_2$ pl.) sign., 7 foll. non num., 1 fol. album, 139 foll. num., ult. fol. album (fol. A 2ª—5ª Ioh. Maioris epistola nuncupat.; fol. A 5ᵇ—7ᵇ Io. Mathesii, Io. Stigelii et Io. Maioris carmina lat. atque Casp. Peuceri carmen graec. in Phil. Melanthonem; fol. A 8 album; fol. 1—139ª Mel. explicatio sententiarum Theognidis; fol. 139ᵇ Clausula; ult. fol. alb.).

In hoc libro Melanthonis explicationi a Maiore editore haecce epistola nuncupatoria est praemissa quatuor carminibus annexis:

Magnifico viro nobilitate generis, sapientia, et virtute praestanti, Domino Ulrico Mordisio I. U. Doctori, Consiliario Illustriss. Electoris Saxoniae Ducis Augusti etc. Patrono suo colendo.

Cum filius Dei, Iohannis sexto liberaliter pavisset populum, iubet reliquias etiam sancte colligere, et in usum reservare: quo mandato absque omni dubitatione pios monere voluit, ut cum immensa bonitate verbum suum, divinum illud pabulum, per veros doctores in Ecclesia dispensaverit, hoc quoque gubernatorum et auditorum muneri convenire, ut non solum integrum doctrinae corpus fideliter ab eis traditum, gratis animis amplectantur, verum etiam privata testimonia, aliaque monumenta, interpretationes, consolationes, consilia item, ad doctrinae illustrationem, aut communis vitae utilitatem respicientia, bona fide reservata, inviolataque tanquam κειμήλια custodiant: nec sui tantum commodi causa in praesentia iis fruantur, sed ad usum posteritatis in publicum proferant, ne tam clarae lucis usum sub privatis parietibus reconditae, aliis intercipiant.

Aetas nostra, qua Dei misericordia coelestis doctrina a Reverendis viris, Luthero et Philippo repurgata est, abunde experta est hanc Dei beneficentiam in ubertate verbi, et nemo profecto bonorum est, quem non conscientia convincat, sibi in explicatione doctrinae et necessariorum articulorum fidei satisfactum esse. Et confidimus piam posteritatem de horum virorum laboribus et scriptis, reverenter sane et pie iudicaturam esse et Deo gratias acturam.

Neque vero hoc solum nostri officii esse iudico, eo niti, ut ipsorum publica monumenta conserventur, et doctrinae explicatio per manus accepta fideliter propagetur; sed sanctas horum etiam reliquias, privatas scilicet institutiones in scholasticis negotiis, imo unamquamque vocem tanti esse, ut litteris mandetur, et ad posteritatem transmittatur, non tam ipsorum famae, quae ex aliis plurimis actionibus claret, quam utilitatis publicae causa.

Ob hoc ipsum igitur motus, cum inter summam felicitatem, quae mihi in hac vita contingere potuit, referrem hanc Dei bonitatem, quod me non tantum ad verae Ecclesiae societatem vocasset, verum etiam auditorem et discipulum, et, quod plus est, in amicitia Reverendi viri Philippi Melanthonis esse mihi contigisset, ex quo multis annis tanquam de fonte perenni publice et privatim tot sanctarum institutionum thesauris particeps factus sum. Utilem imprimis et gratam operam bonis naturum esse duxi, si doctissimas enarrationes in morales sententias Theognidis, quas cum multis aliis ex ore Reverendi praeceptoris nostri in Academia Witebergensi bona fide excepi, in publicum emitterem, et tot optimarum interpretationum et praeceptionum amantibus doctrinae copiam facerem.

Tuae autem praecipue Magnificentiae, Clariss. D. Doctor, hunc libellum adscribere volui, quod ipsius vivi doctrinae te studiosissimum, et constantem amicum et defensorem gesseris: et quod tuo exemplo et auctoritate moti quam plurimi reverenter de hisce et similibus laboribus Reverendi viri Philippi sentire pergant, nec in doctorum et fanaticorum hominum inceptis vociferationibus delusi, sibi ex oculis et manibus tam praeclara monumenta subtrahere patiantur, et paulatim barbariem recentis Ordinis vicinorum hypocritarum, in locum subire sinant, cum maximo ipsorum, et (quod Dii avertant) religionis detrimento. Tu vero propter excellentem doctrinam et virtutem optime intelligis, quantum huius viri labores in Ecclesia Dei et piis scholis emolumenti compararerint, et quantum intersit tales libellos proponi, in quibus doctrinarum pietatis et virtutis semina incorrupte et perspicue traduntur. Non igitur dubito, quin hunc laborem, quem in communem studiorum usum institui, tua Magnificentia aequi bonique consultura sit. Bene vale: Datae Witebergae 15. Novemb. M.D.LX.

T. Magnif.

addict.

Iohannes Maior D.

Epitaphium Reverendi viri Philippi Melanthonis, fidelis servi Ecclesiae Dei viventis.

Flos iacet hic mellis nigra tellure Melanthon,
    Apes dolete sedulae:
Unde bonus spirabat odor, pia mella fluebant,
    Piae fleant Ecclesiae.
Lenta febris potuit parvum comburere florem,
    Lugete parvi flosculi.
Nulla viri famam poterit delere vetustas,
    Fuci leves facessite.
Semper apes flavo distendent nectare cellas,
    Qua nunc stetit flos melleus.
Semper humus suaves illic diffundet odores,
    Qua nunc iacet flos parvulus.
Sed cum summa dies optato illuxerit ortu,
    Flos hic virebit denuo.
Et reliquas inter benevolentes pulcrior herbas
    Christi nitebit vertice.

Iohan. Mathesius.

In tumulum D. Philippi Melanthonis Iohannis Stigelius.

Fons latet hoc tumulo: quid quaeris, amice viator?
    Fons dogmatum piorum et eloquentiae.
Si quis ab hoc rivum proprios deduxit in hortos,
    Non aureas huic praeferat pyramides.
Illius obstructas doleat Germania venas,
    Parem futura non habebunt secula.

20. Maii, Anno 1560.

Veritas plorans ad tumulum Philippi Melanthonis.

Ἆδ' ἐγὼ ἁ τλάμων παρὰ τῷ δ' ἀτρέκεια Φιλίππου
    πρόςκειμαι τύμβῳ κειράμενα πλοκάμους·
θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα οὕνεκα πολλοῖς
    ἁ κακόφρων ἀπάτα κρεῖσσον ἐμοῦ κέκριται.

Caspar Peucerus D.

In mortem Reverendi viri Philippi Melanthonis.

Flosculus e nigra tellure creatus in auras
    Occidit, exequias ferte frequenter apes.
Flete pii flores, foliisque inscribite luctus,
    Tu quoque litterulas dic hyacinthe tuas.
Omnes, quae Libani frondetis collibus herbae:
    Tu tamen ante alias florida ruta dole.
Non fuit in terris apibus flos gratior unquam,
    Progenuit foliis tam pia mella suis.
E foliis gratos Ecclesia sensit odores,
    Vitaque confectos venit in alveolos.
Heu valeant quotquot foliis insecta peresis
    Hinc sugunt odiis saeva alimenta suis.
Lucifugae blattae, vespaeque ante ora strepentes,
    Et qui Libanias turbat Asylus apes.
Aut qui non paribus Crabro se immiscuit armis,
    Quique aliena piger pabula fucus edit.
Aut picturatis Eruca in pellibus errans,
    Eque luto volitans musca per ora virûm.
Et vos obscoenae volucres, pecudesque valete
    Foedantes vestro germina sacra fimo:
Quae pede gallino, quae calce rudentis Aselli
    Eruitis virides per nemus omne comas.
Vos tamen ille omnes tam parvus pavit in umbra,
    Sic multis probitas officiosa nocet.
Valle sub Elysia sacra nemus arbore frondet,
    Laetaque selectis floribus arva virent.
Si qua fides veterum, locus ille salubribus herbis
    Est datus, obscoenae quo prohibentur aves.
Illic assidue libant examina rorem,
    Et virides laedit bestia nulla comas.
Regnat amor florum, et generandi gloria mellis,
    Et venit a leni murmure facta quies.
Flosculus hic inter benevolentes consitus herbas
    In sua mellificas germina vertit apes,
Inque Deo occultam degit sub cespite vitam,
    Nec metuit fucos in sua fata leves.

Sed folia in Cedri servantur marcida cistis,
Ne pereant saevis illa vel illa nothis.
Et sol iustitiae vernos cum proferet ortus,
Flos etiam virides proferet ille comas.
Spirantesque rosas terra diffundet in alba,
Et nitido Christi tempora flore teget.
Sicca tamen radix parva componitur urna,
Qua lapis ex ipso nomine carmen habet.
Terra fui quondam, nigrae gero nomina terrae,
In terram redeo, dic mihi, qualis eram.

Iohannes Maior D.

EXPLICATIO SENTENTIARUM THEOGNIDIS
PER PHILIPPUM MELANTHONEM IN SCHOLA WITEBERGENSI.

Scitis extare libellum Basilii, quomodo sint legendi ethnici scriptores[1]). Et similia scripta, et multae disputationes editae sunt contra ethnicos. Etiam ethnici exagitant religionem Christianam, quia similia praecepta et dicta, vel etiam meliora tradantur ab ethnicis: ergo non esse anteferendam sapientiam Christianam sapientiae ethnicae. Est longum volumen apud Clementem de ista re[1a]).

Sic argumentor.

Illa sapientia est divina, et illa religio est divina, quae habet honestissimas sententias;
Sed religio ethnica habet honestissimas sententias:
Ergo est divina etc.

Respondeo ad Minorem: Concedo. Ethnica religio habet honestissimas sententias. Sed congruit cum vera religione, ubi? In doctrina Legis, quantum potest: cum optima est, tum congruit in doctrina Legis: quamquam postea in ethnicis moribus et legibus semper fuit aliquid depravationis.

Semper in vera et sola Ecclesia Dei mansit vera doctrina de coniugio, et hoc aliqui ethnicis populariter opponunt, etiam in Lege. Et quidem ita intelligatur. Ethnica religio habet honestissimas sententias, videlicet in secunda tabula; in prima non habet honestissimas sententias, quia fuerunt horribiles confusiones idolorum apud ethnicos. Maxima pars dictorum sonat de secunda tabula, interdum incidunt in primam, ut, *ἀνδρὸς εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων*, hoc pertinet ad praeceptum: Non peierabis.

Maior igitur est vera in prima et secunda tabula. Minorem concedo, quod ad Legem attinet in secunda tabula, non quod ad primam, et deinde non quod ad Evangelium attinet.

Quare, et unde habuerunt has sententias ethnici?

Quia illa sapientia nobiscum nascitur. Deus indidit hanc lucem naturae humanae, ut aliquo modo possit iudicare externa facta. In summa, manet notitia Legis utcunque mirabili consilio Dei. Illa notitia Legis est lumen Dei et sapientia inexhausta. Ideo ubicunque legimus dicta legalia, congruentia cum Decalogo, sciamus esse sapientiam Dei, et esse sapientiam legis. Nec magna disputatione opus est, quomodo sint legendi scriptores ethnici: ubi talia dicunt, sciamus esse sapientiam Dei, quia illa sunt aliquo modo necessaria.

Aliud est, loqui de remissione peccatorum, de placanda ira Dei, de restitutione iustitiae et vitae aeternae. Haec longe alia res est, et haec vocatur doctrina Evangelii. Debetis igitur in conspectu habere hoc discrimen, et saepe repetimus eandem admonitionem de discernendis generibus doctrinarum Legis et Evangelii, quia multum lucis adfert in diiudicandis multis disputationibus, et in considerandis fontibus, unde sit ethnicorum doctrina, et quomodo discernenda sit ab Evangelio, et quid intersit inter iustitiam aeternam et politica vel oeconomica officia, et quomodo ea recte exerceantur; nam haec ad huius temporalis vitae usum tantum comparata sunt, et de hoc discrimine alias copiose dicitur. Sed iu-

---

1) Hic libellus est Basilii, Caesareae Cappadociae Archiepiscopi, homilia XXII. inscripta: *Πρὸς τοὺς νέους ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων*, quae legitur in eius Operibus graece et lat. editis a Iul. Garnier (Parisiis 1721—1730. 3 Tomi Fol.) Tom. II. p. 173—185.

1a) Haec spectare videntur ad Clementis Alexandrini Cohortationem ad Gentes.

stitia aeterna est vivificari luce, sapientia et iustitia Dei. Deus coniecit nos in ista vincula vel officia vitae aeternae, vult in eis exerceri fidem et invocationem: ideo non debemus ea conculcare et lacerare, sicut Anabaptistae, et alii fanatici homines faciunt.

Iulianus et alii multi eo contenderunt Ecclesiam non antecellere caeteris gentibus, quia vitae praecepta vel similia vel meliora legantur apud ethnicos. Novi quendam Doctorem theologiae monachum, qui fuit concionator Studgardiae, postea amplexus est veram doctrinam Evangelii, et bene et feliciter docuit in ditione Marchionis Badensis, sed tantum tunc ante annos XL ignarus melioris doctrinae, dicebat, Aristotelis Ethica utilem librum esse adeo, ut, etiamsi amissi essent libri Ecclesiastici, posset Ecclesia[1b]) regi ex libris Ethicorum. Non sciebat discrimen Legis et Evangelii. Haec recito non ad contumeliam alicuius, sed ut vos adolescentes sciatis haec exempla; consideratione enim exemplorum magis consideretis discrimina doctrinarum.

Heidelbergae quidam Doctor theologiae concionatus est librum Ethicorum, et habebat frequens auditorium, conveniebamus magno numero; si fortasse fuisset concionatus Paulum ad Romanos, nequaquam convenissemus, neque ille unam pagellam intelligebat in Paulo.

Nominatim autem citantur a Iuliano Phocylidis et Theognidis sententiae, quorum aetas fuit eadem. Fuerunt autem coaetanei Croeso, Cyro, Soloni a reductione populi ex Babylone et instauratione Hierosolymae.

Respondent autem nostri scriptores satis frigide, antiquiorem esse Ecclesiam, et a nostris sumpsisse bona praecepta ethnicos. Sed respondendum erat, Legem rationi notam esse, aliam vero esse propriam Evangelii vocem, de fide, de placanda ira Dei, de gratuita remissione peccatorum et de vita aeterna. Simul docet etiam Evangelium, quis sit usus Legis et vitae politicae et oeconomicae.

Cum haec discrimina conspiciuntur, magis intelligi potest, unde sit haec sapientia ethnicorum, quomodo ea utendum sit. Cum autem sit particula Legis, referatur ad Decalogum, et considerent iuniores, quae dicta ad quae praecepta referantur, et ad quas virtutes congruant. Necessaria enim est virtutum distributio, quae cominus ex Decalogo institui potest, ut in Ethicis copiose dixi. Nominantur autem γνῶμαι, vel praecepta de virtutibus, et de rebus bonis eligendis et malis fugiendis, ut:

Discite iustitiam moniti, et non spernere divos[2]).

Diabolus in obsessa muliere dixit hunc esse optimum versum in Virgilio, et est verum. Item:

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior[3]).

Vel sunt dicta de eventis, quae cum recte monent vitandas esse poenas recte faciendo, ut:

Fortuna quem nimium fovet, stultum facit[4]).

monet, ut in rebus secundis simus modestiores;

Et Venus in vinis, ignis in igne furit[5]).

monet, ne intemperantia incendantur libidines.

Ut autem necessaria est disciplina et frenum Legis, et Deus oeconomicam et politicam vitam ordinavit, approbat et conservat: ita et in his vitae partibus harum sententiarum magnus usus est. Sunt enim communes regulae et commonefactiones de moribus et de multis eventibus; et quia sermo plerumque refertur ad commemorationem de aliqua virtute, de vitiis, de poenis, de fortuna etc., sumantur ex his dictis confirmationes in dicendo. Sint igitur studiosi instructi magna copia talium sententiarum, et distribuant eas in titulos virtutum et vitiorum. Experientia enim respondet, has commonefactiones prodesse ad regendos mores in naturis non monstrosis, ut Agrippa dixit, se multum debere huic sententiae: Concordia parvae res crescunt, discordia vero maximae dilabuntur[6]). Et sanae naturae multum delectantur talibus dictis. Fuit olim titulus libri Σώφρων[7]), qui sententias continebat. Hunc ita crebro in manibus habuit Plato, ut sub culcitra in lecto eum collocaret, quia ante somnum

---

1b) posset Ecclesia] sic scripsi; Ed. 1560. posse Ecclesiam.

2) Virg. Aen. VI, 620.

3) Silii Italici Punicor. XI, 595—597. Ed. Schmid.

4) Publ. Syri sentent. 232. Ed. Miller (Phaedri fabulae Aesopiae, Publii Syri sententiae, Dionysii Catonis disticha de moribus, curante Io. Petro Millero. Berol. 1753. 8.).

5) Ovid. Artis amator. I, 244., ubi autem loco *furit* in Editt. Burmann. et Bipont. legitur *fuit*.

6) Sallust. Iugurtha 10.

7) Sophron Syracusanus, Euripidis aequalis, scripsit Dorica dialecto mimos in viros et feminas, quorum lectione Plato philosophus adeo delectatus fuit, ut, testibus Suida, inprimis Diogene Laertio III, 18. interdum etiam iis indormiret. Vide Fabricii Biblioth. Graecae Ed. IV. cur. Harles. Vol. II. p. 493 sq. et Pauly Real-Encycl. des class. Alterth. Tom. V. p. 34 sq.

sententias aliquas legebat. Ostendit et bene loquentium consuetudo, ornari orationem apte insertis sententiis, quia sunt argumentorum fontes, cum negotia plerumque doctrina virtutum iudicanda et illustranda sint.

Quando sunt aetates deditae uni alicui studio, eiusdem generis scripta multa nascuntur. Vetus aetas Homerica habuit poetas ethnicos, scripserunt uno genere carminum heroico. Postea circa tempora Solonis fuerunt morales, et scripserunt sententias morales, ut Phocylides et Thales Milesius, quamquam Thaletem dicunt fuisse hospitem ibi, non natum Mileti, sed fuisse Phoenicem, quod est mihi valde credibile. Ex Tyro et Aegypto attulit scientiam ad astronomiam, cuius dicunt primum propagatorem fuisse. Solon de eius consilio ordinavit menses et annos Athenis, et Theognis fuit in Sicilia, Solon Athenis, et Phocylides Mileti. Scripserunt eiusdem argumenti sententias. Post hos sunt secuti lyrici, aetas lyrica, ut Pindarus, Bacchylides, Alcaeus et multi alii. Postea sunt sequuti circulatores isti cum comoediis et tragoediis. Illa aetas habuit multa spectacula, sicut nunc nostra aetas scribit maledicos libros. Videtis, quam sit foecunda haec aetas. Solonis aetas videtur Iovialis aetas fuisse, fuerunt νομικοὶ, admodum libenter sententias morales scripserunt. Item restauraverunt respublicas, civitates: fuit aetas instauratrix Iovialis. Esdras et Nehemias fuerunt etiam legiferi scriptores sententiarum.

Aliqui ita respondent ad argumentum. Ethnica religio habet honestissimas sententias, respondent, sed acceptas a nobis. Et non discernunt Legem et Evangelium, et primam et secundam tabulam. Est igitur obscura et coeca responsio. Postea confirmant antiquitate. Moses fuit multo antiquior quam Homerus; verum est, Homerus fuit coaetaneus Esaiae, non multum deest. Fuit sapiens et ingeniosa aetas, sicut postea aetas bellatrix. Achilles fuit coaetaneus Davidi, Hercules Simsoni. In illa serie lucet mirabilissima sapientia Dei, quae mirabiliter ordinavit mundum, et cursus coelestes mirabiliter congruerunt. Homines studiosi ista debent iudicare. Valde multa possunt iudicari ex temporum collatione. Ista postrema aetas regitur a trigono Lunae. Est miser et contemtus trigonus. Istud tempus habet confusiones ex commixtione Martis, Lunae et Veneris, et Iupiter aliquo modo intercurrit, ne tam extreme malum sit: et nulla est peior constitutio in coelo, quae habeat plures confusiones quam huius temporis trigonus. Videtis esse tale tempus, non sunt iam bella, ubi fortitudine dimicetur, sed mavortia et lunaria, ubi tantum tumultus excitetur, et sine viribus tamen. Homines sunt proni ad tumultuandum et post factam turbationem postea desinunt, revertuntur iterum ad suas compotationes et deinde ad somnum: Vinoque iacent somnoque sepulti[8]). Nulla amplius restat gravitas, nulla sapientia, sed omnia lunaria et phantastica, nisi quod Deus servat aliquos in Ecclesia, ne plane extinguatur veritas. Postea multum est confusionum in libidinibus, in helluationibus et ingurgitationibus.

Dicunt Theognidis et Phocylidis scripta non esse ipsorum, sed esse antiqua carmina, tantum collecta ab ipsis, quod est mihi valde credibile.

Omnes virtutes debent referri ad Decalogum, et sicut monstratur vobis de sententiis in Theognide: sic imaginamini vobis de officiis Ciceronis, de Ethica Aristotelis et de honestissimis sententiis in legibus publicis. Totum Corpus iuris civilis ordine praecipit de secundae tabulae praeceptis, pauca de prima tabula: ut de quarto praecepto, quae officia parentes debeant natis, tutores pupillis et econtra. In quinto praecepto de caede et poenis homicidarum. In sexto de coniugio et poenis libidinum. In octavo, lex Cornelia constituit poenam in adversarios, punit crimen falsi[9]), et multa alia mendacia. Singulae partes in toto Corpore iuris pertinent ad aliqua praecepta Decalogi. Ita scitis esse sapientiam Dei.

Pax non tantum est bona propter tranquillitatem, quod homines possunt vivere in voluptatibus, sed etiam quod semel motis imperiis et rebuspublicis, postea fiunt vastationes et confusiones plurimarum rerum, fit perturbatio disciplinae, negligitur iustitia, homines induunt affectus ferarum, fiunt vastationes gentium, religiones distrahuntur, inducuntur odia in longam posteritatem, ex uno multa. Lucanus[10]):

Alta sedent civilis vulnera dextrae.

Quando civilia bella excitantur, ingruunt magnae vastationes, ita, ut ne longo quidem tem-

---

8) Virg. Aen. IX, 189.

9) De hac lege Cornelia *de falsis*, quae etiam *testamentaria* vocatur, conf. Instit. IV, 18, 7. et Orellii et Baiteri Onomast. Tullian. P. III. p. 163.

10) Lucani Pharsal. I 32.

pore reficiatur collapsus rerum status: universaliter, quando semel fit insignis destructio alicuius regni, nunquam postea recuperatur vetus dignitas. Ut, quando fuit facta destructio regni Aegyptiaci per Mosen, quod sine ulla dubitatione fuit omnium regnorum pulcherrimum, nunquam recuperavit pristinam dignitatem. Item regnum Babylonis destructum ab Alexandro. Item regnum Hierosolymae destructum a Nabuchodonosor[11]), nunquam est restitutum in pristinum statum. Ita sunt quaedam periodi regnorum. Ideo pax tuenda est, et fovenda magna moderatione, nec deberemus temere ruere ad arma.

Loquitur illud dictum de eventu, non quod recte actum sit, sed quod ita accidere solet. Sic oportet in sacris libris discernere dicta de facto et de eventu. In dicto de eventu est tecta admonitio de causa. Quicquid multis peccatur, multum est. Hoc ita fieri videmus, non quod ideo probandum sit. Quando multi deliquerunt, difficile est exequi poenas, ut poena sit nimis saeva. Quando aliquid dicitur aut docetur, plerumque incidit in moralia, in aliquam descriptionem virtutum vel vitiorum. Sententia in oratione est propemodum ut Maior in Syllogismo. Quando vis scribere ad propinquum: Quaeso suppedites mihi auxilia ad studia, aut quando scribis ad principem, tunc est tibi opus confirmatione: Quia est grata Deo pietas conservare studia et pro hac pietate Deus vicissim tribuit totis familiis et totis gentibus praemia, quia scriptum est: Amen, Amen dico vobis, qui dederit potum aquae frigidae, non perdet mercedem suam[12]). Hac sententia plus millies in litteris commendaticiis usus sum, et consecutus sum etiam ultra mille florenos hac ipsa sententia pauperibus scholasticis. Fuit valde bona sententia; etiam nos multum debemus isti sententiae, et est vera sententia, quia Deus dat multa bona pro talibus officiis.

Cum hoc anno bonus et sapiens homo venisset ad nos, scribebam fuisse mihi gratum tam tristi tempore conspectum optimi viri, cum quo ante et saepe essem multa locutus, sicut dicitur: *Εἰς ὄμματα εὔνου φωτὸς εἰςβλέψαι γλυκύ*[13]), id est, Intueri vultum sapientis amici est dulce. Hoc illi valde placebat. Vos itidem uti ea saepius potestis, cum ad aliquem scribitis, vos expetere ipsius praesentiam. Si nihil aliud, tamen hoc tristi tempore benevoli viri vultum tantum contueri dulce erit. Ille, ad quem scribebam, admodum delectabatur hac sententia. Hodie octavus dies est, cum essemus apud principem Megalopyrgensem[14]), recitabam hunc versiculum in mensa:

Auxilia parva firma consensus facit[15]).

Est unus ex Publii Mimis. Mimi dicti sunt, qui in comoediis facetias exercuerunt, quando fuit aliquod intervallum in theatro. Erant elegantes homines et spargebant bellissima dicta convenientia materiis, quae fuerant recitatae, saepe etiam taxabant alios. Publius in aula Augusti vixit. Cum igitur recitarem istum versiculum, princeps Iohannes Albertus dicebat ad Fridericum Malzan, ut versiculum annotaret. Homines sani, sapientes, non feroces, non barbari, quales sunt multi homines, delectantur consideratione bonarum sententiarum, sed aliqui putant esse pietatem contemnere tales sententias. Ego vidi ad Locham hîc in vicinia multas sententias scriptas manu ducis Friderici, quas affixerat parietibus collectas ex libris Erasmi et aliorum etc.

Agrippa una cum Augusto imperium gessit, habuit morosum dominum. Satis fuit morositatis in Augusto, et etiamsi fuisset placidissimus, sicut etiam fuit, tamen, etiamsi sine illa morositate fuisset, multa accidere possunt in imperiis, ubi homines non possunt consentire, etiam amicissimi. Optimi et sapientissimi valde errant. Ideo dixit Agrippa se multum debere huic sententiae: Concordia parvae res crescunt, discordia dilabuntur.

Illa multum possunt accidere in imperiis. Papa Paulus proximus[16]), quem etiam possumus annumerare sapientibus, solitus est habere in cubiculo suo non Breviarium, ein Betbuch, sed habuit magnum codicem Homeri, Florentiae expressum, et quando fuit tantum otii, stetit et adspexit unam atque alteram pagellam, et cogitavit aliquid commonefactione versuum excitatus.

11) Sic LXX. et Vulg. scribunt Nebucadnezaris, Babyloniae regis, nomen.

12) Matth. 10, 42. Marc. 9, 41.

13) Hoc est dictum Eurip. Ion. 732.

14) Scil. apud Iohannem Albertum, Marchionem Brandenburg., Coadiutorem Magdeburg.

15) Haec Publii Syri sententia in Ed. Milleri (iam supra p. 60. nota 4. laudata) v. 64. sic legitur: Auxilia humilia, firma consensus facit.

16) Paulus III. Papa 1534 — 1549.

Γνῶμαι, id est, sententiae de moribus. Proverbium est figurate dictum, sive contineat praeceptum, sive non contineat praeceptum. Hoc est proverbium: Man darf nicht Läuse in den Pelz setzen, sie wachsen sonst wol drinnen[17]). Est simul proverbium et sententia.

Megara non procul ab Athenis, et[17a]) colonia in Sicilia; ex illa Megara fuit Theognis. Orditur ab invocatione. Antiquitas fuit religiosa, et quamquam fuit depravatio, tamen manserunt ritus et mores. Ab invocatione solis et lunae orditur: quando discedit genus humanum ab agnitione verbi Dei, delabitur ad creaturas, praecipue vero coluerunt illa pulcherrima lumina, solem et lunam.

Vs. 1.[18]) O rex fili Latonae] illa habent allegorias. *Λητὼ* est a latendo. Non fuit lumen ante solem et lunam. Illa corpora sunt lumina mundi. Illae invocationes sumptae sunt ex meris tenebris.

Vss. 1—4. Iovis soboles, non obliviscar tui, sed semper primum te inter medios et ultimos cantabo.] Nazianzenus[19]) *Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιεῖ Θεὸν*, id est, Debemus in principio negotii, in medio et in fine invocare. A prece principium, de prece finis erit. Pono casum, quod Theognis lunae et solis conditorem invocat, tamen errat, quia non agnoscit Deum, qui se patefecit in Ecclesia, qui est pater Domini nostri Iesu Christi. *Φοῖβος* a *φάος*, lumen, *φαίνω*, *φοῖβος*, id est, illustrator, lucifer.

Vs. 6. Attingens palmam tenellis manibus.] Dicunt Latonam, fugatam a Iunone, non habuisse hospitium in terra, (id est, sol et luna sunt condita ante terram,) et tandem elapsam in Delum, ibi enixam esse, et cum venisset in Delum perterrefactam a Iunone, apprehendisse palmam, et ibi esse enixam. Credo hoc factum esse, quia ara stetit ad palmam. Jn Delo ist ein gros Walfart gewesen. Ex Scythia sunt eo allata dona. Palma in Palaestina gignit generosissimum fructum, nostrae sunt steriles. Pulchre alludit ad lumen solis.

Vs. 7. Ad paludem rotundam, circularem,] quia dicunt paludem ambire totam insulam. Hoc etiam est in Callimacho[19a]) sicut et reliqua.

Vss. 8. 9. Delus impleta est odore divino, risit terra.] *Πέλωρον*, was man fern sieht, a *πέλας* et *ὁρᾶν*. Sol est lumen mundi et sine isto lumine quid essent caetera? Illa corporalis lux est umbra aeternae lucis. Scriptum dicit: Sicut sponsus egreditur de thalamo[20]). Dicit de sole, intelligens filium Dei. Fieri potest, quod primi patres sunt multa philosophati de sole, quae sunt mutata in idololatrica[21]), sicut in Ecclesia signa sunt mutata in numina.

Vs. 12. Collocavit, aut assimilavit[22])] fecit ei statuam, quando in Troiam navibus celeribus navigaverunt.

Vss. 13—15. Audi me precantem, depelle malum fatum, morbos, pestes. Tibi Dea parvum est, mihi magnum.[23])] Musas ipsi vocant vim divinam, quae ingenia moveat et exuscitet ad sapientiam, ad scribendum et canendum. Et hic nominat Musas et Charites. Fuit usitatum eodem loco colere Musas et Charites, quia sapientia debet esse coniuncta cum iustitia et beneficentia. Seneca: Philosophia affert tria:

I. Sensum communem, id est, rectum iudicium, rectum discrimen bonarum et malarum rerum, quod intelligit, ad quid sit natura ordinata, intelligit causas actionum, habet delectum.

II. Humanitatem. Humanitas est iustitia mixta, copulata aliis virtutibus mitioribus. Est iustitia et beneficentia, non tantum est comitas. Comitas est una pars et species.

III. Congregationem. In quibus est aliquid mentis, student fovere consociationem bonam,

---

17) Hoc proverbium affertur etiam in hisce libris: J. Eiselein: die Sprichwörter u. Sinnreden des deutschen Volkes in alter u. neuer Zeit. (Freiburg 1840. 8.) p. 412.; W. Körte: Die Sprichwörter u. sprichwörtl. Redensarten der Deutschen. (Leipz. 1837. 8.) p. 271. nr. 3720.; Die deutschen Volksbücher gesammelt u. in ihrer ursprüngl. Echtheit wiederhergestellt von Karl Simrock. Tom. V. (Frankf. a. M. 1846. 8.) p. 287. nr. 6222.

17a) et] sic scripsi; Ed. 1560. est.

18) Hos versuum numeros ex Ed. Bekkeri aeque ac in Melanthonis interpretatione praecedente ipse adscripsi; in hac enim Mel. explicatione aeque ac in illius interpretationis editionibus versuum numeri non inveniuntur.

19) Gregorii Theologi, vulgo Nazianzeni, Archiepiscopi Constantinopolitani, carminis XXX. vs. 1., in eius Operum Tom. II. ed. Caillau (Parisiis 1840. Fol.) p. 583., ubi hic versus sic legitur: *Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιοῦ Θεόν*.

19a) Callim. hymn. in Apollinem 59.

20) Psalm. 18, 6.

21) idololatrica] Ed. 1560. idolatrica.

22) Collocavit aut assimilavit] sic h. l. Mel. vertit *εἷσαθ'*; in interpretatione legitur: Placavit.

23) His e vs. 15. interpretationis addenda sunt verba: „Musae et Gratiae", quippe ad quae haec annotatio spectat.

et conservationem, congregationem et communicationem sui. Malum est destructio et dissipatio sui.

Musae et Charites, id est, iustitia et beneficentia. Primi cultus continebant aliquas commonefactiones, quia flectebant animos ad aliquos bonos mores et officia virtutis.

Vss. 15—17. Quae venientes in Cadmi nuptias, dicunt pulchrum verbum. Quod pulchrum est, hoc est gratum etc.] Cadmo data est uxor Harmonia; ibi Deae fuerunt in sacro nuptiali, et Musae cecinerunt epithalamion. Was schön ist, das ist lieblich. Intelligatur primum de honesto. Nullus homo, quantumvis barbarus et malus, qui non cogatur approbare, velit, nolit, honesta, etiamsi dissimulat. Ovidius[24]):

Nomen amicitiae barbara corda movet.

Virtus etiam in hoste est admirationi, etiamsi est morbus et perversitas naturae talis, ut improbet, tamen facit contra conscientiam. Aristoteles[24a]): *Πᾶν καλὸν ἡδύ.* Sua natura semper est permixta suavitas honesto. Omne honestum fit suave, in quantum honestum. Mors in acie, quamquam est destructio illius individui, tamen virtus lenit in acie atrocitatem mortis.

Pulchrumque mori succurrit in armis[25]).

Vs. 18. Immortalium] id est, hoc carmen cecinerunt Musae.

Vs. 19. *Κύρνος*] frater vel amicus. Multum refert scire, qui sint autores monumentorum, eorum librorum, qui continent res salutares et necessarias. In Ecclesia multum refert spargi non *ἀδέσποτα* scripta. Es ist nicht gut Bücher schreiben und keinen Namen darbey. In primis in Ecclesia multum refert scire, quomodo et a quibus profecta sit doctrina.

Vss. 19. 20. Mihi docenti apponatur sigillum super hos versus.] Volo addere sigillum, id est, meum nomen.

Vss. 20. 21. Ne clam depravetur, ne alius inserat, quod ipsi videtur. Neque aliquis putabit peius praesente bono.] id est, quando habes aliquid boni, non quaeras tibi aliquid deterius pro illo bono.

Vs. 22. Sic unusquilibet dicet: Illa sunt carmina Theognidis] id est, dicet: Non volo habere deterius carmen quam Theognidis.

Vs. 24. Nondum possum placere omnibus.] Nullus propheta acceptus in patria[25a]), nemo est, qui omnium iudiciis placet. Homines sunt natura superbi et morosi, et est magna diversitas iudiciorum: propterea unus, etiamsi habet multas dotes, tamen non placet omnibus. Scipio non placuit omnibus etc.

Vss. 25—27. Neque Iupiter placet omnibus, sive pluendo, sive faciendo serenitatem.

Volens suggeram, subiiciam] Propositio.

Vss. 27. 28. Qualia ipse didici] Iam orditur praecepta.

I. Praeceptum de iustitia, ne quis opes et honores iniuste paret. Hoc pertinet ad quintum praeceptum Decalogi: Non occides. Callimachus in fine hymni ad Apollinem habet hos versus de invidia[26]):

Livor ait Phoebo dicens clam talia in aurem:
Non miror vatem, qui non effundere tantum
Sermonis flumen possit vim pontus aquarum,
Quam magnam voluit. Pede sed detrusit Apollo
Livorem dicens: Euphratis flumine magno
Plus coenae semper mixtae sordesque vehuntur.
Parva sed haurit apis Cereri de fontibus undam,
Limpida de summo saliit quae vertice montis.
Livor ubi infelix pereat, cogatur abire.

Vss. 29. 30. Docearis, sapias, (Lasse dich unterweisen) non trahe, attrahe turpibus factis honores, neque potentiam, gloriam, neque divitias.] Primum praeceptum est, ne iniuste attrahantur opes vel honores.

II. Praeceptum: Vitato malorum consuetudinem. Salomon[27]): etiam ponit in principio: Paene incidi in omne malum, in medio multitudinis. Multi corrumpuntur malis exemplis, *οὐδὲν κακίον κακῆς ὁμιλίας.* Vita multum regitur exemplis, naturae sunt sequaces. Item, bonos etiam aliqui imitantur ad meliora.

Vss. 31. 32. Haec ita scito, adhaereas bonis.] *ἔχομαι* cum genitivo significat adhaerere.

Vs. 36. Etiamsi quid est mentis, tamen perdes.] Seneca citat dictum ex Epicuri dictis:

24) Ovid. ex Ponto epist. III, 2, 100.

24a) Conf. Aristot. Rhetor. I, 7, 24. Ed. Buhle.

25) Virg. Aen. II, 317.

25a) Luc. 4, 24.

26) Callimach. hymn. in Appollinem 105 sqq.

27) Prov. 5, 14.

Tunc praecipue secedas intra te ipsum, cum es in turba, id est, Hab acht auff dein Wort und rede.

Vss. 37. 38. Aliquando dices me bene consulere amico] id est, ages mihi gratias pro praecepto; si obtemperabis, comperies in eventu in rebus ipsis, esse salutare praeceptum.

Consideratio est, quae praecepta vel admonitiones ad quas virtutes vel titulos referendae sint, imo unde petendae sint definitiones virtutum, videlicet ex Decalogo.

Homo etiam motus et gestus regere debet, ut vitare aliquo modo offensiones possit, quia omnes vitare non potest, quod iniustitia evertit urbes.

Iniustitia evertit urbes.
Omnes homines quocunque tempore sunt iniusti.
Ergo quotidie essent evertendae urbes.

Respondeo ad Maiorem: Iniustitia evertit urbes, iniustitia scilicet atrocium scelerum, wenn mans zu viel macht. Deus dicit in Amos[28]): Peperci tibi semel atque iterum, tertio non parcam.

Nos omnes habemus multa peccata, et merueramus poenam et mortem, et habemus poenas. Sed tamen Deus parcit, ut aliqui redeant ad poenitentiam, ut aliqui convertantur, ideo differt poenas. Arborem malam et sterilem Deus non iubet eradicare, sed expectare annum istum, cum feret aliquid. Deus propter Ecclesiam semper aliquos servat, sicut propter paucos erat servaturus Sodoma. Sed quando est atrocitas, tunc venit poena. Quando sunt magna delicta et impunita, tunc veniunt poenae. Nam atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita.

Οἷατ' ἀνὴρ ῥέξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Est dictum de atrocibus, et dictum est de iustitia et iniustitia civili, et de poenis civilibus. Qui non habet iustitiam obedientiae vel disciplinae civilis, multo minus habet spiritualem iustitiam. Qui facit peccatum, scilicet contra conscientiam, ille ex diabolo est, inquit scriptura[29]). Ideo etiam utitur verbo facere in isto loco.

Totum genus humanum est in peccatis, et tamen Deus colligit Ecclesiam, et quando non puniuntur atrocia scelera, evertuntur totae gentes et respublicae. Lacedaemonii non voluerunt punire nebulonem, qui stupraverat filias Scedasi, ibi ipso in loco victi sunt acie Lacedaemonii, et amiserunt libertatem, et in servitutem venerunt et plane conciderunt. Post atrocia scelera veniunt furiae, Erinnyes, qui impellunt homines, ut attrahant poenas, ut non possint quiescere. Et filius Dei inquit[30]): Qui gladium acceperit, etc.

Qui gladium acceperit, gladio peribit.
Reges accipiunt gladium.
Ergo gladio peribunt.

Respondeo ad Maiorem: Qui gladium acceperit, scilicet non datum a legibus, qui ipsi rapiunt suo arbitrio, non datum a legibus. Est vox divina etiam de iustitia civili in toto genere humano. Qui acceperit gladium. Sic etiam concionatur nobis per poenas, sicut concionatur per vocem suam, quia nunquam audietis homicidas impune evadere, sed attrahi mirabilibus casibus ad poenas. Quare Deus illa servat? Quia vult agnosci, qualis sit ipse, ut agnoscatur discrimen iustitiae et iniustitiae, et quod ipse sit iustus, et quod postea sit futurum universale iudicium, ubi punientur illa iniusta, quae hic non sunt punita. Ut chaos diabolorum, Nero, interfecit Paulum, et sequenti anno se ipsum interfecit, erat poena, sed tamen postea punietur in omni aeternitate propter multa sua scelera. Salomon dicit[31]): Iustitia stabilitur thronus. Hoc vult dicere Theognis.

Vs. 39. Cyrne, ista civitas est gravida,] heist nicht parit aut concepit. Duo sunt verba in Psalmo Miserere[32]): *κύειν καὶ κισσᾶν*[33]). *Κίσσα* significat in gravidis appetitionem inordinatam. Vocatur pica, wenn sie lust haben seltzam Ding zu essen. *Κισσᾶν* significat appetitionem in conceptu. Est bono verbo usus in Psalmo. Significat illam inordinatam appetitionem esse transfusam in nos. Hoc vult dicere: Tales gignimus, quales nos sumus.

Vs. 40. Castigatorem nostrae contumaciae, petulantiae,] *ὕβρις*, id est, Trutz, est nomen convenientissimum. Graeci habent duo genera iniuriarum. Petulantia est in levioribus; contu-

28) Hunc locum in Amoso non inveni.

29) 1. Ioh. 3, 8.

30) Matth. 26, 52.

31) Prov. 25, 5.

32) Psalm. LI. (in LXX. et Vulg. Psalm. L.).

33) Vocem יֶחֱמַתְנִי in Psalm. 51, 7. LXX. vertunt *ἐκίσσησέ με*, Symmachus *ἐκύησέ με*.

macia in saevioribus, superbia etiam. Sed haec omnia significat ὕβρις. Quod Latini vocant iniuriam atrocem, hoc Graeci vocant ὕβριν[34]), quando dicis me esse haereticum etc. ὕβρις, id est, nullas leges, nulla vincula disciplinae curare. Turca est magister, qui bene potest principes castigare. Salomon[34a]): Propter peccata multi sunt principes, id est, multae mutationes regiminum, mutantur regimina, et crescit servitus.

Vs. 41. Cives populi.] Das arm Völcklein, non quidem habet atrocia peccata.

Sed gubernatores,] Potentes potenter tormenta patientur, dicit scriptura[35]). Es ist kein Emptlin so klein, es ist hengens werd[36]). *Ταμίαι*[36a]), id est, quaestores, Amptleut. *Λαμίαι*[36a]), id est, stryges. Nam est paronomasia propter vicinitatem vocabuli discedere, cum quadam illustri pictura. Regimina sunt tam tristia propter peccata nostra; si emendaremus nos, essent mitiora.

Vss. 42. 43. Versi sunt. Nondum boni ullam civitatem perdiderunt.] Bonus vir, ein fromer oder erbarer Man. Bonus vir est, qui habet iustitiam universalem, qui est iustus iustitia universali, qui nullum habet crimen, propter quod possit dici famosus. Est affirmativum et negativum. Was heisst Iustus iustitia universali? Qui habet obedientiam externam in omnibus praeceptis externis. Qui violat aliquod praeceptum, est infamis saltem de facto. Ut cum aliquis est adulter, ob man jn wol nicht einen Ehebrecher schilt, tamen est adulter.

Boni viri non evertunt civitatem.] Quare? Quia bonum est conservativum, communicativum et congregativum sui. Bonus vir est bonum publicum, dicit Menander[37]). Nostra privata civilis iustitia debet habere duos fines, privatum et publicum, sicut Aristoteles in principio V. Ethicorum[38]). Debes referre actiones etiam ad communitatis conservationem, debes esse iustus, ut tibi bene sit, das man dich nicht henget. Postea debes esse iustus, ut parcas aliis. Non sitis ceu bestiales, ut non velitis considerare voluntatem Dei, et aliquid de communibus officiis vitae.

Vs. 44. Tum pereunt civitates, quando malis placet contumaciter iniuste agere, atroces iniurias facere.] Scio, quod non parcis delinquenti, ait Iob[39]). Puniuntur omnia peccata, et magna et parva. Magna habent poenas magnas, parva vero minores, et quia omnes habemus peccata, ideo omnes habemus poenas, etiamsi iuvenes non sentiant. Nam recte dicit Solon:

Intrant in thalamos publica damna tuos[40]).

Quando corrumpunt populum, et quando dant iudicia iniustis, id est, quando iudicant pro iniustis, quando absolvunt sceleratos, non puniunt eos, propter propria lucra et propriam potentiam, ut historia de tribu Beniamin[41]) et de Scedasi filiis[42]).

Vs. 47. Speres, id est, existimes, non diu illam civitatem quietam fore.]

Non mihi sit servus, medicus, propheta, sacerdos.

Omnes tales sumus, sed delicta dominorum sunt conspectiora nostris, propter eminentiam personarum et locorum. Wenn das kompt, so komen die poenae, so hat das Regiment ein ende. Tum venit ἀδραστεία, id est, inevitabilis, dem man nicht entlauffen kan, vel Nemesis. Nemesis comitatur superbiam. Wenn der Trutz kompt, so komen poenae.

Κόρος ὕβριν τίκτει[43]), *ὕβρις τιμωρίαν.*

Hochmut macht trutz,
Trutz bringet straff. Est iustitia Dei.
Gut macht mut,
Mut macht ubermut.

---

34) Conf. huius Corp. Reform. Vol. XVI. p. 602 sq.

34a) Prov. 28, 2.

35) Sap. 6, 7.

36) Hoc proverbium afferunt etiam Körte l. l. p. 16. nr. 150., Eiselein l. l. p. 25., Simrock l. l. p. 13. nr. 271.

36a) Hae voces non sunt Theognidis, sed pertinent ad dictum quoddam h. l. omissum.

37) Hoc dictum in Meinekii editione reliquiarum Menandri et Philemonis (Berol. 1823. 8.) non inveni.

38) Aristot. Ethic. Nicom. V, 2.

39) Iob. 9, 28.

40) In Solonis elegiarum fragm. 3, 26 — 29. Ed. Bergk. (Poetae lyrici graeci. Edidit Th. Bergk. p. 322.) haec leguntur:
Οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάστῳ,
αὔλειοι δ' ἔτ' ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι,
ὑψηλὸν δ' ὑπὲρ ἕρκος ὑπέρθορεν, εὗρε δὲ πάντως,
εἰ καί τις φεύγων ἐν μυχῷ ᾖ θαλάμου.
In Ed. Sylburg. (Theognidis, Phocylidis, Pythagorae, Solonis et aliorum poemata gnomica. Graece et lat. opera Fr. Sylburgii. Ultrajecti 1659. 16°) p. 124. eadem paucis mutatis afferuntur.

41) Iudicum 19 — 21.

42) Conf. supra p. 70.

43) Conf. Theogn. sentent. 153. Ed. Bekk. et Solonis eleg. fr. 7. Ed. Bergk.

Ubermut macht neid,
Neid bringt streit.
Streit bringt armut,
Armut macht demut[44]).

Deus est executor vel per magistratum, vel immediate, vel per diabolos, vel per sanctos angelos. Boni angeli merserunt Pharaonem in mare. Item boni angeli et ipse filius Dei incendit Sodomam. Pluit Dominus, id est, filius, ignem et sulphur a Domino[45]), id est, a patre, filius iniecit ignem tectis istius loci, acceptum ab aeterno patre, id est, decreto aeterni patris.

Sera tamen tacitis poena venit pedibus[46]).

Vss. 49. 50. Quando haec fiunt grata malis hominibus, lucra venientia cum malo publico.] Ante bellum civile, die heilosen Leute, ut sunt Brutus. namen in die 50 gülden von 100, et alii foeneratores. Centesima, id est, quae centesimo mense aequat sortem. Zwölff Gülden von 100 est in Iure[47]) et in libro Nehemiae[47a]). Brutus accepit 4 centesimas. Iam dant 2 centesimas, 25 von hundert. Imperator restituit legem aliquam in Belgico, ut non detur actio ultra duodecim. Ideo fingebat Romae bellum civile Iulius Caesar, erat εὐϑυντήϱ. Quando duplicantur lateres, tunc venit Moyses. Dictum est Capnionis[48]). Iam etiam fit, id est, quando onera publica crescunt, mutantur regimina. Deus leniat. Omnes bonae et salutares mutationes in natura fiunt paulatim, inquit Seneca, πᾶσαι μεταβολαὶ μετὰ φύσεως ἠϱέμα γίγνονται.

Vs. 51. Ex illis est seditio et civiles caedes virorum.] Da ein Geschlecht sich selbs auffreibt. Φύλα, Geschlecht.

Vs. 52. Monarcha, tyrannus nunquam placet isti civitati] Lasts nicht dazu komen, ut faciamus ex ἀϱιστοκϱατεία tyrannidem, ex imperio senatus Caesareum imperium, sicut Romae fiebat. Sed quando fiunt, tum sunt poenae, quia Deus punit. Es ist noch das arme Witteberg, aber es sind nicht mehr die Leute.

Vs. 54. Qui antea fuerunt, non norant iudicia neque leges.] Id est, non appetiverunt lites; non dicit, das sie nicht Iudicia gehalten haben, sed dicit de litigatoribus, als jtzt mit den Procuratoribus. Pater Lysiae oratoris solitus est se redimere pecunia, a quibus aliquid metuebat, et cum gesserat magistratus 70, nunquam accusatus est. Est magna insania appetere lites. Alcibiades: Si potes fugere, non committas te iudicio; ἐξὸν φεύγειν, μὴ ζήτει δίκην.

Vss. 54. 55. Non norant iudicia, id est, non erant captiones forenses, lites, sed conferebant circa costas pelles caprarum.] Das sind jre Schauben[49]) gewesen. Id est, erant induti vestitu rustico. Graeci fuerunt caprae, et habuerunt multas capras, et habuerunt vestes caprinas, et comparantur capris, et Homerus tantum der Ziegen Kese facit mentionem[50]). Olim pagi non fuerunt, sicut apud nos. Unusquilibet habebat domunculam suam in agro. Wo die Häuser an einander sein, ibi sunt oppidula. In Italia non sunt pagi tales, ut apud nos, coniunctis aedibus.

Vs. 56. Tenebant, possidebant urbem sicut cervi.] Id est, placide, non litigiose. Ἔλαφος est placidus, dicunt esse sine felle. Iam nos sumus tales, wo einer den andern mit worten morden kan, oder einen mordstich geben, das thut er, et in primis nos theologi, quia scriptum est: A senioribus in Israel egressa est iniquitas[51]). Est querela de laxatione disciplinae, quod illa aetas sit fallacior et rixosior. Homerus[52]):

Οὐκ ὁσίη γενεῇ κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισι[53]).

Mala aetas hominum struentium sibi mala. Homines sibi ipsi sunt mala. Nostrum Germanicum genus olim fuit multo beneficentius, quam nunc est, magis inclinatum ad bonitatem, multo

44) Eadem afferuntur a Simrock. l. l. p. 190. nr. 4134. Conf. Körte l. l. p. 181 sq. nr. 2469. et Eiselein l. l. p. 262.

45) Genes. 19, 24.

46) Tibull. I, 9, 4.

47) Vide Adam: Handbuch der röm. Alterth. übers. v. Meyer. Tom. II. p. 346. et Schweppe: Römische Rechtsgesch. u. Rechtsalterth. 3. Aufl. v. Gründler. p. 475—479. §. 260—263.

47a) Conf. Nehem. 5, 7—10.

48) Iohannes Capnio seu Reuchlinus, Professor Tubingensis.

49) Haec vox ab Adelungio in Lex. sic explicatur: Die Schaube, nur in einigen Oberdeutschen Gegenden, ein Name eines langen Mantels, u. eines demselben ähnlichen Kleides, welches den ganzen Leib bedeckt u. von beiden Geschlechtern getragen wird. Conf. etiam Schmeller: Bayerisches Wörterb. Tom. III. p. 306. s. h. v.

50) Hom. Od. IX, 232. 246 sq.

51) Conf. Hist. Susannae 5.

52) Hom. Od. XVI, 423.

53) *Οὐκ — ἀλλήλοισι.*] sic Ed. 1560.; in Hom. Ed. Wolf. hic vs. sic legitur:
— *οὐ δ' ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν.*

humanius et fidelius. Omnia sunt acta fideliter in pactis, ut pulchrum est exemplum simplicitatis Germanicae non vetustissimum. Quando obsedit imperator Conradus[54]) Guelphum, ducem Bavariae, et in oppido Weinsburg, quae est patria Oecolampadii, cum sit munitum oppidum, mulieres peterent, ut liceret discedere cum iis rebus, quas ipsae gestare possent: concessit imperator, dedit eis fidem publicam, ein Geleit. Mulieres gestarunt suos viros, nobilissimos homines et nobilissima corpora. Dictum est imperatori, mulieres eludere pacta. Imperator tunc audito consilio tam pulchre cogitato, delectatus est ista humanitate, et iussit, ut portarent in suum tentorium. Facta est pax, et pransi sunt, et discessum est cum bona pace. Iam homines non sunt tales.

Vs. 54. *οὐ δίκας ᾔδεσαν νόμους τε*[55])] Id est, non litigabant, non certabant, sed circa latera, costas conferebant pelles caprarum. Iste fuit vestitus Graecus.

Vs. 56. Possidebant urbem habitantes in agris, villis suis.] Vivebant inter se placide, sine cupiditate nocendi, sicut cervi.

Vs. 57. Nunc sunt praestantes] ut Alcibiades. Non vocat *ἀγαθοὺς* iustos, sed praestantes, eminentes, nobiles, sicut Athenis fuit Alcibiades, der hat etwas golten.

Qui autem antea fuerunt praestantes] ut Nicias, hat Athenis nichts golten.

Vs. 58.[56]) Oculi seniorum vehementissime offenduntur, quando vident novam speciem incurrere in conspectum, quae species significat mutationem morum, ut in incessu.

Vs. 59. Decipiunt ridentes contra se mutuo.] Alter ridet in alterius calamitate, ut sunt *ἐπιχειρέκακοι*, id est, laetantur aliorum calamitatibus, est malum vitium. Diabolus est talis, cui gratis etiam placet nocere, ubi nulla pervenit ad eum utilitas. Perinde facit, ut homo robustus vagans per plateam, et videns ludentes pueros, et ille dispergeret pueris cerebrum in via, et conculcaret pedibus etc. Sic diabolus perdit miserum genus humanum, et nihil pervenit ad eum utilitatis, sed tantum odio Dei et filii Dei facit, et hoc debet nobis esse consolationi, debetis hoc cogitare in quotidiana precatione. Ego saepe cogito, quia, si tantum odio filii Dei facit, ergo filius Dei etiam nos eo magis defendit.

Vs. 60. Non scientes discrimina bonorum et malorum.] Illa est querela omnium temporum; sed tamen alia tempora sunt aliis magis placida. Quando motae sunt respublicae, multa vitia erumpunt, homines minus coherceri possunt. Disciplina melius regitur in republica pacata.

Septimo die Iulii pugnatum est ad Chaeroneam[57]), et hodie sunt anni 1888, quando sunt victi Athenienses magno proelio; tum dimisit Philippus captivos sine pretio vel compensatione, fuit moderatus in ista victoria, tamen ipse fuit superbus, sicut non potest penitus occultari hoc malum, voluit coli pro Deo; postea est interfectus, vixit circiter semestre post istam victoriam[58]). Ante Christi nativitatem sunt anni 338.

Vs. 61. *Μηδένα τῶνδε.*] IIII. Praeceptum, fugienda societas factiosorum hominum et perfidorum.

Vss. 61—65. Neminem horum factiosorum facito amicum ex animo, propter nullam causam aut utilitatem, sed videaris omnibus lingua amicus esse, misceas negotium cum nullo nullum serium.] Est commune praeceptum, quod est in scriptura[58a]): Non quemlibet introducas in domum. Adhibe prius considerationem et cautionem, ne impliceris illius malis negotiis, et tu simul pereas. Qui amat periculum, peribit in illo. Qui tangit picem, inquinatur, Salomon[59]). Quintus scribit ad fratrem Ciceronem[60]): *Μέμνησο ἀπιστεῖν, ταῦτα ἄρθρα φρενῶν.* Illud memento esse nervos et artus sapientiae, *νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ταῦτα ἄρθρα φρενῶν.* Sobrius esto, memento diffidere, hi sunt artus mentis, *ταῦτα ἄρθρα φρενᾶν.*

Franckfordiae vidi in pariete virginem texentem coronam ex herba, quam sane vocamus Teu-

54) Conradus III. a. 1140. hanc urbem obsedit.

55) *οὐ — νόμους τε*] sic Ed. 1560.; apud Theogn. haec leguntur: *οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους.*

56) Sequentia spectant ad verba vs. 58.: quisnam haec ferret respiciens?

57) Philippus, Macedonum rex, Athenienses Thebanosque ad Chaeroneam vicit a. 338. a. Chr. (Ol. CX, 3.) septimo die mensis Attici, qui Metageitnion nominatur.

58) Philippus a. 336. a. Chr. (Ol. CXI, 1.) a Pausania, satellitum centurione, interfectus est.

58a) Ecclesiasticus 11, 31.

59) Utrumque dictum legitur in Ecclesiastico 3, 27. 13, 1.

60) Sequens Epicharmi versus non in Q. Ciceronis, sed in M. Ciceronis epistola ad Atticum I, 19, 8. Ed. Orell. sic legitur:
Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

crion, Je lenger je lieber. Libenter utor nomine Teucrion, a Teucro. Teucrion medetur morbis splenis. Erat ibi rhythmus:

Je lenger je lieber ich bin allein,
Denn trew vnd warheit ist worden klein.

Es ist nicht gut mit vielen Leuten zu thun haben, das werdet jr wol innen werden, wenn jr werd alt werden.

Vs. 65. Cognosces et sensus.] φρένας, id est, diaphragma, quia continet pectus. Hîc continens pro contento ponitur.

Vss. 65. 66. Infelicium hominum, quod eis de negotiis nulla est fides, id est, fidelitas.] Nusquam tuta fides etc.

Vs. 67. Sed amant dolos, deceptiones, perplexitates, intricationes.] Wenn einer eine böse sache hat, mus er viel gewirre machen, gleich als Leute, die da wollen zu boden gehen. Wenn einer viel ungereimpts dings anhebet, so ists eine anzeigung, das er wil zu boden gehen. Seneca: Difficile est unum hominem agere, id est, propria facite, sicut Paulus dicit: Wenn man viel ungereimtes Dings ansehet extra vocationem, so gehets ungereimt. Commenda Deo viam tuam, id est, vocationem, invoca eum, ut te gubernet, expecta auxilium, nihil facias extra vocationem, et ipse faciet.

Vss. 69. 70. Nunquam confidens delibera cum malo viro, quando vis facere rem seriam.] Da etwas an gelegen ist.

Vs. 71. Sed vadens delibera ad bonos] Nach einem frommen Man.

Vs. 72. Multum laborans, etiamsi sit suscipiendum longum iter, et procul quaerendus bonus, faciens pedibus longum iter.] In Ecclesiastico [61]): Qui cito credit, levis est corde.

Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus et minus dolebis [62]).

Vss. 73—75. Negotium nullum prorsus communica omnibus, pauci ex multis habent fidelem animum, aggredere magna negotia, confidens paucis hominibus.] Id est, quando es aliquid unquam suscepturus, vide, quos sis habiturus socios, quia plerumque perfidiae confoederatorum evertunt negotia.

61) Ecclesiastic. 19, 4.

62) Martial. XII, 34, 10 sq.

Unus ex praefectis in ducatu Wirtenbergensi, captus est a duce Wirtenbergensi mortuo propter negotia gubernationis, cum ipse pro se dixisset causam in iudicio horis quatuor continuis magno animo, etiam constantissime est mortuus. Sententia lata est. Ut decollaretur, cum educeretur ad supplicium, constanti vultu et animo restitit et dixit: Videte amici, iam ego ad mortem accedo. Ego habui bonam voluntatem, sed commisi me hominibus infidelibus, et discite meo exemplo. Et dixit haec Germanica verba:

Was einer allein nicht erheben kan,
Das sol er selbander ligen lan.

Quod tu solus per te non potes efficere, non cogites te sociorum opera effecturum, quia non sunt fideles, et haec in magnis causis multum valere sciunt isti, qui considerant vitam, qui sunt experti.

Vs. 76. Ne unquam accipias immedicabilem dolorem.] ἄκεστον [63]), id est, medicabilem. Homerus: ἀκεσταὶ δὲ φρένες ἐσθλῶν [64]). Bonae naturae sunt sanabiles, die hören. Wem nicht stehet zu sagen, dem stehet nicht zu helffen.

Vss. 77. 78. Fidelis vir dignus compensari auro, den man kauff, vorziehe pro auro et argento in periculosa dissensione] Das sehet jr itzt wol, wenn uneinigkeit wird, tum pauci sunt fideles. Paucos invenies socios fideles in asperis et periculosis rebus. Ovidius [65]):

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Vss. 81. 82. Qui ausint retinentes consentientem animum, participare aequaliter bona et mala.] Id est, qui velint esse amici in rebus secundis et adversis.

Regina Danica [65a]) fuit comes exilii mariti sui, et cum ipsi offerretur regnum, non voluit esse regina in regno. Est pulchrum exemplum fidei coniugalis, erat socia aerumnarum maximarum et non solum socia, sed etiam studebat lenire etc.

Vss. 83. 84. Ipsos non invenies quaerens, neque inter omnes homines, quos non una navis omnes possit vehere.] Wenn du schon ein grosses Volck wolst zusamen bringen, kanstu nicht solchen finden, qui velit esse socius et adversae et secundae

63) ἄκεστον] sic Ed. 1560.; Theogn. v. 76. habet ἀνήκεστον (insanabilem).

64) Hom. Il. XIII, 115. Ed. Wolf.: ἀκεσταί τοι φρένες ἐσθλῶν.

65) Ovid. Trist. I, 5, 25 sq.

65 a) Isabella, uxor Christiani II., cum eo a. 1523. ivit in exilium.

fortunae, quibus sit in lingua et in oculis pudor. Seneca: Malus est minister regii imperii pudor. Qui est in aula tyrannica, illum oportet multa facere scelerate, et illum non oportet pudere. Ist eine harte rede, und ist gleichwol die bittere warheit.

Vs. 86. Et quos non ducit lucrum ad turpe negotium.] Wir wollens umbkehren.

Vs. 87. Non ames verbis.] Amanter complecti est στέργειν, inde dicitur στοργή. Ut ameris, amabilis esto. Non tantum dicit: Ut ameris, ames; sed et sis suavis. Aliqui sunt quidem amici, sed horridi et asperi. Στέργετε τοὺς φιλέοντας (Est versus Bionis) ἵν', ἢν φιλέοιτε, φιλῆσθε. Ut, si amabitis, amemini.

Vss. 87. 89. Habeas cor alibi. Aut me amato sinceram mentem ponens, aut me recusans, id est, non sit fucata amicitia.] ἀποειπεῖν, id est, abnegare, abiurare, recusare, verschweren, von sich thun. Paulus: ἀποείπετον Ἰουδαϊσμόν [66]). Illo verbo utimur in abiurationibus.

Vs. 90. Tollens litem aperte, manifeste.] Aut sis aperte amicus, aut sis aperte inimicus. Nihil sit occultum, neque fucatum, neque sint fucosae inimicitiae, neque amicitiae. Qui una lingua seorsim habet animum, vel dupliciter, ille socius periculosus, perniciosus, folglich [66a]) melior esset hostis quam amicus.

Vss. 93. 94. Si quis laudat te, separatus, cum est alibi, emittit malam linguam.] Usitatum est obtrectare absentibus, et coram vel blandiri, vel certe non insuavia dicere.

Vs. 95. Ἑταίρους vocat, qui nobis se quoquo modo adiungunt. Talis socius non est bonus amicus, qui dicit lingua optima et aliud sentit. Haec omnia pertinent ad praeceptum: Non dicas falsum testimonium. Pindarus [66b]): ὄψον αἱ κακολογίαι. Obtrectationes sunt pars coenae et prandii, das beste Gericht, et optimum condimentum est in mensis et congressibus hominum. Quidam capiunt summam voluptatem ex talibus fabellis, et recitantur Augustini versus agrestes quidem, sed tamen sententia est bona:

> Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
> Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Vss. 97—99. Talis sit mihi loco fratris, qui noscens, introspiciens fert iram, scilicet reprehendentis, etiam severum et gravem reprehensorem.] Talis sit amicus, qui et ausit reprehendere, et ferat reprehendentem se. Non dicit: Sit talis, qui ferat iniuriam. Universale est omnibus σκοπτικοῖς impatienter ferre aliorum scommata, sicut eis iucundum est, incurrere alios in eorum reprehensionem, ita ipsi stomachosissime accipiunt, cum ipsi feriuntur. Alle Spötter können ubel spot leiden. Sed qui vult dicere quae vult, audiet quae non vult. Qui sibi vult sumere censuram, vel ius reprehendendi amicum, debet ipse etiam audire alium. Vita maxime delectatur improbis, plures tamen mali quam boni. Ideo simile amat simile. Cicero [67]) dicit: Nihil est rapacius similium quam natura. Ideo quia multi mali sunt, ideo amant mala. Βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται etc. Die bösen Herrn sagen:

> Non mihi sit servus medicus, propheta, sacerdos.

Non mihi sit medicus, id est, non volo alieno arbitrio vel iussu vivere in ratione victus. Postea mihi non sit propheta, id est, quando bonus consiliarius vel monitor, suasor dicit: Domine, non faciatis, incidetis in calamitates, in poenam, nolunt audire. Non sit mihi sacerdos, id est, non volunt audire post factum hortantem ad poenitentiam. Illa in aulis sunt conspectiora, sed omnes sumus ita affecti, nemo vult regi ratione victus, neque bonis monitionibus, neque reprehensionibus, nemo libenter patitur reprehensiones, imo etiam bonos monitores. Omnes sumus tales, alius plus, alius minus. Ratae sunt amicitiae, ubi alter alterum velit libere monere et audire alium. Apud Alexandrum primas tenet Medias vel Medius [68]), wie er heißt. Ille dixit: Calumniare audacter, semper aliquid haeret. Etiam cum deprehenditur vanitas, tamen vulneris manet aliquid in animo sauciato, ut postea possit nova offensio facilius excitari, manet tamen in mente cicatrix, ut postea cogitent: Es wird dennoch was dran sein. Bey dem Media hat sich der Alexander tod gesoffen, ibi tantum vini bibit, ut postea decubuerit etc. Er hat 2 Conchios, zwei stübigen starckes Weins ausgesoffen.

Vss. 102. 103. Quae est utilitas amicitiae improbi hominis? non poterit te liberare ex difficili

66) Haec verba in Novo Test. non inveniuntur.

66a) folglich] sic scripsi; Ed. 1560. forglich.

66b) Pindar. Nem. VIII, 21. Ed. Boeckh. ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖσιν.

67) Cic. Laelius 14, 50.

68) Hic Medius, qui a Plutarcho in vita Alex. c. 75. dicitur, e Larissa Thessaliae oriundus, impudentissimus erat inter Alexandri adulatores.

labore.] Quando te pertraxit in malum negotium, non poterit neque volet te liberare, neque habens bona, tibi participare, tibi impartire, communicare illud bonum volet.

Vss. 105. 106. Benefacienti malis est vanissima gratia, tale est seminare pontum] Phocylides[69]:

Μὴ κακον εὖ ἔρξης[70]) · *σπείρειν ἴσον ἔστ' ἐνὶ πόντῳ.*

In privatis potest vitiari, sed de publicis dicit Salomon[71]): Mitte panem tuum in aquas, et tamen recipies. Est consolatio in aerumnis. Non erit irritum, etiamsi ingrato benefeceris, id est, semina quamquam ingratis, tamen recipies, redibit gratia, si voles benefacere homini sceleratо. Salomon loquitur de publicis beneficiis, Phocylides de privatis.

Vs. 107. Neque possis metere profundam segetem.] Id est, altas fruges seminans in mari, neque benefaciens malis recipies bonum. Mali habent insaturabilem animum. Aliqui sunt, qui tantum volunt accipere, aut quibus dulce est accipere, et nihil reddere, imo pro beneficiis malam gratiam reddere et concacare suos benefactores. Haec fiunt communiter in vita.

Vs. 110. Priorum omnium effusa est gratia et benevolentia.]

Sunt homines, humeris quos si quis gestet ad urbem
Ausoniam, domiti quae caput orbis erat,
Nec tamen ad portam placide deponat eosdem,
Gratia praeteriti nulla laboris erit.

Item in Cicerone est hoc dictum: Quod placet obliviscimur, quod dolet meminimus. Wer einem von Galgen hilfft, der hilfft einem wieder dran. Phocylides:

Μὴ φίλον ἐχθαίρῃς ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς[72]).

Haec vita non abit sine erratis, offensionibus et lapsibus, etiam boni habent suos lapsus, sed sanabiles. *Ἀκεσταὶ δὲ φρένες ἐσθλῶν* dicit Homerus[73]). Ignoscendum est sanabilibus. Iustus in principio est accusator sui. Non est iustus in terra, qui bene faciat, et non peccet (Ecclesiastes 7, 21.). Primum sibi domi intus sapit, postea foris, et postea iudicat alios.

Vss. 111. 112. Boni, integri, honesti, candidi fruuntur magna ex parte accipientes beneficium, habent memoriam, retinent memoriam et gratiam postea.] Gratitudo est veritas et iustitia. Veritas tribuit beneficia illis, a quibus sunt accepta, et iustitia obligat vicissim ad mutuam benevolentiam.

Vss. 113—117. Nunquam facias malum socium, amicum, sed semper fugito, sicut malum portum. Multi sunt socii cibi et potus, in negotio serio pauciores. Nihil difficilius quam cognoscere virum fucatum.] *κίβδηλον*, id est, falsche Müntz, adulterina moneta. Hic significat hypocritam, amicum fucatum. Theocritus:

Χαλεπὸν δ' ἑτέρου νοὸν ἴδμεναι ἀνδρός.

Difficile est alterius mentem noscere. Latebrae pectoris sunt abstrusae et profundae, non statim possunt evolvi pectora, man kan nicht bald sehen, was hinder einem steckt. Sed occasionem introspiciendi homines tempus ipsum praebet et varietas negotiorum, sed non potest fieri subito.

Nota est historia de Momo, quando certaverunt de arte Pallas, Vulcanus et Neptunus. Neptunus fecit taurum, Pallas domum, Vulcanus hominem, his fuit adhibitus Momus iudex, qui in tauro reprehendit, quod cornua non essent posita loco firmissimo in thorace. In domo nescio quid reprehendit. In homine hoc reprehendit, quod pectus non esset fenestratum, das gehört dahin, ut homines non vivant bestialiter, sed adhibeant diligentiam in diiudicandis hominum ingeniis, cum quibus conversantur, wir müssen dennoch hie bey einander mit Leuten umbgehen. Ideo haec diligentia et prudentia in communi vita necessaria est. Oportet hominem videre, ne sint intus latrones et parricidae illi, cum quibus conversatur. Antigonus iussit sacrificari pro se, ut Deus ipsum defenderet ab amicis, quia se defensurum se ipsum adversus inimicos etc. Sunt ioci.

Vs. 118. Nihil pluris est faciendum cautione.] Id est, diligentia, prudentia, quae est etiam adhibenda in illa parte vitae, in victu, in conversatione hominum.

Vs. 119—124. Aurum adulterinum est tolerabile, et deprehendere imposturam facile viro

69) Pseudophocylides vs. 141. Ed. Gaisf. (Poetae minores graeci. Ed. Gaisford. Vol. I. p. 455.), et Bergk. (Poetae lyrici graeci. p. 351.).

70) *ἔρξης*] sic Ed. 1560. et Gaisf.; Bergk. *ἔρξῃς*.

71) Ecclesiastes 11, 1.

72) *μικρῆς*] Ed. 1560. h. l. male: *μικροῦ* (conf. p. 98.). Hic versus in Phocylidis reliquiarum Editt. Gaisf. et Bergk. supra laudatis non invenitur.

73) Hom. Il. XIII, 115., ubi autem pro *δὲ* legitur *τοι* in Ed. Wolf.

sapienti, multo difficilius est in amicitia deprehendere hominem perfidiosum etc. In pectore existens vanus habet dolosum cor. Hoc Deus facit hominibus fucatissimis, insidiosissimis, dolorificentissimis, molestissimis. Inter omnia deprehendere fucum, insidias, imposturas alterius in pectore difficilius est quam in auro.

Vss. 125. 126. Neque possis nosse sensum viri, priusquam fueris expertus, sicut muli.] Sicut oportet equum longo tempore explorare, ita non potest iudicari subito de amicis.

Vs. 127. Non possis coniicere tanquam veniens ad rem recentem.] Versus:

Ὥρα ἐρᾶν, ὥρα δὲ γαμεῖν, ὥρα δὲ πεπαῦσθαι. Id est, est quaedam matura aetas ad amorem, ad coniugium et desinere.

Vs. 128. Saepe ideae formae, species externae decipiunt mentem.] Mancherley fantasey kan einen Menschen irre machen.

Vss. 129. 130. *Μήτ' ἀρετήν*] VII. Praeceptum de mediocritate.

Non optes excellens esse potentia, neque opibus, sed homini sit praesens fortuna.] Id est, *τὰ παρόντα στέργε.* Praesentia boni consulito. Wo stehet das im Evangelio? Nolite esse solliciti de crastino, sufficiat sua diei afflictio[74]), feramus praesentia, et recte collocemus praesentia.

Vss. 131. 132. VIII. De parentibus. Nihil inter homines melius est patre et matre, quibus curae est sancta iustitia.] Thales: Nihil pluris facimus post Deum quam parentes.

Vss. 133 sqq. IX. Recte faciendum, et eventus Deo commendandus. Subditus esto Deo et ora eum. Etiam boni habent eventus adversos. Tamen regulare est, quod moderatis et rectis et regularibus consiliis respondent boni eventus, et atrocia scelera habent eventus et poenas atroces. (per falsas species). *Μάταιοι μάταια λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας.* Quidam dono dedit novo aulico speculum, ille se antea non viderat in speculo, et cum inciperet insolescere propter formam suam, quam in speculo conspexerat, incidit in magnam calamitatem, id est, novus aulicus est *πολυπραγμονικός.* Er hat viel auszurichten, wil viel thun etc. et postea incidit in calamitates. Daher sein die Vers:

Aeternum gemat ille miser, pastoribus aulae
Qui primus mala dona dedit.

74) Matth. 6, 34.

O wie werden wir auch castigirt, wenn wir ad aulas komen, wenn man einem ein Spiegel bringet und lest einen anlauffen, und bescheist jn. De talibus loquitur, de irregularia tentantibus propter res falsas, das einer meinet, es werde jm geraten und gerett nicht. Pompeius tentat irregularia, es gerett jm nicht. Sic etiam Iulius[75]), dem ist so viel und so lange geraten traun, bis das es geraten ist. Sic Alcibiades, Cassius, Brutus et alii multi tentarunt irregularia, und ist jnen nicht geraten.

Vs. 133. Lucri.] Id est, rerum secundarum, scilicet aliquo modo, es kan einem fromen wol mißraten.

Vss. 135 — 138. Nemo hominum agit aliquid, sciens, an eventus sit futurus placidus vel turbulentus, id est, eventus saepe aliter cadunt, quam nos existimamus, non semper eventus respondent nostris consiliis. Saepe putans se alicui malum facere, bonum facit, et econtra.] Tamen tenenda est regula, recte faciendum esse, et tamen tandem erunt boni et regulares eventus, etiamsi aliquamdiu sunt asperi et adversi. Econtra mali habebunt tandem suas poenas, etiamsi poenae aliquamdiu differuntur.

Vs. 136. *ἐς τέλος εἶτ'*] Id est, num eventus futurus sit placidus, id est, non omnia omnibus sunt possibilia. Socrates: Oportet spebus non ulterius transire, quam pedibus possumus scandere. Tamen multae sunt tales fatuae spes hominum.

Vss. 141. 142. Nos homines multa vane cogitamus nihil scientes, Dii omnia faciunt sua sententia.] Wie es jnen gefelt.

Vss. 143 sq. X. De iure hospitii et supplicum.

Nullus mortalium usquam hospitem decipiens latuit,] id est, Deus punit eos, qui non servant iura hospitii et supplicum.

Μηδ' ἱκέτας ἀδικεῖν, ἱκέται ἱεροί τε καὶ ἁγνοί. Id est, non afficias iniuria supplices, quia sunt sancti et casti. Supplex heist, der sich in gnad und ungnad ergibt. Ut cum aliqua civitas fit supplex imperatori, imperator debet ei parcere, ille tenetur mitigare poenam. Econtra, sie seien auch schuldig eine straffe zu leiden. Est imago filii Dei. Filius Dei est pro nobis *ἱκέτης*, supplex aeterno

75) Iulius Caesar.

patri, er ergibt sich in gnad und ungnad, ipse derivat in se poenam, ita tamen, ut ipse non pereat. So müssen wir alle sein fur Gott. Ita Ecclesia est supplex imperiis, sie erbeut sich zu allem gehorsam, den sie schuldig ist zu thun. Man sol nur gloriam Dei verschonen, ne ipsa cogatur ad approbandam idololatriam.

Fuit mos supplicandi religiosissimus et sanctissimus, sedere in ara et ostendere filium. Sic Themistocles exul cum fuit hospes apud regem Molossorum[76]), factus est ipsi supplex, et cum ipse non esset domi, coniunx dedit ei consilium, ut manu teneret filium, et per filium precaretur ad aram, ut ei propter filium parceret et defenderet exulem. Cumque ita fecit, est a rege defensus et adiutus et servatus. Mihi non dubium est, quin ista sint sumpta a patribus. Nos propter filium Dei obtestamur aeternum patrem in ara, id est, in Ecclesia, et monstramus et tenemus filium, et per eum petimus. Est in Oeconomicis Aristotelis[77]) dictum Pythagorae: Sponsa datur sponso ad aram tanquam illi supplex. Ergo maritus debet esse defensor coniugis, non debet esse saevus in coniugem, debet ei etiam tanquam imbecilliori et supplici quaedam condonare. Alia imago: Tota Ecclesia datur Christo tanquam sponsa, et Christus ad aram iacet, et est supplex pro nobis, et illam amplectitur et defendit, quamquam sordidam etc. Est quaedam eruditio ista scire.

Vss. 145 sqq. *Βούλεο δὲ* etc.] Praeceptum de iustitia repetit. Magis velis recte et pie agens, timens Deum, habitare cum modicis divitiis, quam ditescere possidens iniuste pecuniam. Melius est modicum cum timore Domini, quam cum iniustitia, copia etc. Experientia mundi docet, quod male parta non diu retinentur, imo sequuntur poenae. Vae qui spolias, quia spoliaberis.

Kirchen gehen seumet nicht,
Allmosen geben armet nicht,
Unrecht Gut faselt[78]) nicht.

Id est, primum est facienda invocatio, audienda contio, illa mora potius promovet, quam impedit agentem. Postea date, dabitur vobis etc.

76) regem Molossorum (scil. Admetum)] sic scripsi; Ed. 1560.: regem Molossum. Conf. Plutarchi vita Themistoclis c. 24. Cornelii Nepotis Themist. c. 8.

77) Aristot. Oecon. I, 4.

78) faselt] i. e. gedeihet, prodest, conf. Eiselein l. l. p. 378.

Vs. 147. In iustitia simul omnis virtus est.] Estne in iustitia omnis virtus? Ita, scilicet iustitia universali. Iustitia est virtus non laedens alterum. Iustus non laedit, non est adulter etc. Etiam quando est adulter, est iustus. Iustitia particularis extenditur, transfunditur in omnes alias virtutes. Semper cum una virtute sunt copulatae multae virtutes, sicut in uno scelere semper sunt multa scelera. Loquitur hic de virtute, quae in alias transfunditur. In iustitia simul omnis virtus est, quia iustitia universalis complectitur omnes virtutes. Iustitia more legis et philosophiae habet duas significationes: Iustitia universalis complectitur omnes virtutes, ut cum dico: Das ist ein erbar Man, et congruit cum lege et voluntate Dei. Postea cum dico: Iste mercator est iustus, loquor de iustitia particulari, ut in contractibus est iustus. Cum dico: Latro in cruce est iustus fide, loquor de evangelica iustitia, quae est remissio peccatorum.

Vs. 148. Omnis vir iustus est bonus.] Wie wir sagen, ein erbar Man. Id est, qui non est reus alicuius sceleris, propter quod esset infamis. Divitiae et paupertas varie distribuuntur iuxta consilium Dei, sicut dicit Salomon[79]): Dives et pauper simul habitant, Deus facit utrumque. Est sententia sequentium versuum.

Vs. 149. Fortuna[80]).] Daemones dicuntur a sciendo, a sapientia. Colas iustitiam, sive sis pauper, sive etc.

Vs. 151. Deus dedit primum malum homini iniustitiam.] Id est, Deus iudicat hoc esse, iniustitiam, primum, id est, unum malum.

Vs. 152. Cuius ponit vel positurus est nullam regionem] id est, nusquam vult esse vel pati. Propter iniustitiam transferuntur regna.

Vss. 155 sq. Nemini exprobres paupertatem.] Probra sunt scelera, turpitudines, id est, propter turpitudinem, scelera homo est infamis. Quare? Quia Deus vult intelligi discrimen honestorum et turpium; ideo Deus etiam corporalibus poenis vult punire. Textus in Iure dicit: „Eum, qui nocentem infamat, lex non iudicat vel punit." Id est, der einen schilt, der es verdienet hat,

79) Prov. 22, 2.

80) Fortuna] sic h. l. vocem *δαίμων* vertit.

quia Deus vult puniri scelera, et esse discrimen honestorum et turpium.

Vss. 157 sq. XII. Praeceptum de divitiis et paupertate.

Iupiter attribuit talentum, id est, facultates alias alteri, alias ditescere, alias nihil habere, pauperem esse.] Dives et pauper una habitant et Deus facit utrumque [81]). Non necesse est me scire causam, quare ego non sim tam dives, ut est Fuccarus [82]).

Vss. 159 sq. O Cyrne, nunquam dicito superbum sermonem, et iactabundum, quia res humanae sunt maxime mutabiles.] Id est, ne efferas te, quia habes aliquam praerogativam; statim mutari potest, nescis, quid serus vesper vehat. Demosthenes: Ego illum insanum iudico, qui alteri fortunam exprobrat, cum nemo hominum sciat, etiamsi florens sit, an ad vesperum sit eadem fortuna mansura.

Vss. 161—164. Multi sunt stulti, utuntur bona fortuna, quibus, quod videbatur malum, fit bonum, cum habeant bona consilia, cum mala fortuna laborant, et habent difficultates, finis non sequitur opera.] Es gerett jnen nicht. Iosias fuit vir strenuus, habuit propositum bonum adversus Aegyptum bellum movens [83]), sed quia erat polypragmonicum et non necessarium, non erat bonum. *Πολυπράγμονες* regulariter non habent eventus bonos.

Vss. 165—167. Nemo hominum est fortunatus, neque bonus sine Deo, sed alteri aliud est malum.] Id est, omnes et singuli homines habent aliqua sua incommoda.

Vss. 167 sq. Solide, perfecte, firmiter, integre beatus nullus, quotcunque sol videt.] Nihil est ab omni parte beatum.

Vs. 169. Quem Dii honorant.] Wers glück hat, der füret die Braut [84]). Ubi hoc scriptum est in sacris litteris? Ibi: Nisi Dominus aedificaverit domum [85]). Item: Non potest homo sibi sumere quicquam etc. [86]). Id est, non sunt fortunati labores sine Deo. Tantum ille labor est felix, quem Deus adiuvat. *Χωρὶς θεοῦ μὲν οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτός.*

Etiam is, qui invidet, laudat.] Scriptores coguntur cedere et probare res eius, et qui invidebant. Gregorius Nazianzenus [87]):

Θεοῦ διδόντος μηδὲν ἰσχύει φθόνος,
καὶ μὴ διδόντος μηδὲν ἰσχύει κόπος.

Deo dante nihil potest invidia, Deo non dante nihil potest labor. Et Augustus adolescens nondum XX annorum, destitutus bellatoribus et timidus vicit etc. In Augusto est diligentia, sed non sola.

Vs. 170. *Ἀνδρὸς δὲ σπουδῇ* etc. scilicet sola, sola diligentia non est efficax.] Id est, Deus punit, loquitur de malis poenae.

Vss. 171—176. Ora Deos, quorum est magna potentia. Nihil sine Deo fit hominibus, neque bona, neque mala. Bonum virum paupertas domat prae omnibus aliis, magis quam senecta cana et magis quam febris, quam, scilicet paupertatem, oportet fugientem in mare, quod habet magna cete, sese abiicere de arduis petris.] Sunt poetica, est hyperbole, sicut illud, quod sequitur (vs. 181.): Melius est mori, quam esse pauperem.

Vss. 177—182. Vir paupertate oppressus, domitus, ligatus, non potest dicere aut facere aliquid, lingua est ei ligata. Oportet per terram et lata terga maris quaerere solutionem molestae paupertatis. Melius est pauperi mori, quam confectum paupertate vivere.] Per saxa, per ignes pauperiem fugiens etc.

Vss. 183 sqq. XIII. De coniugio.

Multum refert, quomodo eligantur mariti, vel uxores, ex quibus familiis, ex quibus naturis eligantur. Qui invenit uxorem, invenit rem bonam [88]). Id est, qui feliciter ducit, *εὐτυχῶν*, der wol antrifft, dem es wol gerett, qui invenit convenientem naturam. Non ducatur omnino dissimilis natura et fortuna, neque ex familiis male moratis.

Vss. 183—188. Quaerimus, o Cyrne, arietes et asinos et equos generosos, et quilibet vult ex bonis equabus conscendere bonos equos. Bonus vir non curat ducere natam ex malo, si ei

81) Vide notam 79.

82) Fuggeri, Augustani mercatores opulentissimi, ad dignitatem comitum evecti.

83) 2 Paralip. 35, 20 sqq.

84) Conf. Körte l. l. p. 165. nr. 2274., Eiselein l. l. p. 92.

85) Psalm. 127, 1.

86) Ioh. 3, 27.

87) Gregor. Nazianzeni carmen XXXII. vss. 127 sq. in eius Operum Tom. II. ed. Caillau p. 594.

88) Prov. 18, 22.

dat multum pecuniae, sed divitem vult pro bono. Nulla recusat esse coniunx mali viri divitis.] Multi ducunt dotes, non uxores.

Vs. 189. Divitias quidem honorant et ex malo patre scilicet natam] *πλούτον* scilicet *χάριν*, propter divitias.

Vs. 192. Debilius, deterius fieri, *μαυροῦσθαι*, das sie geschwecht werden. Fridericus[89]) fuit vir multo procerior quam Maximilianus, et habuit nobilissimam coniugem. Maximilianus fuit imbecillior corpore quam pater. Maximiliani filius Philippus fuit tam robustus ut pater. Carolus imbecillior et minor quam pater, filius eius imbecillior. Die familiae werden verendert mit den ungleichen Coniugiis.

Vs. 196. *ἐντύνει*[90])] urget virum necessitas.

Vss. 197 sqq. XIV. Poenae iniustitiae.

Atrocia delicta comitantur atroces poenae in hac vita. Qui gladium acceperit etc.[91]). Item: Scortatores et adulteros iudicabit Deus[92]). Item: Vae qui spolias[93]).

Vs. 197. *χρήματα δὲ*] Id est, facultates iuste partae, sunt durabiles.

Vs. 202. Vincit Deorum mens.] Id est, Deus tandem rapit ad poenas, sed hoc decipit homines, quod differuntur poenae.

Ah miser, etsi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus 93a).

Vss. 199—206. Si vero iniuste contra quam decet[94]), avaro animo, aut capiens iureiurando in praesentia, tunc lucrum auferre videtur, tamen ad finem est malum, quia vincit mens Deorum. Sed hoc decipit homines, non mox puniunt Dii propter delictum negotii, sed aliquis raptor, iniustus, solvit malum delictum in suo corpore, per se luit poenam, alius suspendit pueris poenam postea.] Id est, die straffe erbt auff die Kinder.

Vss. 207. 208. Poena non comprehendit ipsum. Inverecunda enim mors prius sedet in palpebris adferens fatum.

89) Fridericus III. Imperator Germaniae 1440—1493.

90) *ἐντύνει*] sic Ed. 1560. et Theogn. Editt. 1561—1581. supra p. 5—8. allatae; Editt. recent. *ἐντύει*.

91) Matth. 26, 52.

92) Hebr. 13, 4.

93) Ies. 33, 1.

93a) Tibull. I, 9, 3. 4.

94) contra quam decet] sic h. l. vertuntur verba graeca: *παρὰ καιρόν*.

Vss. 209 sq. XV. Exul. Exul non habebit fidos amicos. Hoc dolorosius, tristius est ipso exilio.

Vss. 211 sq. XVI. Malum est bibere multum vini. Si quis autem bibit scienter, non est malum, sed bonum.

Vss. 213 sqq. XVII.

Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

Paulus: Ego sum factus omnia omnibus[95]), ita scilicet, propter Deum et in Deo, id est, homo debet se adiungere ad communem et honestam conversationem aliorum, non dico in malis.

Ulula cum lupis, cum quibus esse cupis[96]).

Das ist nu ein wenig zu weit, wenn einer bei Leuten ist, so kan er nicht allezeit nach seinem Hirn leben. Videndum est, quid patiatur tempus et consuetudo. Item Paulus dicit[97]): Ne sitis scandalo aliis. Es ist recht, wenn mans recht verstehet. Non debemus tamen adiuvare scelera, hoc non dico.

Vs. 213. *ἐπίστρεφε*] Id est, applices te aliorum animis, du must dich nach den Leuten richten, und nicht die Leute nach dir.

Vss. 215 sq. Habeto animum varium polypi, qui induit colorem petrae, cui adhaeret.] Es sol einer nicht also einen störrischen Kopff haben, das er alle Leute in seinen Kopff zwingen wolle. Paulus dicit: *Ἐπιείκεια* vestra nota sit omnibus[98]). Debemus etiam cedere aliis, sicut oportet navigantes se aliquantulum inclinare ad ventos.

Vss. 217 sq. Nunc hac sequere, nunc mutatus cute, colore sis. Celeritas bonae applicationis, bonae mutationis est sapientia.

Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

Vss. 219 sqq. XVIII. Vitandae factiones. Et est correctio prioris sententiae.

Vss. 219 sq. Ne valde turberis motis civibus. Vadito mediam viam sicut ego.] Id est, non statim applaudas istis. Videas primum, quid agant, non statim implices te factionibus. Immoratur in praecepto de vitandis factionibus. Horatius[99]):

Iliacos intra muros peccatur et extra.

95) 1. Cor. 9, 22.

96) Conf. Eiselein l. l. p. 648.

97) Rom. 14, 13.

98) Philipp. 4, 5., ubi autem loco vocis *ἐπιείκεια* legitur *τὸ ἐπιεικές*.

99) Horat. Epist. I, 2, 16.

Potest fieri, ut[100]) utraque causa sit mala, propterea et non implices dissidiis, bene prius cognoscas causas, alii trahuntur in hanc vel illam partem occasionibus quibuscunque vel errore vel exemplis illorum, quos magnifaciunt, postea ingressi in causam non possunt se rursus evolvere, sequuntur magna incommoda.

Principiis obsta; sero medicina paratur etc.[1]).

Non valde tumultueris] thue gemach, ubereil dich nicht. Cognoscas, quid utraque parte agatur.

Vss. 221 sq. Quisquis putat proximum nihil scire, sed putat sese solum habere figurata consilia, varie picta.] Der da kan ein ding seltzam durcheinander practiciren. Dicit de practicis, insidiis et occultationibus.

Vss. 223 — 225. Iste est stultus, laesus, privatus bona mente, habens laesam mentem. Fortassis omnes scimus aequaliter varias practicas; sed aliquis non vult sequi mala lucra] er wil nicht mit bösen tücken umbgehen. Aliquis confisus ingenio habet praestantem statum, et moles ipsum oppressit. Monachus, qui variarum partium fuit in Ungaria, iam est partium regis Ferdinandi, alias Turcae etc.

Vs. 226. Alteri dolosae machinationes, practicae, perfidiosae placebant magis.] Factiones aluntur, confirmantur stultis spebus, avaritia et aliis cupiditatibus, ideo addit de avaritia.

Vss. 227 — 230. Nullus finis certus est constitutus divitiarum.] Es ist niemand zu ersettigen. Qui habent maximas facultates, appetunt duplum, tendunt, properant ad duplum. Quis possit omnes saturare? Opes sunt hominibus insania.] Est inexplebilis cupiditas divitiarum, avaritia est vere insania.

Vss. 231 sq. Calamitas ex avaritia oritur, quam quando Iupiter mittit afflictis, alio tempore alii habent.] Non veniunt eodem tempore poenae, sed tamen veniunt.

Vs. 233. Civis quietus contemnitur, sed tamen non decet nos evertere muros civitatis.] Civis non πολυπραγμονικὸς spretus est. Lucullus Romae est spretus, qui adversatus est Pompeio, et ante bellum civile mortuus est; si vixisset, impedivisset bellum civile.

100) fieri, ut] Ed. 1560. corrupte: fierit u

1) Ovid. Remed. amor. 91.

Vss. 233 — 236. Arx et turris stultae multitudinis et variae est parvi pretii etc. Non decet nos solvere, destruere moenia,] muros non debemus movere, turbare respublicas, cum ex illis dissensionibus sequantur eversiones, bella et vastationes generis humani.

Vss. 235 sq. Tanquam urbis, quae iam oppugnatur et capietur, quasi urbe iam oppugnata caperetur, nempe tales viros, qui etiam velimus servari, vellemus esse incolumes.] Id est, qui non sumus Catilinae, qui non potest stare in republica incolumis, homines desperati facile movent, quia sciunt aliàs sibi pereundum esse. Catilina dixit se velle restinguere illud incendium non aqua, sed ruina. Hoc praeceptum docet, ne temere nos implicemus factionibus. Es ist allweg besser, man thue jm zu wenig, denn zu viel in solchen dingen.

Vss. 237 sqq. XIX. Querela de ingratitudine.

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est[2]).

Ibi, est nihil, ponitur loco praedicati. Deus dicit in Salomone[3]): Non recedet malum a domo ingrati.

Ego te magnifacio, celebro, et tu concacas me, (vs. 237.) ego tibi alas do.] Aeschines dixit: Agnoscimus nostras alas in nostris vulneribus. Est paroemia Libyca: Agnosco meas alas in meis vulneribus. Sagittae sunt alatae et instructae alis avium. Sic dicebat aquila, cum peteretur sagitta: Agnosco meas pennas in meis vulneribus, quando aliquis iugulatur suo gladio, quando oppugnamur illis ipsis armis, quae nos dedimus ipsis.

Vss. 237 — 240. Cum quibus super immensum mare volitabis, elevatus supra terram facile. Sacrificiis vero et conviviis sacris et opitulationibus ades[4]) in omnibus, positus in ore multorum.] In conviviis cantabant ῥαψῳδοὶ carmen aliquod, docebant aliquid, audiebant ἀκροάματα, das heist man ἀκροάματα. Ῥαψῳδοὶ haben geheissen, qui cantabant ad virgulam, ad ῥάβδον.

Vss. 241 — 250. Cum tibiis canoris amabiles iuvenes decenter, pulchre et canore cantabunt etiam post mortem, cum abieris sub atris specubus terrae domum lugubrem, lamentabilem inferorum Plutonis. Nam ne quidem mortuus amit-

2) Catull. 73, 3.

3) Prov. 17, 13.

4) ades] sic scripsi (= Theogn. vs. 239. παρέσσῃ); Ed. 1560.: adest.

tes gloriam, neque tacebis habens immortale nomen, inter homines versans per totam Graeciam, et insulas transiens, traiiciens super mare piscosum, sterile, insidens non in tergo equi, sed mittent ad te honesta dona.] Du sitzt auff meinen versen, nicht auff den pferden, quae sunt coronata violis. Tu equitabis in meis carminibus.

Vss. 251 sq. Omnibus enim, quibus carmen curae est, ad posteros eris simul, donec est terra et sol.] Promittit sibi satis longam memoriam ad posteritatem.

Vs. 253. Ego a te consequor exiguam reverentiam.] Das gibstu mir zu lohn, du scheisst auff mich.

Vs. 254. Sed sicut parvum puerum decipis.] Du gibst mir wort, et me decipis tamen, du spottest mein gleichwol. Wer einen von galgen hilfft, hilfft jn wider daran.

Vss. 257 sq. Ego sum pulchra equa et certatrix, sed pessimum virum fero.] Considerate rempublicam aliquam. Respublica Attica est equa, et fert Alcibiadem. Ecclesia fert Arium, fovet pullos, qui sunt exitio matri, sicut est in exemplo de hypolaide, seu curruca et cuculo.

Vss. 258—260. Hoc est mihi acerbissimum, dolorificum; saepe volui fugere rupens frenum, excutiens malum gubernatorem.] Da scheints, als sey es nicht gantz; sed affert aliam speciem ingratitudinis. Ich gehe auff die Bulschafft, lasse mich viel kosten, ein ander trinckt den Wein aus.

Vss. 261 sq. Non mihi bibitur vinum apud teneram puellam, sed alius vir obtinet multo me inferior.

Vs. 263. Frigidum, id est, aquam apud hanc bibunt chari parentes,] sie geben meiner Mutter einen trunck. Attica favet Alcibiadi, non Lyciae, vadit aquatum, et me fert tamen.

Vss. 265 sq. Utrumque osculum rapio,] Das ich etwas davon krieg. Fremens, mediam puellam arripiens cubito, osculor medio collo, et illa aliquid tenerum edit ex ore,] lest mich gehen, spott meiner.

Vs 267. Sit tibi nota quamquam aliena,] id est, non sit tua paupertas, sed tamen scias in genere, qualis sit; vites eam, quia pauper ubique iacet. Loquitur de facto, non de iure.

Vss. 268—274. Non venit in iudicia neque forum. Ubique habet deterius, ubique est abiecta, non est excellens, eximia, est vulgaris, plebeia, ubique est invisa simul, ubicunque est. Forte alia hominibus Dii senectam perniciosam et iuventutem dederunt. Multi etiam peccant aetate, senectus est mala, iuventus est mala, sed paupertas omnium rerum pessimum, etiam deterius morte et omnibus morbis.

Vs. 275. Postquam pueros alueris, et idonea, opportunia, commoda praebueris.

ἄρμενα] id est, instrumenta commoda, inde venit harmonia et arma.

Vss. 277 sq. Tamen patrem oderunt et execrantur, ut pereat, et oderunt sicut mendicum venientem.] Ingratitudo malorum erga parentes. Malus non recte iudicat iusta.

Vs. 279. Consentaneum est malum virum male iudicare iusta.] Nemesis est indignatio divina puniens atrocia delicta.

Vs. 280. Nullam poenam timentis,] id est, non timens Deum, non iudicat recte. *Μάταιοι μάταια λογίζονται δι' ἐπιθυμίας.* Catilina, Cassius volunt potiri imperio, et conantur res supra suas vires, et excutiuntur.

Vs. 281. Malo adest sumere, instituere multa impossibilia] die er nicht hinaus füren kann.

Vs. 282. Obvia ad pedes,] was einem vorkompt.

Putare autem adest ei, quod omnia velit pulchre collocare] Cassio adest provehere rempublicam, et interficere Caesarem; sed non perficit.

Vss. 283 sqq. XX. De obtrectatione.

Etiam cum rectissima facies, tamen erunt calamitates.

Vss. 283—286. Nemini civium confidens, profer pedem, neque confidas iureiurando, neque pacto, neque si velit praebere sponsorem Iovem regem maximum, immortalem.] Iuramentum est invocatio Dei, ut ipse sit testis, et punitor seu vindex, si fallimus.

Vs. 286. Volens ponere] id est, quod velit agere fideliter.

Vs. 287. In civitate adeo sic obtrectatrice, maledica, placet nihil.] Aliqui pascuntur fabellis, ut nihil sit dulcius quam impertire fabellas de negotiis aliorum. Omnia iudicant, agunt censuram, foris sapiunt, domi nihil sapiunt. Mathesius sagt von seinen Bergleuten, illos esse similes Midae, quia Midas fuit rex metallicus. In Libya fuerunt

metalla multa, et fuit etiam avarus Midas, et habet patulas aures. Die Berckleut haben patulas aures, inquit ille, volunt omnes novitates audire, omnes fabellas, sumunt sibi iudicium de rebus, quas non intelligunt. Ubique est multum illorum, qui habent patulas aures, quales Midas habuit.

Vs. 288. Itaque multi imbecilliores sunt ad servandum] active, potest etiam passive intelligi, man kan jn nicht helffen, oder nichts thun, oder sie könnens selber nicht thun. Quia bona consilia obtrectatione corrumpuntur, da kan man jn nicht helffen, interea qui vident, quid sit agendum, fugiunt publicas deliberationes, quia metuunt obtrectationes. Concionator quomodocunque loquatur, tamen semper habebit aliquos, qui horribiliter depravent etiam rectissime dicta.

Vs. 289. Calamitates bonorum fiunt bona malis,] id est, seditiosis temporibus calamitas reipublicae prodest sceleratis, illi crescunt, ut prodest Gabinio, Ammonio, Curioni.

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πᾶς[5]) *κακὸς ἔμμορε τιμῆς.*

Illi habent *κροτοθόρυβον*, a *κρότος*, id est, applausus; *κροτοθόρυβος*, id est, stultus applausus, sic dicimus: quidem implentur *κροτοθορύβῳ* populi. Exilium Ciceronis est bonum Clodio.

Vs. 290. Calamitates publicae fiunt lex perversis,] id est, das ist jr recht, hoc iure ipsi delectantur, et fruuntur calamitate publica, qui alioqui stare non potuissent. Qui non potuissent esse salvi salvis iudiciis, sunt salvi eversis iudiciis, wenn kein Recht mehr ist.

Vs. 291. Pudor periit,] ist ein stück versus Homeri[5a]). Est vetus querela. Quot sunt anni ab hoc anno usque ad Cyrum vel Theognidis aetatem? Cyrus fuit tempore Tarquinii. Reges fuerunt etiam 500 annis, post reges usque ad Augustum sunt anni 500. Plerumque post 500 annos fiunt insignes mutationes imperiorum. Sunt iam 500 ab initio electoratus. Item 500 anni et paulo amplius ab initio regni Ungarici; item ab initio regni Polonici, id est, ex quo reges appellati sunt. Item 500 a statu regni Gallici, qui nunc est. Erunt mutationes magnae sine ulla dubitatione, quas Deus clementer gubernet. Es sein uber 2000 Jar a tempore Theognidis usque ad hoc tempus. Iam sunt anni 2025 ad victoriam ad Plataeas, quando Mardonius Thraso superbus victus est a duce Pausania[6]), qui tunc fuit modestior, qui postea incidit in tristissimas calamitates, quando coepit fieri insolens et tyrannus, rapuit filiam civis Byzantii, quam interfecit[7]), postea ipse est a suis civibus necatus fame in templo Palladis, cum Pausanias tamen habuisset hunc diem gloriosissimum in victoria, cum essent victi Persae. Illa debetis considerare, ut sitis modesti. Videte etiam praesentia exempla. Iam in oppido zum Hoff unius viri duo filii nobiles interfecti sunt, et ipse est captus, tantum orta est rixa futili contentione. Illa considerate, ut sitis modesti, commendetis vos et communia pericula Deo, das jr doch nicht lebt, wie die Teuffel, sine cogitatione de Deo.

Vs. 294. Quamquam fortem capit impossibilitas.] id est, fames.

Vs. 293. Neque leo semper,] Dicunt leonem, cum sit edentulus, in extrema senecta perire fame. Ille est exitus vitae cyclopicae. Leo non semper venatur; in senecta kan er nicht mehr.

Vss. 295—297. Garrulo homini, id est, obtrectatori tacere est difficillimum onus, loquens autem ingratus, non intellectus est illis, apud quos est, est in odio illis, apud quos est, id est, Sie wollen jn nicht wissen, so lauts graece.

Vs. 297. Violenta admixtio.] Er dringt sich zu jm.

Vs. 299. Et non vult amicus esse, quia esset malum homini] id est, pernicies, non delectatur eius amicitia.

Vs. 300. Non si ex uno ventre natus esset,] id est, ne quidem, si frater esset, posset amicus esse.

Vss. 301 sq. Acerbus et dulcis esto et difficilis et asper, saevus famulis, vicinis, propioribus] id est, sis comis, et sis asper, ubi opus est. Quando est res digna obiurgatione, sol er können zürnen. Reprehendas reprehendenda, et non culpes non culpanda.

---

5) *πᾶς*] sic scripsi; Ed. 1560. *πᾶν.*

5a) Haec spectare videntur ad Hom. Il. XV, 129.
οὖατ᾽ ἀκουέμεν ἐστὶ, νόος δ᾽ ἀπόλωλε καὶ αἰδώς.

6) A. 479. a. Chr. (Ol. 75, 2.) d. 25. Sept.

7) Vide Pausan. III, 17.

Vss. 303 sqq. XXI. Mediocrem statum non esse turbandum.

Vs. 303. Non oportet curiose movere bonam vitam.] κίγκλιξ est nomen avis, motacilla, sit sane Bachstelz, vibrat caudam, inde est κιγκλίζειν stulte, temere movere.

Sed oportet quiescere] Servus[8]) dicit: Si quiessem, nihil fuisset mali. Est dictum de magnis viris in republica, qui hoc modo peccant, non tantum de servis.

Vs. 304. Licet movere, si susceperis, instituens mutationem ad recta.] Hic saepe decipitur homo, putat se recta suscipere. Licet movere malam vitam, si institueris ἐς ὀρθά.

Vss. 305 sq. Mali non omnino mali ex utero nati sunt, sed paciscentes societatem cum malis,] id est, consuetudine malorum fiunt alii deteriores.

Vs. 307. Mala opera didicerunt,] id est, non sunt eis nativa.

Et sermones atroces, abominandos, et insolentiam,] stolz und trotz und böse tücken haben sie gelernt von andern Leuten. Ego nimio usu factus sum nequior, inquit servus apud Plautum. Wer unter die Leute kompt, der lernt viel arges, selten guts.

Vs. 308. Omnia dicere vera,] id est, ubi aliquis incidit iuvenis in Alcibiadem, putat esse praestantem videns splendorem, postea videt esse pestem reipublicae.

Vss. 309 sqq. XXII.

Vs. 309. Inter convivas esto homo sapiens.] Vide, quid loquaris et agas in convivio.

Vss. 310 sq. Putato omnem conversantem tanquam absentem, id est, non imitato quemquam, sis firmus ad tolerandum ridicula, id est, scommata feras, non movearis scommatibus, ut excites rixam; oportet enim devorare multa verba. Er mus Schulteſſenohren haben[9]), wer unter den Leuten wil sein, eum oportet multa tacere.

Vs. 312. Considerans, qualem animum unusquilibet habet,] vide, quos habeas in convivio amicos, quos veros, quos fucatos, quos inimicos, disce homines. Das hat auch ein mas, inter insanientes insanire, ita ne etiam tractes seria inter ebrios, wie der in der Comoedia sagt: Nonne pudet, te esse ebrium? Ille respondet: Nonne te pudet, quod obiurgas ebrium? Eins ist eben so gut, als das ander. Sicut Hispanus hic dicebat in bello, ante annos 5: Noster imperator iam non aget de religione, ille scit vos Germanos esse ebrios, et iam vult vos facere sobrios, vult vos prius castigare et revocare ad sobrietatem isto bello. Ecce talia dicunt homines sapientes.

Vss. 315 sq. Multi mali sunt divites, et boni sunt pauperes, non commutabimus cum illis,] id est, nos virtutem anteferimus divitiis. Ir must die correlativam recht verstehen.

Vss. 316 — 320. Nos non dabimus eis virtutem pro divitiis, quia virtus est firma, alias alius hominum habet divitias. Bonus vir semper habet firmam mentem, non frangitur animo, est animosus et positus in bonis, et positus in malis.] Subditus esto Deo, et ora eum. Est Christiana regula. Semper debemus ei obedire etc. Pax Dei regnet in cordibus vestris.

Vss. 321 sq. Cum Deus malo praebet divitias, stultus non potest detinere, retinere, cohibere malitiam.]

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum[9a]).

Praesertim si mens est mala, si natura est mala, ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. Quando pauper malus est instructus divitiis et potentia, mala natura quando est nacta potentiam, hinc postea exerit malitiam.

Vss. 323 sqq. XXIII. De retinendis amicis.

Ecclesiasticus: Benevolentiam amici tanquam pupillam oculi custodias. Non debes contemnere offensiones vel occasiones irritandi, imo alienandi animos. Quidam sunt ita leves et futiles, ut quacunque vel levissima causa alienent animos.

Vs. 323. Nunquam perdas amicum propter parvam occasionem parvo praetextu vel causa.] Phocylides:

Μὴ φίλον ἐχθαίρῃς ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς[10]).

Salomon[11]): Occasiones quaerit, qui vult discedere ab amico, qui appetit seiunctionem ab amico, ille facillime invenit stultissimam aliquam causam.

8) Terent. Andr. 3, 4, 25.

9) Proverbium Er hat Schultheißen-Ohren, quod Simrock l. l. p. 438. nr. 9281. et Körte l. l. p. 336. afferunt, ab hoc sic explicatur: Von den Dorf-Schulzen klagt und sagt man, daß sie nur hören, was sie mögen, und daß sie schwer hören, weil sie schwer verstehen, oder sich wenigstens so anstellen.

9a) Claudian. I, 181.

10) Conf. supra p. 81. nota 72.

11) Prov. 18, 1.

Vs. 324. Obtemperaris saevae calumniae] non patiaris te alienari calumniis ab amico.

Vss. 325 — 327. Si quis irascatur, velit irasci in qualibet re propter delicta amicorum, nunquam inter se concordes, consentientes, neque amici essent homines.] Ista vita non abit sine erratis; et si propter quodlibet erratum velis abiicere amicum, nunquam habebis amicum.

Vs. 327. Peccata sequuntur homines.] Qui vitia odit, homines odit, dicit Plinius iunior in epistola. Vitia scilicet non enormia. Sunt quaedam communes infirmitates [12]), quae sunt tolerandae, sed enormia sunt punienda, non enormia toleranda. Enormitas facit discrimen. Ovidius [13]):

Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Salomon [14]): Non est iustus in terra, qui, cum multa bona faciat, non aliquando peccet. Das ist das beste dictum.

Vs. 328. Dii non volunt ferre delicta,] scilicet enormia. Est ambiguitas, quid velit, Gott weis, wenn er straffen sol, hoc puto esse simplicissimum.

Vs. 329. Tardus cum bono consilio cepit velocem persequens.] Noster imperator videtur esse admodum lentus, tamen illa lentitas postea vincit. Bonae causae etiam properando corrumpuntur. Homerus [15]):

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· κιχάνει καὶ[16]) βραδὺς ὠκύν.

Id est, assequitur etiam tardus velocem.

Vs. 330. Cum recta poena,] id est, cum recto iudicio Deorum. *Δίκη* heist causa, iudicium und poena. Id est, tardus, qui non properat ad vindictam, paulo post videbit haerere iniustum in poenis. Ego vidi multa exempla, quando aliquis patienter tulit iniuriam aliquo tempore, Deus sumsit poenas de iniusto. Assuefacite vos ad illam patientiam, multo plura obtinebitis tolerando iniurias quam celeriter vindicando, quia etiam parvas iniurias comitantur suae poenae: parvae habent parvas, magnae magnas. Denn die Regel ist gewiß: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis [17]). Illud est iudicium Dei. Versus Rhadamanti:

Εἴκε πάθοι τά κ᾽ ἔρεξε δίκη ἰθεῖα γένοιτο.

Si ita est, ut dicitur, quod Gallus attrahat Turcam in Italiam, non dubium, quod sibi moveat rem valde perniciosam et toti Galliae.

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τι ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Illae sententiae debent vobis esse in conspectu, quia sunt testimonia iudicii divini, et sunt sumptae ab experientia, et illius experientiae autor et gubernator est Deus, Deus iudicat omnes.

Vs. 331. Tranquillus, non turbulentus, factiosus] sicut Paulus dicit: In hoc sitis ambitiosi, ut propria faciatis, non sitis turbulenti, seditiosi.

Mediam viam,] ne te adiungas factiosis, aut mediam, id est, iustam, quia iustitia est medietas, ut in Ethicis dicitur [18]).

Vs. 332. Non dans aliis facultates aliorum] scilicet ut fit in seditionibus.

Vs. 333. Non captatione utilitatis foveas exules damnatos,] non sis receptator sceleratorum, non receptes damnatum exulem spe aliqua seu captatione.

Vs. 334. Ille exul rediens domum non erit idem deinde,] id est, Er helt dir doch nicht glauben.

Vs. 335. Non nimium sis anxius, sollicitus, non nimium festines.] Ne quid nimis [19]).

Vs. 335 sq. Mediocritas est optima inter omnia, sic habebis virtutem,] id est, virtus versatur in medio, virtus est moderatio affectuum, obs schon nicht subtiliter geredt ist, so ists doch lieblich geredt. Virtus est mediocritas. Contra. Dilectio Dei debet esse ardentissima. Ergo non est mediocris, et sic virtus non est mediocritas. Pulchrum est castitatem esse purissimam. Respondeo: Mediocritas intelligitur respectu extremorum vitiosorum. Castitas in suo genere debet crescere, dilectio in suo genere debet crescere; sed non debet misceri extremis vitiosis. Quae sunt extrema dilectionis Dei? Respondeo: Epicureus contemptus et superstitio. Fides debet crescere in suo genere, id est, ipsa in sua natura. Sic caeterae virtutes. Virtus est medio-

12) infirmitates] sic scripsi; Ed. 1560. male: firmitates.
13) Ovid. Trist. II, 33. 34.
14) Ecclesiastes 7, 21.
15) Hom. Od. VIII, 329.
16) *καὶ*] sic Ed. 1560.; Hom. Ed. Wolf. *τοι*.

17) Matth. 7, 2. Marc. 4, 24. Luc. 6, 38.
18) Conf. Aristot. Ethic. Nicom. V, 1, 1.
19) De hoc proverbio vide Erasmi Adagia chil. I. cent. VI. prov. 96.

critas, scilicet respectu vitiosorum extremorum, id est, non debet misceri vitiosis externis.

Vs. 336. Difficile est consequi virtutem.] *χαλεπὰ τὰ καλά.*

Difficile est, fateor, sed tendit ad ardua virtus[19a]).

Tamen considerandum est, qui equi coniungendi sint, quia non omnes coniunguntur. Sic nos debemus considerare, quomodo possimus tueri societatem, ad quam certe sumus conditi. Deus est dilectio, et qui manet in dilectione etc.[20]). Bonum est conservativum sui etc. *Τὸ ἀγαθὸν σώζει ἑαυτὸν, κακὸν φθαρτικὸν ἑαυτοῦ.* Pars factionis, quae interfecit Iulium[20a]), destruxit sese.

Vs. 337. Iupiter det mihi retributionem amicorum, qui me diligunt.] *Τίσις*[21]) significat compensationem sive bonam sive malam, significat et poenam et praemium: *Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.* Nemo hominum iniuste agens non solvit poenam.

Vss. 337 sq. Iupiter det mihi felicitatem, ut possim benefacere amicis et inimicos punire.] Sicut ille dixit in epitaphio: Nemo me amicus beneficiis, nemo inimicus malefaciendo vicit. Es ist viel, wenn einer so hoch kompt.

Vss. 339—341. Ut possim inter homines videri esse Deus, si mors me deprehendat retribuentem bonis et malis. Verum, Iupiter, perfice mihi praecipuum bonum.] *Καιρὸς*, articulus, momentum[22]), da einem etwas daran gelegen ist.

Vss. 342—345. Da mihi pro malo accipere aliquid boni. Moriar, si non inveniam quietem curarum, et non dem dolores pro doloribus, sed inimicis fatum sic est,] id est, sors.

Vss. 345—350. Mea ultio non conspicitur nobis, virorum, qui meas facultates habent violentia, id est, qui rapuerunt praedantes. Ego ut canis tranavi, traieci voraginem, in torrentem transii voraginum, omnibus abiectis, horum praedonum sit, liceat atrum sanguinem haurire, bibere, bona fortuna adiuvet me, qui ista faciet ex animi mei sententia.

Vss. 351 sqq. XXIIII. Querela communis de paupertate omnium nostrum, imo etiam regum.

Seneca citat ex Epicuro: Divitiae sunt ad legem naturae composita paupertas[23]). Dicit paupertas composita ad legem naturae, tamen multa requirit, oportet habere victum mediocrem, quia lex naturae multa requirit, ut pueri liberaliter educentur etc. Haec omnia pertinent ad legem naturae.

Vss. 351—353. O misera paupertas, quare expectas, quo minus eas ad alium? quare amas me non volentem? sed vade et accede ad domum aliam.] Sicut Huttenus in conventu Augustano misit suam febrim ad Fuccarum[24]) et Cardinalem, ut ibi melius exciperetur.

Vss. 353—355. Neque nobiscum sis semper particeps huius miserae vitae. Sis forti animo in malis, laetatus es etiam bonis.

Vs. 356. Sors horum] Fortassis legendum[25]) *ἐπίβαλλον*. *Ἐπιβάλλω*, id est, congruo, accommodo, *ἐπίβαλλον μέρος*, pars proportionalis, seu pars congruens. Ita ponitur apud Demosthenem[25a]) et Ptolemaeum. Est etiam in Evangelio de filio prodigo[26]). Est verbum geometricum, tenere proportionalem partem bonorum et malorum. *Ἐπέβαλλεν*, id est, accommodat tibi, tanquam partem certam, ex bonis scilicet et malis.

Fatum est te tenere partem proportionalem bonorum et malorum.] Sententia est etiam in versu Pythagorae:

Ὧν ἂν μοῖραν ἔχεις, ταῦτα φέρε, μηδ' ἀγανάκτα.

Subditus esto Deo in secundis et adversis rebus. Du must dein glück und unglück haben. Vita est vates, praebet commonefactiones, quae docent de fragilitate rerum humanarum et viribus rerum. Deus vult vitam subiectam poenis propter peccatum, et tamen sinit penitus interire, ut colligatur Ecclesia, quia filius Dei est umbraculum tegens suos.

Vss. 357 sq. Sicut ex bonis nactus es malum, sic rursus poteris emergere, evadere, subire,

---

19a) Ovid. Epist. ex Ponto II, 2, 113.

20) 1. Ioh. 4, 16.

20a) Iulium Caesarem.

21) *Τίσις*] sic scripsi (Theognis enim h. vs. habet: *δοίη τίσιν*); Ed. 1560. *Τίω*.

22) *Καιρὸς* etc.] sic Ed. 1560.; Theognis h. vs. habet Adi. ab hoc Subst. derivatum *καίριος*.

23) Senec. epist. IV., ubi in Ed. Elsevir. (Amstelod. 1672. 8.) hic locus sic exhibetur: Magnae divitiae sunt, lege naturae composita paupertas.

24) Vide supra p. 87. notam 82.

25) Scil. loco *ἐπέβαλλεν*, quod Editt. antiq. et recent. h. l. habent.

25a) Vide Demosth. or. de corona, Opp. p. 312, 2. Ed. Reisk.

26) Luc. 15, 12.

precans Deos etc.] Bitte Gott, das er dir heraus helffe.

Vs. 359. Non valde manifestes tua mala, malum est ostendere.] Est quaedam sapientia tegere adversa. Wenn einer liegt, so scheust jederman auff jm. Salomon [27]): Iustus lapsus coram impio est fons limpidus conturbatus coeno. Omnes gnomologos vincit Salomon. Semei [28]) laetatur in calamitate Davidis, est ἐπιχαιρέκακος. Tales multi sunt, etiam quorum est eminentia in quacunque re, tamen est multis gaudium, quando humiliantur et puniuntur.

Vs. 360. Habes paucos, anxios, tristes, moestos in calamitate tua.] Pindarus [29]):

Τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων οὐ μέλει.

Pauci anguntur de Ungaricis calamitatibus etc. Ita fit in vita, est descriptio casus seu eventus.

Vss. 361—363. Cor viri minuitur, est imbecillius, languidius, languefit, qui est affectus magno malo, crescit animus, quando ulciscitur. Bene alloquaris inimicum,] id est, non certato conviciis, facto punias sine virulentia, sonst heists schelten und nichts thun. In vita Timoleontis Plutarchi [30]): Multi magis exacerbantur verbis quam factis atrocibus. Non est tam facilis reconciliatio, quia post acerbitatem conviciorum ita sauciantur animi, ut sint implacabiles, vulnera sunt insanabilia, ὑπὸ λόγων μᾶλλον ἢ πράξεων πονηρῶν. Quidam nobilis, cum ederentur scripta conviciatoria principum, dixit: Ich hab von meinem Vater gehört, ein Feind mag brennen, ja rauben [31]), er geb nur nicht scheltwort aus.

Vs. 364. *Τῖσαί μιν* [32])] id est, punias illum sine ulla excusatione.

Vs. 365. Cohibe mentem, comitas comitetur linguam,] id est, qui alloquitur homines sine asperitate.

Timidi solent conviciari, (Vs. 366.) timidorum est cor iracundius.] Semper multi sunt obtrectatores, quia homo natura est quiddam φθονερὸν, id est, invidum in hac imbecillitate.

Vss. 369 sq. Reprehendunt me etc.] Können wir nicht alle tichten, so wollen wir doch alle richten [33]).

Vss. 371 sq. Non me nolentem pungens sub currum adige, trahens valde ad amicitiam.] Quos credis fidos effuge, tutus eris.

Vss. 373 sqq. *Ζεῦ φίλε* etc.] Querela de providentia. Iupiter, cur non tribuis bona bonis, mala malis? Nos scimus Ecclesiam magis subiectam cruci, ut agnoscat peccatum, etiam quia diabolus magis eam excruciat. Tandem melius erit iustis, etsi aliquamdiu affligantur.

Vs. 377. *ἀλιτροὺς*] id est, iniustos.

Vss. 379 sq. Si mea mens fuerit versa ad iustitiam, modestiam, sive ad iniustitiam hominum obtemperantium iniustis operibus.

Vss. 381—383. Nihil certe est hominibus a Deo,] id est, de Deo. Tamen habent mali divitias illaesas, integras, sine damno.] Sententia est contra providentiam. Sed responsio principalis est ad hoc, quod restet aliud iudicium, ubi liberabitur Ecclesia. Salomon [34]): Omnia adducet Deus ad iudicium (*κεκριμένον*) scilicet ex illa specie, spectaculis, eventu, sed nobis est certum ex verbo Dei, id est, homo non scit ex rebus secundis vel adversis, an placeat Deo; sed ex verbo Dei scit, ut omnis habens pollutam conscientiam scit se displicere Deo etc.

Vs. 383 *ἔχουσιν*] scilicet mali.

Vss. 383 sq. Alii qui arcent animum a malis factis, illi habent matrem paupertatis,] id est, impossibilitatem recte faciendi.

Vs. 385. Quae paupertas ducit animum in delicta.] Utrumque significat ἀμηχανία, et stuporem et impossibilitatem recte faciendi. Salomon [35]): Nec divitias nec paupertatem dederis mihi ne etc. Res secundas comitatur negligentia, comitatur etiam paupertatem mendacium, quia coguntur pauperes se inflectere ad alios.

Vss. 387—391. Potenti necessitate, audet non volens multa dedecora ferre, cedens paupertati, quae multa turpia docet mendacia, deceptiones, perniciosas lites. Nihil videtur ei malum.] Paupertas ostendit, qualis natura cuiusque sit; est correctio. Bonis etiam in paupertate bene est, quando paupertas capit eum.

27) Prov. 25, 26.

28) Semei] sic scripsi (vide 2. Sam. 16, 5 sqq.); Ed. 1560. male: Semeia.

29) Conf. Pind. Nem. 1, 53 sq.

30) Plutarch. Timol. c. 32.

31) rauben] Ed. 1560. reben.

32) *μιν*] sic Ed. 1560. et Theogn. Editt. 1561—1581.; Editt. recent. *νιν*.

33) Hoc proverbium etiam afferunt Eiselein l. l. p. 115. et Simrock l. l. p. 71. nr. 1560.

34) Ecclesiastes 12, 14.

35) Prov. 30, 8.

Vs. 396. Innata,] er ist vor nicht gut gewesen.

Vs. 397. Boni mens non sequitur mala,] id est, non flectitur ad mala.

Vs. 398. Boni viri est recte ferre secundam et adversam fortunam. Iam sequitur responsio.

Vss. 399 sqq. XXV. Laus iustitiae et modestiae.

Vs. 399. Verearis amicos, fugito iniuramenta, periuria,] die Gott strafft, quae perdit viros. Revereare iram Deorum, poenas periurii. Ἐντρέπεσθαι est vereri; 1. Corinth. 4, (14.)[36]). Paulus utitur etiam hoc verbo.

Vss. 401—405. Non nimium festines. Tempestivitas in omnibus est optima negotiis hominum. Sane ad potentiam festinat vir quaerens lucrum, quem virum praesciens fatum ducit in magnum errorem et malum, et facit ei videri, quae erant mala, bona esse.

Vs. 406. εὐμαρέως etc.] Quasi dicat: Cupiditas nostra est causa, non fatum. Non est Stoicus.

Vs. 407. Ubi errasti, tua electio est causa.] Paris est causa calamitatis Troiae, non fatum.

Vss. 409 sq. Nullum meliorem thesaurum relinques filiis pudore.

Vs. 411. Nullius malitiae vel peccati hominum sis socius,] id est, ne communices vitiis potentum.

Vss. 413 sqq. XXVI. De futilitate.

Vs. 413. Bibens non inebriabor.] θώρηξις[37]), id est, vini potio largior, a θώραξ, quia pectus turbatur, spiritus inflammantur, actiones fiunt turbidae; alii ducunt a θῶρος[37a]), id est, poculum.

Vss. 413—416. Neque vinum me adducet, ut dicam atrox verbum de te. Nihil possum invenire simile quaerens, ut socium fidelem.

Vs. 417. Valens ad lapidem Lydium ad probationem atteror.] Βάσανος significat probationem et ipsum lapidem.

Vs. 418. Superior,] id est, cautior.

Vss. 419 sq. Multa me intelligentem praetereunt, sed agnoscens meam imbecillitatem.] Sallustius: Extremae dementiae est frustra niti et nihil nisi odium quaerere, in praefatione Iugurthini belli[38]). Ergo Apostoli sunt dementes. Responsio: Non frustra nituntur, quia Deus iuvat eorum labores, ut aliquibus prosint, etiamsi non omnibus, et habent mandatum Dei. Vocatio non est frustra niti.

Vs. 422. Multa non curanda curae sunt.] Reprehendit curiositatem. Apostoli non faciunt curiositate, sed coguntur vocatione et mandato Dei.

Vss. 421 — 424. Multorum hominum linguis fores non obditae sunt convenientes, et ipsis multa non curanda curae sunt. Saepe malum intus repositum, melius est,] id est, multo melius est taceri, malum bene conditum non movendum. Das hat alle sein mas. Illa praecepta habent suas metas. Bonum est proferendum, non malum.

Vss. 425 sqq. XXVII. Optimum non nasci.

Communis querela in multorum scriptis et saepe repetita, quae significat magnitudinem miseriarum generis humani, quae profecto maior est, quam cogitari potest. Socrates cum audivisset recitari primos versus in Oreste Euripidis: Nulla calamitas cogitari potest, quae non possit accidere homini[39]), iussit aliquantulum resistere et non pronuntiare ulterius, ipse stetit cogitabundus, tacitus, intentus in considerationem istam de magnitudine miseriarum generis humani. Sed nos habemus unum argumentum, quod longe vincit omnia dicta. Cum filius Dei ipse passus sit necem, et factus sit mediator, necesse est magnum malum esse, a quo liberati sumus, et est nobis magna consolatio.

Estne dictum in Ecclesia probandum: Optimum non nasci? Non, quia dictum est: Hic est filius meus dilectus etc.[40]). Propter filium totum genus humanum melius est esse natum. Pater in illo filio acquiescit, in ista natura humana, non voluit aliam creaturam creare. Condidit coelum, angelos, nondum satis est; condidit animalia, sed nondum satis; sed cum hominem condidit, acquievit. Quomodo aquievit? laetatus est in illo opere. Irascamur nostrae so-

36) 1. Corinth. 4, (14.)] sic scripsi; Ed. 1560. 1. Corinth. 5.

37) θώρηξις] Theognis h. l. non habet hoc Subst., sed Verbum θωρήσσεσθαι.

37a) θῶρος] hanc vocem in Lexx. gr. non inveni.

38) Sallust. Bell. Iugurth. c. 3., ubi haec leguntur: Frustra autem niti, neque aliud fatigando nisi odium quaerere, extremae dementiae est.

39) Eurip. Orest. 2. 3.

40) Matth. 3, 17

cordiae, quod ne quidem illa cogitamus, istum ingentem et inenarrabilem amorem Dei erga nos. Extra Ecclesiam optimum est hominem non nasci, ita etiam verum est de damnatis, sicut dicitur de Iuda [41]): Melius est homini non natum esse etc. Satyri fuerunt spectra, monstra, ich weis nicht, was es ist, saepe fuerunt visa. Sylla cepit [42]) Satyrum rediturus contra Marium in Italiam, sed nihil audivit eum loquentem, fuit tantum stridor, murmur. Ich halt, es sein zum mehren teil spectra. Coactum illum Satyrum dicunt protulisse hanc vocem: Optimum hominem non nasci, aut quam celerrime interire, extingui. Huius fabulae mentionem facit Plutarchus [43]). Es ist war, wenn man das elend in mundo ansihet; sed nos debemus obedire Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei etc. [44]), potenti scilicet ad premendum, et potenti ad sanandum. Confert dicta ethnica ad Ecclesiam. Difficile est retinere sententiam de providentia, multo minus, quod te velit recipere. Fides non retinetur sine magnis certaminibus et agonibus. Ita conferte dicta et opponite canticum dulcissimum: Grates nunc omnes dicimus Domino etc. [44 a]).

Vs. 428. Et iacere super metentem multam terram, id est, cumulantem,] id est, iacere sepultum sub terra, quae sic accumulata sit sicut tumulus, vel sicut accumulantur fruges demessae.

Vs. 429. Facilius est generare et alere hominem.] Utrumque est difficile et generare et alere.

Vss. 429 sq. Quam inserere bonam mentem,] quasi dicat: multorum naturae tales sunt, ut difficulter flectantur ad virtutem propter monstrositatem et pravitatem naturae. Multum est monstrosarum naturarum, alius alio modo.

Vs. 430. Nemo adhuc excogitavit hoc] scilicet quomodo monstrosae naturae flectantur. Curva ligna non possunt fieri recta, Salomon [45]). Loquitur de tota multitudine et monstrosis naturis, neme es jm keiner in sinne, er wolle solch Regiment haben, da kein mangel innen sey. Multitudo hominum constat magna diversitate naturarum: ergo ibi multum est vitiorum, et diabolus habet sua organa. Unser Herrgott macht viel Narren, aber wenig macht er klug. Id est de monstrosis naturis, quarum cerebrum est monstrosum etc. Si stultum in mortario contundas, non auferetur ab eo stultitia, inquit etiam Salomon [46]). Gott macht auch Narren klug, sed cum bona castigatione. Horatius [47]):

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Furca, id est, mit dem galgen, sicut ille apud Plautum, qui dicit se caesum iri etc. [48]). Legite illa Plautina, sunt plena eruditionis.

Vs. 431. Et qui fecisset malum bonum,] id est, illum monstrosum fecisset docilem.

Vs. 432. Si dedisset hoc Deus medicis,] Hippocrates est ortus ex familia Aesculapii. Man hat vorzeiten die artes in familiis behalten. Aristoteles materna origine est ex hac familia. Item pater Aristotelis fuit medicus. Et ipse Aristoteles Athenis fuit aliquamdiu myropola, ein Apotekerknecht. Sic in familiis sunt instituti a primis annis.

Vss. 433—438. Sanare stuporem et naturas monstrosas, tulissent multas et magnas mercedes. Si mens bona esset possibilis factu et possibilis insitu arte, nunquam esset monstrosus natus ex bono patre, obtemperans prudentibus sermonibus. Sed docens, scilicet monstrosam naturam, ut Neronem, nihil efficiet etc.

Vss. 439 sqq. XXVIII. De curiosis.

Stultitia est foris sapere et non domi.

Sed non videmus manticae, quod in tergo est.

Catullus [49]). Nemo est, qui non ex aliqua parte est Suffenus [50]), Narren, qui sese valde admirantur. Aesopus dixit homines habere manticas, unam in tergo, alteram ante, in posteriorem sua vitia reponunt etc. [50 a]) Salomon [51]): Iustus in principio accusator est sui, postea considerat alium. Du Narr, descende intra te,

Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex [52]).

---

41) Matth. 26, 24. Marc. 14, 21.

42) cepit] Ed. 1560. coepit.

43) Plutarch. Sylla c. 27.

44) 1. Petr. 5, 6.

44 a) Hoc cant. afferunt Daniel: Thesaur. hymnolog. Tom. II. p. 5.; Wackernagel: d. Deutsche Kirchenlied p. 16.

45) Ecclesiastes 1, 15.

46) Prov. 27, 22.

47) Horat. Epist. I, 10, 24.

48) Haec spectare videntur ad Plauti Casinam II, 6, 37. vel III, 1, 14 sqq.

49) Catull. 22, 21.

50) Suffenus, nomen poetae inepti, qui se plurimum admirabatur. Hinc communi nomine vocantur Suffeni, qui stulte se admirantur.

50 a) Aesopi Fab. 407. inscripta: Πῆραι δύο.

51) Prov. 18, 17.

52) Persii Sat. 4, 52.

Iustus non admiratur sese blandiens sibi. Idem docet Christi parabola de festuca in alieno oculo [53]). Omnes sumus admiratores nostri, amantes nostri. Horatius [54]) dicit: Caecutimus in nostris vitiis, in alienis videmus acutum. Du hast einen großen Narren zu reformiren an dir selber.

Vs. 439. Stultus, qui habet meam mentem in observatione.] Omnia mea negotia observat, et sua non curat.

Monachus Spirensis in conventu N. nihil volebat dicere de causa Lutherana, quae tunc erat plausibilis. Tandem sciens aliquid expectari de istis negotiis, iussit, ut proxima die ad contionem convenirent, et factus est concursus. Ille dixit suam contionem, in fine autem addidit, se fere oblitum fuisse promissi; dixit igitur: Si unusquisque ante suas fores verreret, tota platea fieret munda. Wenn ein jeder für seiner Thür keret etc. Id est, bonum esset singulos facere officium, episcopos, principes; voluit itaque utrosque taxare.

Vss. 441 sq. Nemo est omnino beatus; sed bonus potest tegere sua mala, et non ita est manifestus.] Id est, boni sanant mala sua virtute, etiamsi est aliquid offensionum. *Μὴ κακὸν κακῷ ἰῶ*, Ne malum malo mediceris. Saepe errata corrigimus maioribus erratis. Mementote dictum physicum, medicum et ethicum Cornelii Celsi: Multi magni morbi curantur abstinentia et quiete. Ut in initiis febrium ieiunet aegrotus intra diei spatium. Sic in republica multi morbi curantur quiete et abstinentia, ut noster imperator fecit. Ovidius [55]):

Differ: habent parvae commoda magna morae.

Uebereile dich nicht, non sicut aliqui faciunt, pochen und wollen kriegen etc. Multa mala corrigunt maioribus malis et erratis: *ἄφρον πρὸς κρείσσονας ἀντιφέρεσθαι.* Stultum est cum potentioribus litigare. Aliud est loqui de confessione.

Vs. 443. Malus non scit manere retinendo animum in malis et in bonis.] Secundae et adversae res accidunt consilio divino, Deorum dona varia; sed stultus neque secunda, neque adversa fortuna recte utitur.

53) Matth. 7, 3—5. Luc. 6, 41 sq.

54) Horat. Serm. I, 3, 25. 26.

55) Ovid. Fast. III, 394.

Vs. 444. Dona.] Id est, unus est pauper, alter dives etc. Man mus annemen, wie es Gott schicket.

Vss. 447 sqq. XXIX. De sua innocentia.

Vss. 447 — 450. Si velis me impollutum lavare, o curiose, a summo capite fluet candida aqua, invenies me in omnibus negotiis sicut purgatissimum et optimum aurum.] Obryzum non est Graecum nomen, sed ab Ophir, ex loco; nam optimum aurum in India nascitur, in locis solis orientalis. *Ἄπεφθον* vocatur obryzum, *ἄπεφθον*, id est, purgatum, coctum. Aliud aurum, quod non est expertum ignem, dicitur *ἄπυρον*. *Ἄπεφθον*, id est, quod non est saepe expertum ignem, *α* hîc non est privativa, sed auget, ut *ἀδελφος* ab *ἅμα καὶ δέλφος*, id est, uterus, qui in eodem utero vivunt. Est autem a *πέπτω*, coquo, inde *ἄπεφθον*, id est, quod Plinius [56]) dicit nominari obryzum.

Vss. 450 sq. Rubrum adspectu, tritum in lapide Lydio, quo probatur aurum, cuius colorem desuper non attingit nigra aerugo vel rubigo.] Ferrum rubigine consumitur, aes consumitur aerugine, aurum non consumitur. Wo kompts doch hin, tanta copia auri est effossa inde usque a diluvio annis quater mille. Est mirabile, quomodo pereat, es ist je lenger je weniger, quamquam sunt multi usus, ut in picturis et vestibus, tamen ipsa massa auri quomodo perit? Fortassis etiam vetustate consumitur, sed non aerugine nec igni: ideo aurum est praestantissimum metallum. Aurum dicitur confortare cor; sed nos miseri scholastici werdens nicht innen.

Vs. 452. Neque caries] non corrumpitur carie, sed semper habet florem mundum.

Vs. 453. Homo si esses tam sapiens.] Ey so werstu ein trefflicher Man. Reprehensio *φιλαυτίας*. Omnes nobis placemus, omnibus idem error est, nec videmus manticae quod in tergo est. Item: Nemo est, qui non Suffenus sit [56a]) etc.

Vss. 453 — 455. Si esses tam sanus, sapiens, sicut es stultus, videreris suspiciendus.] Simonidis dictum: *Νέοις ζηλωτέον τοὺς γέροντας*, die Jungen sollen sich richten nach den Alten, debent intueri maiorum studia, iudicia, exempla,

56) Plin. Nat. Hist. l. XXXIII. c. 19. Ed. Franz. (c. 3. Editt. antiquiorum).

56a) Conf. p. 108. nota 50.

eos admirari, ut Themistocles intuitus est Miltiadem.

Vs. 456. Sicut nullius pretii es.] Du bist ein Narr und bleibest ein Narr, und wilt ein Narr sein. Curva non fiunt recta. Vituperat stultos, qui non sunt sanabiles, qui habent persuasionem sapientiae. Debetis vos assuefacere in lectione quacunque, ut cogitetis insignia esse mandanda memoriae. Quicquid ubique scriptum est de doctrina morali, semper referendum est ad Decalogum, de poenis iniustitiae, habens comminationes divinas, ut, Qui gladium acceperit, gladio peribit [57]). Item: Scortatores et adultero etc. [58]). Ita excerpite insignia.

Vss. 457 sqq. XXX. De sene sponso.

Wenn ein alter Man ein junges Meidlin nimpt, so seins gewisse Kinder, quia, si non gignunt, tamen ipsi sunt pueri. Senes debent esse vidui etc.

Vs. 457. Non est commoda iuvencula seni.] *ὥρα ἐρᾶν* etc. Athenaeus. Alia debent cogitare senes, quam ista domestica.

Vss. 458 sq. Non obtemperat gubernaculo sicut navis, ne anchora quidem posset retinere.] In tempestatibus figuntur naves anchoris, ne possint ventis ac tempestatibus verti et abripi.

Vs. 460. Abrumpens vincula tenet noctu alium portum.

Vss. 461 sqq. XXXI. Non instituenda impossibilia.

Probatur hoc per plurima bella omnium aetatum. Viel Leute fahen Krieg an, dem sie nicht starck gnug sein, privatim et publice. Fuit symbolum Friderici ducis: Tantum quantum possum. II. Probatur per aedificationes stultorum per totum orbem terrarum. Quilibet debet considerare suas vires. Loquitur de vocatione, in qua etiam hoc includitur: Quando es in vocatione, Deus adiuvat te, donec manes in vocatione. Utilia facias, et commenda Deo viam tuam etc. ut Salomon [59]) monet: Proiicias panem tuum in aquam, et tamen invenies.

Contra.

Non sunt facienda impossibilia.
In omni vocatione sunt impossibilia.
Ergo non est suscipienda.

57) Matth. 26, 52.
58) Hebr. 13, 4.
59) Ecclesiastes 11, 1.

Respondeo ad Maiorem: Impossibilia non sunt facienda, nisi mandata a Deo.

II. Ad Minorem: Quaevis vocatio est impossibilis, sed fit possibilis iuvante Deo secundum vocationem, Moses suscipit rem impossibilem humano consilio, aggreditur tantum regem, opulentissimum et firmissimum in toto orbe terrarum. Aliud est loqui de curiose susceptis. Ut volo aedificare pulchram domum etc., qualia multa sunt. Huc pertinent dicta: *Μάταιοι μάταια λογίζονται* etc. Item: *Καίπερ ἐὼν ὀλίγος μνᾶται εὐωπηχὴν Ἀθήναν*. Id est, quamquam existens parvus, tamen est procus Minervae. Als nemet die tollen Reformatores, die das Interim geschmidt haben, rem instituerunt longe superantem ipsorum intelligentiam, et vires et iudicia, imo etiam vocationes. Es ist nicht jr Ampt noch verstand, noch vermügen, solch ding fürzunemen, noch ins werck zu bringen. Es heisst: Qui valeant, qui ferre recusent humeri. Es köndte einer wol zu den Bischoffen sagen:

Οὐ δύναμαι τὴν αἶγα φέρειν, ἐπεθήκατέ μοι βοῦν.

Er ist ein Bischoff und könd nicht ein Dorff regiren. Behalt die gemeinen Sententz. 1. Sunt pulchra ornamenta in sermone. 2. Sunt etiam bonae commonefactiones in consiliis.

Vs. 461. Nunquam teneto mentem ad impossibilia, irrita,] das nicht aus zu füren ist.

Vss. 461 sq. Neque cogita de pecunia, quorum adeptio, perfectio, ausrichtung, nulla est.

Vss. 463 sq. Facile rem Dii dant, neque malam, neque bonam, neque facile dant magnam, neque parvam.] De bonis est facilius intellectu.

δειλόν,] sumit generaliter.

In difficili opere habet laudem.] Id est, oportet accedere laborem. Nil sine magno labore vita dedit mortalibus. Item: Commenda Deo viam tuam [60]). Id est, in sudore vultus tui etc. [61]). Deus ita naturam ordinavit post lapsum, et laborem Deus adiuvat, ut sit et facilis et felix invocanti.

Sequitur contiuncula de iustitia. Iste libellus est perpetua concio de civili iustitia, vel universali vel particulari, de qua loquimur, quando de disciplina dicimus. Und ist die concio:

Discite iustitiam moniti et non temnere Divos [62]).

60) Psalm. 37, 5.
61) Genes. 3, 19.
62) Virg. Aen. VI, 620.

Ille versus est optimus in Virgilio, et est summa omnium poematum et tragoediarum, quia exempla proposita sunt, ut discamus iudicium Dei, μὴ κακὰ κερδαίνειν etc. Vae qui spolias etc., et simus modestiores.

Vss. 467 sqq. XXXII. De conviviis et de ebrietate.

Esset admodum salutaris admonitio, si prodesset; sed ita plerumque fit. Quidam obiurgavit ebrium: Non pudet te ita ineptire ebrium? Imo, inquit ille, non pudet te obiurgare ebrium? Seneca: Consuetudine insaniae durata vitia, vino concepta, etiam sine vino valent. Est dictum physicum et oratorium. Est bona physica et bona eloquentia, et forma rerum est bona, und ist zwar in andern dingen auch so, ut adulteri etc. delabimur consuetudine etiam ad eadem vitia. Homerus [63]) dicit: ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, manet volens non volenti animo.

Χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν [64]).

Id est, Man sol in nicht auffhalten. Homerus dicit: Similiter peccat, qui venientem non excipit hospitio amanter, et ille, qui retinet nolentem. Id est, non iube ire foras.

Vs. 469. Simonide.] Du Klügling, tu sapientule, alloquitur aliquem in convivio, qui vult plus sapere caeteris.

Vs. 470. θώρηξις [65])] Vini potio et quidem largior undecunque est, ita loquuntur veteres.

Vs. 472. Omne coactum opus est molestum, dolorificum,] macht einen unwillig.

Vss. 475 — 476. Volenti bibere infundat adstando, non totas noctes deliciari. Sed ego, postquam mensuram habebo dulcis vini, meminero vadens domum somni solventis curas.] Est res perniciosissima corpori omnis lucubratio, etiam sobrii. Ego in ista imbecillitate corporis mei nulla ratione valetudinem tueor, cum saepe tentetur morbis et aliis miseriis, nisi hac una diligentia, quod cito eo cubitum. Ego hoc multos docui, qui imitati sunt, et experti sunt esse rem saluberrimam. Fugite etiam studiorum lucubrationes vespertinas. Natura est composita principio noctis ad quietem, et appetit quietem, quae est ei concedenda. Mane prodeunte sole et stellis diurnis, quae comitantur solem, corpora rursus et spiritus et impetus ad laborem et omnia sunt magis idonea ad ferendos labores.

Vs. 477. Ostendam.] Id est, non volo te facere abstemium.

Vs. 478. Non valde sum sobrius, neque valde ebrius.] Id est, quaero mediocritatem.

Vss. 479 sq. Sed qui excedit potus mensuram, non est compos linguae suae, nec mentis.] Salomon [66]): Quod est in corde sobrii, est in ore ebrii.

Vs. 481. Narrat periculosa insuperabilia.] Volat irrevocabile dictum.

Quae videntur turpia sobriis.] Quia sic cogitant sobrii: Alii multa dixerunt mihi ebrii, quae omnes vellemus esse obruta aeterna oblivione, fortassis ego ebrius quoque id feci. Inde ortum est illud: Odi memorem compotorem [67]).

Vss. 484 — 486. Non bibe vinum immodice, sed secede, priusquam fias ebrius, nec te cogat venter, sicut malum servum diurna mercede conductum.] Hoc est physicum. Appetitio potus oriturne a ventre? cuius partis vitium est immediate? Gulae vel gustus vitium est, non est excessus ventriculi. Fames et sitis fiunt sic. Quando venae hauserunt, quicquid fuit nutrimenti in ventriculo, ventriculus inanis sentit illam inanitatem in orificio, sentit etiam desiccationem, et appetit rursus et cibum et rigationem. Darnach wenn man zu viel gesoffen hat, irritantur fauces halitibus praeternaturalibus vel crudis rebus. Darnach gehets.

Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae [68]).

Ita fit in ebrietate, quia illi halitus ascendunt, et irritant oesophagum, ut fiat aridior, et magis appetat potum. Hic sumit ventriculum generaliter: Venter te non cogit etc.

Vs. 487. Aut praesens non bibas.] Gehe ins Bad, und werde nicht naß. Aut bibat, aut abeat.

---

63) Hom. Il. IV, 43.

64) Hom. Od. XV, 74.

65) θώρηξις] Ed. 1560. male: θώρυξις. Theognis h. l. non habet hoc nomen, sed verbum θωρήσσεσθαι.

66) Ecclesiastic. 21, 28.

67) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. VII. prov. 1.

68) Ovid. Fast. I, 216.

Tu habes hoc praeceptum inane, derides tanquam inutile.] Du spottest mein, ideo fies ebrius. In dem fabuliren trinckt einer jmer nein, und wird so truncken.

Vss. 489—496. Bibere φιλοτησίην, id est, Kundschafft trincken. Propino tibi φιλοτησίαν, id est, auff gute kundschafft, darnach einen vor die lange weile. Unum poculum adfertur uff kundschafft, aliud proponitur, aliud libas Diis, aliud habes in manu. Non scis negare socio, et ille est invincibilis, qui multa pocula bibens, nihil dicit inane. Vos manentes in convivio bene fabulamini, abstinentes diu mutuis rixis, id est, omissis rixis, in medium loquentes, id est, familiariter colloquimini, sic symposium non fiet ingratum. Συμποσίῳ πρέπει ἡσυχία, Pindarus[68a]): Tranquillitas convenit convivio.

In der Kirchen andechtig,
Zu Tisch frölich,
Zu Bett freundlich.

Vs. 497. Stulti viri pariter etc.] Kluge und Narren werden toll, wenn sie voll sein.

Vss. 500 — 505. Vinum ostendit mentem etiam valde sapientis, quod vinum sumpsit, hausit bibens immodice, ut pudefaciat eum, qui prius erat sap ens. Cum sum ebrius, cum caput est gravatum vino, et mihi vim facit vinum, non sum amplius mentis custos meae. Das Haus laufft umb, agitur in gyrum etc. Plautus[69]) inquit: Luctator dolosus est vinum, primum pedes capit etc.

Vss. 511 sqq. XXXIII. De hospitalitate tenuiorum.

Est farrago praeceptorum non ordine certo distributa.

Vs. 511. Venisti, cum feceris iter] ἀνύειν, perficere, absolute ponitur pro perficere iter, wenn ein armer Tropff zum andern kompt, sol man mit einander vor gut nemen. Est sententia, debere apparatus esse convenientes facultatibus. Apud nos in conviviis plus servitur voluptati, tantum pompae servitur, et oculis offunditur illa species.

Vss. 513 sq. Nos ponemus sub scamna, transtra in lateribus navis, qualia habemus, et qualia Dii dant] quasi dicat: Curabo fieri apparatum ex rebus levissimis, quas habeo, non ex ibus aliunde emptis charo pretio.

Vss. 516—518. Accumbito, sicut eum diligis. Nihil earum rerum, quas habeo, occultabo, nec quicquam maius propter tuum adventum aliunde adferemus.] Id est, non faciam maiores sumptus, dabo tibi ex istis, quae possum habere. Ich gebe dir, was das Haus vermag. Homerus: χαριζόμενος παρεόντων[70]).

Tiberius Caesar curavit sibi afferri siser, quod nascitur apud Franckfordiam. Sunt parvae radiculae, seu rapulae, Rapüntzelein. Tales sunt fatuitates hominum.

Vss. 519 sq. Si quis interrogat meum statum, sic ei dicito: Ut inter bona moleste, ut inter mala valde bene.] Id est, meus status est mediocris, ut in vita difficili. Athenienses cum Athenis captis venissent Spartam, interrogati, quomodo essent excepti, responderunt: Excepti sumus ut liberi superbe, ὑβριστικῶς, ut victi, ut servi, mediocriter.

Olim honesti homines non divertebant ad cauponas, sed ad homines sibi gratos et amicos; ideo dicit: (vs. 521.) Virum paternum hospitem non relinquam.

Vs. 522. Non potes multos hospites excipere.] Debet esse modus hospitalitatis, congruant illi sumptus facultatibus, non excedant facultates.

Vs. 523. Non frustra te, o dives, vel divitiae, mortales honorant maxime.] Quae accidunt difficilia homini, tamen accidunt leviora illi, qui est instructus viatico.

Vss. 525 sq. Convenit bonis habere divitias, sed paupertas comes est malo homini.] Quando homo honestus est instructus mediocribus facultatibus, est magna commoditas, malus non retinet, nec recte utitur, ideo fit pauper.

Vss. 527—530. Heu, quod cito fugit aetas. Hei mihi, quod discedit iuventus, et quod cito venit senectus perniciosa, neminem amicum et fidelem socium prodidi, non fuit in anima mea quiddam servile.] Id est, ego fui amicus amico.

Γνήσιός εἰμι φίλος καὶ τὸν φίλον ὡς φίλον οἶδα.

Vss. 531—534. Semper mihi cor laetatur, quando audio musicam; laetor in convivio, ve-

68a) Pindar. Nem. IX, 48. ed. Boeckh. Ἀσυχίαν δὲ φιλεῖ μὲν συμπόσιον.

69) Plaut. Pseud. 5, 1, 6.

70) Hom. Od. I, 140. IV, 56. VII, 176. X, 372. XV, 139. XVII, 95. χαριζομένη παρεόντων.

hens manibus lyram.] Quasi dicat: non sum naturae servilis. Naturae serviles sunt fucatae. Ego laetor rebus, quibus debeo laetari, et tristor, ubi est causa etc.

Vss. 535 sq. Nunquam servile caput rectum est, sed semper tenet obliquum collum.] Hic considerate elegantiam bellissimam Italicam et Hispanicam. Et nos Germani stultissime volumus imitari illa. Den Kopff hengen auff eine Seite, wie die Schelcke, et geniculari ad singula verba, sunt mores illarum gentium. Ein Deutscher sol den Kopff gerad halten, er sol nur ein mal sich beugen[70a]), wenn er hinein gehet, und wenn er weggehet, sicut etiam coram imperatore est usitatum. Interea debet stare erectus capite et toto corpore etc., non etiam inflectere humeros aut contrahere, ut aliqui faciunt etc. Imitamur et accersimus nobis peregrinas et nugacissimas ineptias et gestus etc. Virtutes autem non imitamur et intentionem animi.

Vs. 537. Non ex scilla.] Zwiebel, vel aliquid simile.

Vss. 537 sq. Rosae nascuntur, neque hyacinthus, neque ex serva soboles, natura liberalis nascitur.] Nemo fabricat sibi compedes, Der klug ist, der thuts nicht, fortuna mores imitatur. In vita Pomponii Attici[71]) est dictum: Sui cuique mores fortunam faciunt. Est verum de illa politica consuetudine, perfidiosus est in odio. Homicida haeret in poenis divinitus. Item periurus: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis. Sunt vera de politica iustitia, de disciplina. Aliae sunt causae, quare aliqui in Ecclesia affligantur.

Vss. 541 sq. Metuo, ne hanc civitatem iniustitia, insolentia, Trutz, perdat, quae Centauros crudivoros perdidit.] Stoltz und Trutz evertit gentes. ὕβρις etiam nos perdidit, et perdit quotidie, wenn einer schnarrt, pucht, non considerat, quarum rerum modus esse debeat.

Vss. 543—545. Oportet me ad libram et ad rationem iudicare causam, tribuere aequalia utrique parti adhibitis vatibus et auguriis et ardentibus osculis.] Id est, adhibita religione, non debeo contemnere religionem.

Vs. 546. Ne habeam turpe probrum erroris, stultitiae, delicti.

Vs. 547. Nemini vim facias.] Redit ad praecepta iustitiae, illa sunt principalia in hoc libello.

Vs. 548. Beneficentia.] Id est, recte et bene facere est praeclarum in viro iusto. In bello sis acer.

Vs. 549. Nuntius mutus.] Id est, signum in specula excitat lachrymosum bellum, conspectum signum a specula procul conspicua visibili, sed iniicito frenos equis volucribus, celeribus, existimo eos equos occursuros esse hostibus.

Vs. 553. Non multum viae perficient interea.] Id est, non procul absunt hostes.

Vss. 555 sq. Oportet praesenti, forti animo esse positum in doloribus virum, et oportet a Diis petere solutionem, liberationem, exitum.

Vs. 557. Periculum stat in acie novaculae.] Id est, iam proximum est periculum. Mutavi primum versum ex Theocrito sic:

'Αΐδιον καλέω θεοῦ υἱον πάντα κρατοῦντος,
'Ανθρώπων σωτῆρα ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων.

Secundus versus est Theocriti[72]), id est, invoco filium Dei omnipotentem, hominum servatorem existentium in ipsa novacula, id est, in praesentissimo periculo. Gott hilfft, wenn kein hülffe mehr zu erwarten ist.

Vs. 561. Sit mihi tantum, quantum opus est.] Opto amicis multa, ut possint dare aliis pecunias inimicorum, id est, ut sint victores inimicorum.

Vss. 563 sqq. XXXIV. De convivio.

Vss. 563 — 568. Si voceris in convivium, utile est sedere apud bonum virum, scientem omnem sapientiam, ut intelligas, consideres, quando dicat aliquid sapienter, ut discas, hoc habens lucrum abiens in domum. Ludo delectans me iuventa; diu enim sub terra iacebo sicut lapis.] Id est, vade, laetare in vita tua. Ecclesiastes[73]): Tristitia occidit hominem, et non est utilitas eius. Sufficit diei afflictio sua.

Vss. 569 sq. Et relinquam gratum lumen solis, quamquam bonus existens, tamen nihil amplius videbo.] Utile est sedere apud prudentem. Nihil est dulcius, quam esse in convivio hominum sapientum, qui de rebus bonis loquuntur, apud sinceros, et praesertim apud quos est

70 a) sich beugen] sic scripsi; Ed. 1560. regieren.

71) Cornel. Nepotis Atticus 11, 6.

72) Theocriti Idyll. XXII, 6., ubi vero in Ed. Kiessling. loco σωτῆρα legitur: σωτῆρας.

73) Ecclesiasticus 30, 25.

mentio, diiudicatio multarum rerum bonarum liberior. In conviviis debetis aliquid discere, quod sit dignum homine, et praesertim debetis legere ideo historias, quia, si incidunt multiformes historiae in conviviis, attente audiuntur, et prosunt multis, faciunt commendationem multis, saepe discutiunt etiam tristitiam, quasi dicat: Non cumules tristitiam.

Vss. 571 sqq. XXXV. Falsa persuasio.

Wenn eine tolle Opinio in die Welt kompt, so mus es recht sein. *Δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν,* maxime hoc fit in religione, homines libenter retinent opiniones, ad quas sunt a teneris assuefacti, ut in cultu studiorum etc. Dulce bellum inexpertis. Dulcis inexpertis cultura potentis amici. Experti metuunt.

Vs. 572. Multi non experti habent bonam opinionem.] Ut quando adolescentes legunt Livium, cogitant se etiam tales futuros, qualis Scipio etc. *λογίζονται δὲ ἐπιθυμίας.*

Vs. 573. Benefaciendo sis beatus; quid mittis alium praeconem virtutis?] Id est, si es beneficus, habebis praeconem.

Vs. 574. Beneficii facilis est praedicatio.] Beneficentia invitat studia et voluntates.

Vs. 575. Amici produnt, fugiunt me, dum vito inimicum.] Id est, dum omnia suspicor, tum amici fiunt a me alieni. Est mala res esse suspicacem, dum ego vito omnes, et suspicor mala de omnibus, amici etiam fiunt alieni.

Vs. 577. Facilius est ex bono malum facere.] Id est, facilius est, destruere quam construere, scilicet in physicis. Facilius est corrumpere causas bonas, quam corrigere et mitigare malas. Facilius est construere, quam destruere, scilicet in sophismatibus. Sed hoc ipsum est destruere, quia sophisma est destructio, Diess ist nu sophistice geredt. Facilius est construere, quam destruere, id est, dissolvere. Verum est, quia non est facilis dissolutio sophismatum.

Vss. 579 sqq. XXXVI. De adulterio.

Vss. 579 sq. Odi malum virum, sed sum tamen apud eum tegens meam mentem, habens lenem mentem parvae aviculae.] Est mimesis, primum mulieris, postea est viri mimesis.

Vs. 581. Odi mulierem vagabundam et virum *γαστριμάργον.*] Id est, ignavum, tantum ventri deditum, helluonem.

Μαργίτης, Schlüngelinus, der nirgend zu taug, ein Schlemmer. Helluo est, qui copiam appetit. Ganeo, qui magis delicias appetit. *Γαστριμάργος* de utroque dicitur.

Vs. 583. Factum infectum fieri non potest. *οὔποτε γὰρ δύναται τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον.* Quare? Ex quo principio physico? Quodlibet est aut non est, et duae contradictoriae non possunt simul esse verae aut falsae.

Vs. 584. Ventura vero in cautione curae sint.] Non omnes sententiae sunt similiter illustres, vos tantum excerpite insignes.

Vss. 585 sqq. XXXVII. Eventus sunt incerti.

Vs. 585. In omnibus negotiis neque quis scit etc.] In his negotiis, quae Deus instituit, tandem fit bonus eventus, tamen interea multa sunt patienda. Moses certe non sciebat XL annos manendum in deserto, et sustinenda tanta mala etc., etiamsi faciebat omnia mandato Dei. Hic autem loquitur de erroribus humanis, quando homines interdum bono zelo et bona opinione aliquid movent, et non respondent eventus. Ut Pompeius putabat se habere bonam causam. Item Iosias movet bellum non necessarium [74]).

Vs. 586. Ubi sit applicaturus navem initio.] Initia saepe splendida sunt et pulchra. Ut Cyrus pius et sapiens rex fuit, etiamsi illi fuit calamitosa illa expeditio, in qua periit, quia etiam sapientissimi homines habent errata sua. Herodotus: *Μὴ ἅμα ἀρχῇ πᾶν τέλος καταφαίνεται.* Id est, non statim initio conspicitur totus exitus. Sunt verba in deliberatione Artabani, in Polymnia [75]).

Vss. 587 sq. Sed alius tentans clarus esse, praeclare aliquid gerere, non prospiciens, est deceptus, et incidit in magnam et difficilem calamitatem.

Cicero: Saepe optime cogitata pessime cadunt, quia homines possunt errare in consiliis. Extra vocationem tentata non sunt felicia. Sufficit sua diei afflictio. Sitis in eo ambitiosi, ut propria faciatis.

Vss. 589 sq. Alteri, qui honeste egit etc.] Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni [76]). In Iulii [77]) bello quaecunque causa fuit, sive iusta, sive iniusta, tamen Deus voluit evertere illam rempublicam et mutare illam. Iulius non

---

74) Conf. 2. Parall. 35, 20 sqq.

75) Herodot. VII, c. 51. in fine.

76) Haec sunt verba Lucani Pharsal. 1, 128.

77) Iulii Caesaris.

fuit cupidus belli; sed quia videbat se non posse obtinere suam dignitatem, movit bellum, et quidem movit aliquo impetu divino, quia Deus voluit mutare illam rempublicam. Sallustius: Quo se fortuna, eo se favor hominum inclinat [78]). Propemodum omnia ex eventu iudicantur. Cicero: Consilia ex eventu ponderantur [79]). Plautus [80]): Centum doctorum hominum sententias una vincit Fortuna Dea. Cui bene successit, eum sapere dicimus. Negotia gubernantur, non tantum humanis consiliis, sed praeeunte Deo, et comitante hominum diligentia. Aeschylus [81]):

Ὅταν σπεύδεις μὲν αὐτὸς καὶ θεὸς συνάπτεται.

Id est, quando ipse laboras, scilicet in vocatione, tunc Deus adiuvat.

Albertus, Landgravius Thuringicus, habitavit in arce Isenacensi, ibi conduxit mulionem, qui erat adiunctus mulo, quo vehebatur aqua in arcem (quia est magna altitudo arcis), illum conduxit ad interficiendam dominam [82]), filiam Friderici II. imperatoris, illam homo malus male tractavit. Iste mulio promisit illud domino. Postea ivit ad dominam adhibito consiliario eius, den Hofmeister, et dixit ad eam: Domina, dominus mandavit mihi, ut vos interficerem, et promisi, quia alioqui ipse me interfecisset, et quaesivisset alium interfectorem. Iam cogitate, quid vobis faciendum sit, ego volo fugere, si vultis manere, maneatis vestro periculo, ego facio officium, moneo vos. Consiliarius etiam censuit dominae discedendum esse vespere vel in primis tenebris, cum esset se demissura domina ex arce, cum aliis nobilibus virginibus et ancillis et cum consiliario et mulione. Ipsa discessura a filiis parvulis, qui erant in cubiculo, arripuit maiorem natu, et momordit eius genam, ut infans valde vagiret, quod fecerat ei vulnus in gena. Ibi consiliarius apprehendit eam, et dixit: Domina, iste vagitus prodet nos, oportet nos properare in silentio. Ibi venerunt prima nocte usque Hirschfeld. Abbas Hirschfeldensis curavit eos curru abduci ad Franckfordiam. Ibi domina vixit biennio, et ibi est mortua. Tanta fuit calamitas filiae imperatoris. Adolescentes filii apud patrem male educati sunt, quia erat adulter, et adiunxerat sibi dominam de Eisenburg [83]), cuius amore insaniebat. Ideo Albertus frater curavit adolescentes filios ad se mitti, et educavit eos, et instituit haeredes contra fratrem. Inde sunt orta bella, et tamen mirabiles eventus fuerunt. Ille Fridericus, qui habuit admorsam genam, fuit bis captus [84]), tamen mirabiliter liberatus est. Titmannus, frater Friderici, Lipsiae interfectus est [85]); sepulchrum eius est in templo Pauliniano, id est, ubi nunc est mensa communis Collegii. Fridericus gessit bellum cum duobus regibus, ut vocant, Adolpho et Alberto, habuit felices successus, tamen non sine magna calamitate gessit bellum cum patre, pater mortuus est in exilio. Ille Fridericus pervenit usque ad ultimam senectam [86]), sepultus est in Eisenach; ibi est eius epitaphium in parvo sacello extra urbem:

Ecce Fridericus cultor virtutis, amicus
Pacis, conditur hic stirps imperialis, et illic
Fulgeat iste pius Marchio Landgravius.

Videtis, qualis tunc fuerit poetica. Stirps imperialis, id est, mater eius fuit filia imperatoris.

Vss. 591—594. Virum fortem oportet habere animum paratum ad ferendas res secundas et adversas. Wie er hie zuvor gesagt hat, *Τόνδ' ἀγαθὸν τολμᾶν χρή* etc. Oportet ferre sortem utrarumque, quas dant Dii, neque aegrotans, languens, propter res adversas dolore afficias mentem, neque laetis delecteris, priusquam extremum finem videas.

Vss. 595 sqq. XXXVIII. De fucatis amicis.

Vs. 595. Bonum est amicos procul esse dissitos.] Es reimpt sich besser ad gubernatores summos, quorum est aliqua antecellentia, nisi sint admodum sapientes viri, et vere et sincere inter se diligant, quia facile incidunt inter eos offensiones. Es ist ein alt Dictum, wiewol es heßlich gnug geredt: Veris amicis utere, fucatis abutere. Wie er zuvor gesagt hat allhie. Verbis sis eius amicus etc. Id est, non accersas tu ipse offen-

78) Hoc est dictum Iustini 5, 1, 11.

79) Conf. Cic. pro Rabirio Post. 1.

80) Plaut. Pseud. 2, 3, 12. (paucis mutatis).

81) Aeschyl. Pers. 739. ed. Schütz.: *Ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις αὐτός, χὠ θεὸς ξυνάπτεται.*

82) Scil. Margaretham.

83) Nempe Kunigundam de Eisenberg.

84) Hic Fridericus, a. 1257. natus, primum captus est ab Alberto patre, deinde (1317.) a Woldemaro Brandenburgensi.

85) Dietzmannus a. 1307. Lipsiae interfectus est.

86) Fridericus mortuus est 16. Nov. 1324. in arce Wartburgensi.

siones. Iucundius est parare amicum, quam retinere. Thales.

Vs. 596. Voluntas fastidium est cuiuslibet rei praeterquam divitiarum.] Amici non sinceri facile fastidiuntur, quando non sunt naturae consentientes singulari quadam naturae συμπαθείᾳ, non sunt durabiles amicitiae.

Vs. 597. Volo retinere amicitiam, sed converseris cum aliis.] Non sit nimis magna conversatio.

Vss. 598 — 600. Qui tuam mentem melius norint. Non lates, aut non fallis me, vadens in der Wagenstraß, in via regia, lata, qua et prius agebas scilicet currum.] Id est, ego sciebam te non esse sincerum.

Vss. 601 sq. Pereas Diis invise, et infide hominibus, qui habebas frigidum, varium serpentem in gremio.] Id est, tu fuisti fucatus amicus, tantum adiisti, ut deciperes.

Vs. 603. Talia semper insidiosa et perfidiosa facta perdiderunt Magnetas.] Magnetae est nomen multorum populorum, et ibi fuerunt venae metallicae; fuerunt Magnesii in Asia, und es sind allwege reiche Leute gewesen. Praecipuum miraculum magnetis est, quod dirigit se ad polum, habet cognationem cum parte coelesti polari. Darumb macht man die Compaß mit Magneten. Veteres venae metallicae fuerunt multo uberiores et locupletiores quam nunc, sicut sylvae fuerunt pleniores, et arbores magis arduae, fruges pleniores et grandiores. Illa senectus fit languidior, donec exstinguatur; et non procul absumus a fine.

Vs. 605. Multo plures perdidit saturitas, abundantia quam fames.] Gut macht mut etc. Divitiae pariunt insolentiam. Luxuriant animi etc.

Vs. 606. Viros, qui voluerunt plus habere quam pro sua sorte.

Vss. 607 sqq. XXXIX. De maledicentia, mendaciis et futilitate.

Contra IX. praeceptum Decalogi, ubi prohibentur petulanter maledicta non necessaria. Futilitas gehört auch dazu, denn sie sind einander verwandt. Salomon[87]): In multiloquio non deerit peccatum. Garruli et futiles etiam sunt mendaces.

87) Prov. 10, 19.

Vs. 607. Exigua gratia est in principio.] Id est, mendacium initio habet aliquam speciem. Plautus[88]): Calidum mendacium optimum, id est, recens, θερμὸν ψεῦδος. Wenns kalt wird, so merckt mans.

Vss. 607 sq. In fine lucrum illud.] Id est, commoditas captandi, turpe et damnosum pariter.

Vss. 609 sq. Nihil boni est viro, cui mendacium comes est, quam primum exierit ab ore.] Mendacii finis est turpitudo et confusio.

Vss. 611 sq. Non est difficile obtrectare etc.] Usitatum malum est obtrectatio et maledicentia, quia omnes sumus natura superbi. Item etiam sumus tales, qui libenter volunt iudicare. Nemo est, qui non sit Suffenus[89]); sed non videmus manticae quod in tergo est[90]). Sumus curiosi in aliis iudicandis et accusandis, in nobis negligentes. Salomonis dicta longe antecellunt aliis. Iustus in principio accusator est sui[91]). Nemo est, de quo non aliquid probabiliter cum aliqua specie dici possit, quia omnes habemus aliqua vitia et errata, illa possunt amplificari et exaggerari copiose.

Omnes nobis blandimur, indulgemus, sumus coeci in nostris vitiis iudicandis, imo etiam artifices in excusando. David diu quaerit excusationes in peccatis. Est impossibile omnibus sophismatibus respondere, so kan mans schmücken.

Vss. 613 sq. Multorum est talis futilitas, ut non possint tacere, sed boni sciunt servare modum.

Vss. 615 sq. Neminem prorsus bonum et moderatum virum sol adspicit.] Nemo est, qui non habeat aliquam labem. Non est iustus in terra, qui etc. Loquitur de diversis lapsibus, id est, etiam praestantes et bene meriti viri habent suos lapsus. Plato[91a]): Nemo nascitur τετράγωνος, id est, perfectus. Qui vitia odit, homines odit. Vitia scilicet non enormia, com-

88) Plaut. Most. 3, 1, 136.

89) Conf. Catull. 22, 18—20. Neque est quisquam, Quem non in aliqua re videre Suffenum possis. — Suffenus poeta fuit ineptus, qui se tamen plurimum admirabatur. Hinc communi nomine vocantur Suffeni, qui stulte se admirantur.

90) Sed non — est.] hic est versus Catulli 22, 21.

91) Prov. 18, 17.

91a) Plat. Prot. (Opp. ed. H. Steph. T. I. p. 339. b. 344. a.).

munes infirmitates. Item: In Deo est perfectio, in hominibus non est.

Deus dat secunda et adversa.] Dives et pauper una habitant, Deus facit utrumque. Deus vult aliquos esse pauperes et aliquos divites, singuli videant, ut ea vocatione, ad quam vocati sunt, et eo statu recte utantur.

Vs. 619. Volvor multum in impossibilitatibus, in angustia, dolens corde.] Impossibilitas causae facit angustiam animi. Ἀμήχανος usurpatur pro consternato, pro dubitante, quid agendum sit etc.

Vs. 620. Nondum egressus sum ex extrema paupertate.] Paupertas est etiam apud cives mediocres. Nos scholastici sumus in extrema paupertate. Crassus dixit, neminem esse divitem, qui non possit suis facultatibus alere exercitum. Hoc dictum iuste reprehenditur, quia exercitum alere non est privatarum facultatum ullius hominis, imo etiam nullius civitatis, sed imperii et regni. Und wird dennoch jm schwer gnug. Die Herrn, die da kriegen, werdens wol jnnen. Ὁ πόλεμος οὐ σιτεῖται μέτρια. Bellum non alitur certa mensura.

Fridericus dixit: Krieg ist ein bodenlos ding. Imperatorem nostrum, quamquam non saepe ridet, tamen dicunt subridere, quando audit aliquos parvos dominos esse cupidos belli. Ipse etiam aliquando stans in colle ante sex annos, inspiciens exercitum nostrorum principum, dixit ad aliquem: Omnes isti sunt Germani? Ita. Nulla est peregrina natio? Non. Cito deerunt illis sapientia et pecunia. Et abiit, et ita etiam accidit.

Vss. 621 sq. Unusquisque honorat divitem et negligit pauperem; eadem mens in hac re est omnibus.

Vss. 623 sq. Omnis generis malitiae sunt inter homines, fraudes et varia artificia, machinationes victus.] Id est, die Narung ist mancherley. Varia sunt consilia, honesta et probabilia etiam.

Vs. 625. Ἀργαλέον.] Admonitio de vitandis non sanis, ut ille obiurgans ebrium. Wenn einer wil predigen bey unverstendigen Leuten. Concionari fascinatis aliis opinionibus vel furentibus est stultitia.

Sapere apud non sapientem, odiosum et molestum est sapienti. Gelerten ist gut predigen. Τοὺς συνέτους δ' ἂν πείσεις[92]) τάχιστα λέγων εὖ. Sophisten, wansinnige Leute und die irrige Köpffe haben, lassen sich nicht bedeuten und schliessen. Christus[93]): Nolite obiicere margaritas porcis etc. Canes sunt, qui tantum quaerunt occasionem dilacerandi, qui ardent odio Evangelii, qui hoc agunt non ut discant, audiant, conferant in commune, nolunt πείθειν καὶ πείθεσθαι. Das sol man thun, πείθειν καὶ πείθεσθαι. Man sol sich lassen concludiren und weisen, wenn man eins andern rechte meinung gehört hat. Est admonitio de docilitate. Apud dociles est docendum

Vss. 629 sq. Pubertas et adolescentia facit levem, temerariam mentem viri, sed trahit, extrudit multorum animos ad errorem.] Iuniores sunt mobiliores et temerarii, hoc est familiarius isti aetati imbecilli. Ovidius:

Non omnia segnior aetas
Deteriora tenet.

Salomon[94]): Stultitia alligata est adolescentibus. Paulus[95]) dicit: Episcopus non sit νεόφυτος, id est, ein Neuling. Tirones recentes habent maiores de se opiniones, quam illi, qui diu in re versati sunt, qui sciunt magnitudinem artis.

Vss. 631 sqq. XL. De ira, et pertinet ad quintum praeceptum: Non occidas.

Iratus multa peccat. Horatius[96]): Ira furor brevis est. Μανία βραχεῖα, inquit Aristoteles. Item, ira operatur stultitiam.

Vs. 631. Cui non mens firmior est quam ira.] Ubi non imperat ratio irae.

Vss. 631 sq. Semper iacet in magnis calamitatibus et erratis.] In Cyri paedia nusquam irascitur Cyrus per totum librum. Qualiacunque sint ducum peccata, tamen nulla legitur eius commotio, nulla significatio irae, omnia facit placidissime. Cicero eodem modo laudat Scipionem. Idem obiurgat Q. fratrem, quod sumpserat atrocia supplicia de quibusdam[96a]). Sapiens gubernator etiam minus facit, potius peccat lenitate, sicut in Deo eminet bonitas. In epistola Iacobi 1.[97]): Misericordia superat iudicium. Sic

92) πείσεις] sic scripsi; Ed. 1560. πείσε. — Conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. II. prov. 12.

93) Matth. 7, 6.

94) Prov. 22, 15.

95) 1. Tim. 3, 6.

96) Horat. Epist. I, 2, 62.

96a) Cic. epist. ad Q. fratrem I, 1. c. 13.

97) Iac. 2, 13.

semper in vita debet eminere bonitas. Si iniquitates observaveris, Domine etc. [98]). Si misericordia Dei non superet iudicium, quid nos essemus?

Vss. 633 — 636. Deliberes bis et ter, gerett dennoch wol nicht, bis et ter repetas deliberationem. Calamitosus praeceps vir est. Bonos viros comitatur deliberatio, bedencken, et pudor, quorum nunc sunt non multi, sed vere pauci.

Vss. 637 sq. Illae res divinae sunt periculosae, difficiles, spes et periculum utraque.] Multa periculosa omnibus accidunt. Xenophon [98a]): Ἅπαντα προςδοκᾶν δεῖ ἄνθρωπον ὄντα.

Irus et est subito, qui modo Croesus erat [99]).

Vss. 639 sq. Fortuna cito potest mutari. Aliqui sunt ita ἐνέλπιδες, das sie dencken, es mus alles wol geraten. Ἔργα, id est, eventus saepe praeter opinionem accidunt. Saepe optimum consilium pessime cadit. Quando? Wenn man ding fürnimpt, das nicht nötig ist. Est verum de polypragmonis, de curiosis.

Vss. 641 sq. Nemo curat neque amicum, neque inimicum, nisi nactus fuerit seriam rem.] Id est, nisi in re seria nemo adficitur admodum, vel erga amicum vel erga inimicum. In der Not spüret man einen Freund. Id est, non potest iudicari amicus vel inimicus nisi in re seria. In Banckel können die Herrn leichtlich 2000 Pferde auff bringen, in der Not kaum 200.

Vss. 643 — 646. Multi ad pocula sunt amici, in re seria pauciores. Paucos invenias fideles propinquos et socios, positus in magna consternatione et angustia.] Fabula: Paterfamilias, qui habuit filios et generos, deprehendit lupum in agro suo, et iussit una secum egredi affines et filios. Circumdederunt lupum, qui excitatus a canibus voluit aufugere. Videt patrem stare apud filium, ibi inquit: Non penetrabo, quia pater et filius coniungent se. Postea stetit frater apud fratrem, ibi inquit etiam: Non penetrabo, quia frater non deseret fratrem. Venit ad fratrem et affinem, ibi inquit: Penetrabo, quia cito discedet alter ab altero. Es gehet so zu auff Erden. Sunt narrationes de eventibus et miseriis humanis, de perfidia humana.

98) Psalm. 130, 3.

98a) Xenoph. Anab. VII, 6, 9. ed. Thieme. (§. 11. ed. Schneider).

99) Ovid. Trist. III, 7, 42.

Vss. 647 sq. Iam pudor periit inter homines, impudentia versatur supra terram.] Querela.

Vss. 649 sq. Misera paupertas, cur meis humeris insidens deformas corpus et animum meum?

Vss. 651 sq. Doces me turpia multa non volentem, scientem honesta et bona.] Ein armer mus offt in einen sauren Apffel beissen, da er es besser hette, wenn er reich were.

Vss. 653 sq. Sum dives et fortunatus, nullam aliam virtutem amo.] Hette ich viel Gelt, were ich lieb gehalten. Est mimesis, vox populi.

Vss. 655 sq. Omnes dolemus tecum male affecto, sed propria res premit, aliena non sunt curae.] Οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δ' οὐ μέλει. Omnes peccamus contra praeceptum: Diligas proximum tuum sicut te ipsum.

Alienae rei vel doloris cura est diurna.] Id est, brevis et levis est cura alieni doloris.

Vss. 659 sqq. Οὐδ' ὀμόσαι.] De varietate et incertitudine eventuum humanorum, et de inconstantia fortunae. Ludit in humanis divina potentia rebus etc.

Vss. 657 — 664. Non nimium excrucies animum in adversis, neque nimium laeteris bonis. Est boni viri omnia ferre. Neque iurare oportet hoc, quod hoc nunquam erit. Dii enim irascuntur, penes quos est eventus. Accidit sane efficere aliquid boni ex malo, et malum ex bono, et pauper factus et dives, et qui multis saturatus fuit, subito omnia amisit in una nocte.] Ἀσῶ est imperativus ab ἄζω. Inde est ἄση, fastidium, nausea. Φρόντις χαλεπὴ νόσος, inquit Hippocrates: ἄση λάζεται καὶ ὡς ἄκανθα. Es schmeckt einem weder essen noch trincken, quia virtus prosternitur, id est, es sticht in corde sicut spina. Dictum contra securos. Multi nobis persuademus perpetuos successus. Man soll nichts verschweren denn Nasen abbeissen.

Vs. 665. Etiam sapiens frustatus est.] Es gerett jm auch nicht allezeit. Nulla est tanta sapientia, quae non saepe labatur. Graecia Themistocli tribuit laudem sapientiae, tamen eum fefellerunt sua consilia. | Solus Deus est sapiens, sicut dixerat Thales Milesius, cum ipsi fuerat primo oblatus tripos a piscatoribus Milesiis inventus, oraculum respondit dandum esse sapientissimo, dederunt ergo Thaleti. Ille dedit Soloni. Sic circumlatus est ad septem sapientes, et rediit

ad Thaletem. Thales postea Apollini Deo, qui est sapientissimus, dedit[100]). Simonides fuit avarus et dives sapiens.

Episcopus Saltzburgensis, quando ei donantur poma aurea, vendit; ista est sordities. Ut Mersburgensis prior vendidit esoces donatos sibi, id est, die Lechs.

Vs. 669. *εἰμὶ δ' ἄφωνος.*] Id est, ideo malum regimen est, quia stulti imperant propter divitias.

Vss. 671 sq. Ideo ferimur abiicientes candida vela, id est, navis iam frangetur iactata procellis, ex ponto circa insulam Melum, id est, inter Cycladas, in obscura nocte.] Est usitata regula, quod negligantur modesti homines, et evehantur Thrasones, ut est in comoediis.

Vs. 673. Haurire sentinam,] id est, homines non volunt laborare in gubernatione, et sustinere onus gubernationis.

Vs. 675. Fecerunt cessare.] Id est, removerunt bonum gubernatorem, sicut Caesar, Crassus et Pompeius ablegarunt Catonem in Cyprum, dederunt ei aliam administrationem, ut domi possent evertere rempublicam [1]).

Vs. 677. *Κόσμος*] Id est, bonus ordo. *ἀκοσμία*, unordenlich wesen.

Vs. 679. Baiuli dominantur, et mali sunt supra bonos.] In descriptionibus Basilii de episcopis dicitur, servulos fieri episcopos. Qui antea fuerunt potentum servuli, fiunt episcopi. Sicut nobiles ex suis calefactoribus faciunt pastores.

Vs. 681. *Αἰνίσσομαι*] abscondite et aenigmatice loquor, unde *αἴνιγμα* significat absconditum et tectum sermonem. Usitatum est pingere gubernationem imagine navigationis bonae vel malae.

Vss. 683 sq. Alii stulti sunt divites, boni sunt pauperes, et quantum possunt, tantum boni faciunt, et plus facerent, si possent, sicut dux Ernestus, frater ducis Iohannis Friderici, non habet magnas facultates, et tamen alit plurimos scholasticos. Nescio, an alicuius principis sit tanta liberalitas, quanta est huius; plus faceret, si posset. Deus omnino erit memor istius liberalitatis, erit omnino memor.

100) Conf. Plutarch. vita Solon. c. 4.

1) Conf. Plutarch. vita Marci Porcii Catonis natu minoris c. 33. 34.

Episcopus locupletissimus Saltzburgensis [2]) est avarissimus. Quando equitat in pluvia, abscondit pileum sub humero, ne madefiat pluvia, et mavult suum caput madefieri quam pileum. Mala aurea vendidit, er hat ein Jar einkomens mehr denn 100000 Gülden, et omnibus literatis ne unum quidem nummum daret.

Dux Augustus etiam est liberalis et munificus; item dux Ernestus Luneburgensis.

Vss. 687 sq. Non est possibile hominibus, cum Diis pugnare, neque intendere eis litem.] *Δίκη* totum iudicium, et poenam et litem significat, wie wir das wort auch recht gebrauchen. Plautus: Bonis quod bene fit, id demum gratum est et grave. Lieblich und freundlich. Quare grave? Grave, id est, *σεμνόν*. Est fortassis sumptum ex Graeco *εὔχαρι* [3]) *καὶ σεμνόν*. Item Plautus: Non sumptus, sed quaestus est amico hospiti benefacere. Theocriti est elegantissimus versiculus in epigrammate de alente catulos luporum: *Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται* [3a]). Es sind etliche Menschen alſo, man thue jnen, wie man will, so werden sie jmer erger.

Vs. 691. Perficias viam per longum mare.] Qui nescit orare, debet navigare [4]). Magnum est periculum in mari etc.

Vss. 697 sqq. *Εὖ μὲν*] Querela de vulgari admiratione divitiarum. Wenn einer so klug were als Nestor, und from als Rhadamanthus, ists doch gar nichts, non de iure, sed de facto etc. Quando Euripides exhibuit Bellerophontem [5]), ubi tutor diripuit facultates pupillis, Bellerophontes invasit regnum Messeniacum ereptum pupillis, sicut est usitatum, ille Bellerophontes interficitur a civibus, et eius coniux fit furiosa ex dolore et interficit suos natos; illae poenae sequuntur perfidiam tutelae. Ista recitantur apud Athenaeum

2) Matthaeus Langius.

3) *εὔχαρι*] Ed. 1560. male: *εὐχάρυ*.

3a) In Theocriti Ed. Kiessl. hunc versum non inveni.

4) Conf. proverbium: Wer nicht beten kann, werde nur ein Seemann.

5) Bellerophontem] sic h. l. et in seqq. scripsi; Ed. 1560. Cresphontem. Bellerophontes enim, id quod ex Senecae epist. 115. liquet, ab Euripide in tragoedia deperdita Bellerophontis nomine inscripta (cuius fragmenta supersunt) auri amantissimus fictus est; illa vero eiusdem poetae tragoedia deperdita, cui Cresphontis nomen dedit, diversi est argumenti.

et Senecam[5a]). Principio inquit prologus, divitias esse summum bonum et omnino divinum quiddam, inde iuste ratiocinatur Bellerophontes, se iuste retinere istum principatum, ibi Euripides statim est exibilatus. Euripides iussit expectari finem, quia tunc essent intellecturi, quas poenas ille laudator divitiarum esset daturus, quod interficeretur etc.

Vs. 701. *Σωφροσύνη* significat integritatem vel iustitiam, alias est modestia.

Vs. 702. Sisyphus est exemplum Psalmi: Nisi dominus aedificaverit domum etc.[6]). Volvere saxum Sisyphi, est pictura humanae sapientiae. Conatus sapientum, Deo non iuvante, est volvere saxum Sisyphi. Irritus est omnium labor sine auxilio divino. Inde non sequitur, quod homines non debeant laborare, es gehört zusamen. Plutarchus in Paulo Aemilio: *Οὐ δυνατὸν μὴ βάλλοντα εὐστοχεῖν.* Id est, non potest tangere metam, nisi laboret, ergo debet etiam laborare. Illa dicta de necessitate et fiducia auxilii divini non sunt intelligenda, quasi homines debeant esse otiosi. Aeschylus in Persis [7]): *Ἀλλ' ὅταν σπεύδει τις αὐτὸς καὶ θεὸς συνάπτεται.* Praeeunte gratia et comitante voluntate. Trahit Deus sed volentem. Est dictum contra desidiam et enthusiasticos furores, qui cogitant: Volo sedere et expectare, donec me Deus violenter convertat. Si Deus trahit, et tu nihil agis, tunc nihil fit.

Sisyphus significat ambitiosum, significat humanos conatus, sine auxilio divino.

Rex Galliae[8]), Papa Clemens[9]) et Veneti coniunxerunt se ad minimum ter contra Carolum[10]), voluerunt vel premere, vel frangere, vel infringere, vel labefactare eius potentiam, vel mutilare, circumcidere, diminuere, vel amputare aliquid; omnia conantes nihil perfecerunt, sed auxerunt eius vires. O res Francisce, volvis saxum Sisyphi, conaris frustra etc. Et in postremo bello Franciscus nuntiavit ei per legatum haec verba (Gallice fortassis melius sonat, quam in alia lingua.): Ego faciam te tam pauperem, quam est unus comes. Imperator nihil respondit aliud, nisi se dolere vicem ipsius, quod etiam in senecta non posset quiescere.

Legatus Venetus venit ad Maximilianum, indicens illi bellum illa veteri forma: Maximiliane, senatus populusque Venetus indicit tibi bellum terra marique. Imperator respondit: Vade et dicas tuis dominis, ut stulti simili stultitia bellum gerant, qua indixerunt. Modestia vicit *ὕβριν.* Insolentiam[11]), *ὕβριν*, sequitur poena. Ante humiliationem insolentia. Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Wer da fallen sol, der mus vorhin scheuslich stoltz werden.

Vs. 704. *Πέρθω* heisst spolio et occido, *φονὴ* caedes. Inde Persephone.

Vss. 705—712. Quae praebet hominibus oblivionem, (id est, quae occidit homines) laedens mentem: alius quispiam nondum hoc excogitavit (scilicet quomodo redierit Sisyphus ex inferis), quem mortis nigra nubes occultaret, id est, qui esset mortuus, et qui veniret in horridum locum mortuorum, et permutaret, transiret caeruleas, cyaneas portas. (*Κυάνεον*, blau, lasur, pro obscuro usurpatur.) Quae portae cohercent animas mortuorum, quamquam recusantes, invitos. Sed tamen ille Sisyphus rediit in lucem solis sua sapientia.

Vss. 713—718. Neque si faceres mendacia similia veris, habens linguam bonam Nestoris, et si esses celerior pedibus celeribus Harpyarum, (Harpyae significarunt latrocinia vel astutiam) et esses celerior filiis Boreae, quorum pedes sunt celeriter, (Adverbium positum pro nomine); sed oportet omnes hanc sententiam deponere, abiicere apud se, quod divitiae plurimum valent in omnibus.

Vss. 719 sqq. *Ἶσον τι*[12]).] Correctio. Imo divitiae sunt habere necessaria. Seneca[13]) citat ex Epicuro: Divitiae sunt ad legem naturae composita paupertas, id est, ut secundum naturam possit familia vivere etc. Fames conspicitur in oculis et vultibus familiarum miserorum pastorum, der Hunger sihet jnen zu den augen heraus.

5a) Senec. Epist. 115., ubi iste avarus appellatur Bellerophontes.

6) Psalm. 127, 1.

7) in Persis] Aeschyl. Pers. 739. ed. Schütz. *Ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις αὐτός, χὠ θεὸς ξυνάπτεται.* Ed. 1560. habet: in Prometheo.

8) Franciscus I.

9) Clemens VII. papa 1523—1534.

10) Carolus V. imperator.

11) Insolentiam] Ed. 1560. male: Insolentia.

12) *Ἶσον τι*] sic Ed. 1560. et Theogn. Editt. supra p. 5—8. allatae; Editt. Gaisf., Bekk., Bergk. *Ἰσόν τοι.*

13) Senec. Epist. 27. extr.

Paulus[14]) inquit: Simus contenti, habentes victum et amictum, id est, necessaria etc. non supervacanea, das da ist pompa und nur splendor. Multi nostri parentes defraudant suum genium, tenuius et durius victitant, ut nobis comparcant aliquid ad studia etc.

Historia de laudatore divitiarum Bellerophonte[14a]) et eius poenis est apud Senecam libro 21. Epistolarum, epistola prima[15]):

Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris aut blandae potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens:
Si tam venusta est ac amabilis Venus[16]),
Merito illa amores coelitum atque hominum movet.

Id est, Pecunia ist lieber denn Vater, Mutter, Kinder etc. Multi scelerate faciunt contra parentes amore pecuniae. Magna est insania, quando extinguuntur in homine στοργαὶ, ut pluris faciat pecuniam[17]).

Sequuntur verba Senecae[18]): Cum hi versus in Euripide[19]) pronuntiati essent, totus populus ad eiiciendum et actorem et carmen consurrexit uno impetu, donec Euripides ipse in medium prosiliit, petens ut spectarent[20]) viderentque, quem admirator auri exitum faceret. Quamquam crescit petulantia, quod differuntur poenae, tamen scio, quod statim venient poenae. Ita in tota vita intueamur et expectemus exitum. Mala consilia initio sunt blanda; sed exitus sunt tristes[21]). Dabat in illa fabula poenas Bellerophontes[22]), quas in sua quisque dat. οἷά τ' ἀνὴρ ῥέζει etc.[23]). Nulla enim avaritia sine poena est[24]). Avaritia hoc loco significat insidiari alienis bonis, defraudare, sive petendo mutuum, sive furando, quocunque modo invadere in bona aliena variis artificiis, ut stelliones, quia stellio est maculosus.

Vss. 719—725. Aequale est divitibus, quibus multum est argenti et auri, et campi terrae gignentes triticum, et equi, et muli, et cui necessaria adsunt, ventri, lateribus et pedibus molliter adfici; filii et uxores, quando venit tempestivitas eorum, (id est, quando puer et uxor indiget, et simul quando est aetas conveniens). Haec sunt divitiae hominibus, (das heisst, ad legem naturae composita paupertas).

Vss. 725 — 728. Nullus moritur retinens suas superfluas opes (id est, quando moritur, nihil secum aufert), neque dans pretium effugeret mortem, neque graves morbos, neque malam senectam venientem.

Vss. 731 sqq. XLI. Querela de providentia.

Est usitata querela, quae etiam totius Ecclesiastis argumentum est. Providentia est iuste regere, dare bona bonis, mala malis, sontes punire et concedere impunitatem non sontibus. In mundo non est illa iustitia, sicut Dionysius tyrannus primus maior ille mortuus est placide, non violenta morte, et tamen fuit saevus, filius postea est expulsus[25]). Ergo non est providentia. Respondeo: Est duplex solutio. Una legalis. Nego minorem, quia in mundo etiam atrocia delicta puniuntur praesentibus poenis, sive in proprio corpore, sive in natis. Dionysius non est expulsus, sed filius, hats auch verdienet. Pater monuit eum, ne raperet alterius filias, ibi respondit filius: Pater, nisi hoc facerem, non essem tyranni filius. Pater respondit ei: Sed ista faciens, non habebis tyrannos filios; sicut accidit. Nam Syracusani filios eius dissecuerunt, ipsum patrem in exilium cogerunt. Syracusani traxerunt eum equis per viam. II. Evangelica solutio. Etiamsi differuntur poenae, tamen restat aliud iudicium. Et tamen in hac vita Deus est custos politicae iustitiae, et punit violatores. Da wird die grosse poena angehen. Quaedam peccata mitiora hîc non puniuntur, quae reservantur ad aliud multo gravius et tristius iudicium, Epicureismus et contemptus Dei etc. Tamen etiam Deus punit atrocia delicta praesentibus

14) 1. Tim. 6, 8.

14a) Bellerophonte] sic scripsi; Ed. 1560. Cresphonte.

15) Senec. Epist. 115. (Senecae Opp. Tom. II. p. 572. Ed. Elsevir. Amstel. 1672. 8., in qua Ed. epistolae non in libros distributae sunt, sed continua serie numerantur).

16) Si tam — Venus,] sic Ed. 1560.; in Ed. Elsevir. hic versus legitur sic: Tam dulce si quid Veneris in vultu micat.

17) Id est, Pecunia — pecuniam.] haec explicatio in Ed. 1560. secundo et tertio horum versuum interposita est.

18) H. e. Seneca in illa epistola his versibus ab eo allatis haec adnotavit.

19) Cum hi versus in Euripide] sic Ed. 1560.; Ed. Elsevir.: Cum hi novissimi versus in tragoedia Euripidis.

20) spectarent] sic Ed. 1560.; Ed. Elsevir.: expectarent.

21) Quamquam crescit — sunt tristes.] haec verba a Melanthone Senecae adnotationi sunt interserta.

22) Bellerophontes] sic Senecae Ed. Elsevir.; Ed. 1560. Cresphontes.

23) Haec verba graeca Melanthon adiecit.

24) poena est.] his Senecae adnotatio h. l. finitur.

25) Dionysius II. a Dione expulsus est a. 357 a. Chr.

poenis, sicut etiam Ecclesia multum exercetur praesentibus poenis. A Domino iudicamur, ne cum hoc mundo damnemur etc. Omnes sumus negligentes, quia videmus eos non subito horribiliter extingui, qui labuntur etc. Deus differt poenas, ut concedat spatium poenitentiae, alias haec natura non posset sustinere, si Deus statim effunderet iram in lapsos. Bene confirmandus est animus solutione istius argumenti. Textus[26]) dicit: Puniam in tertiam et quartam generationem. Est multo tristius videre posteritatem opprimi poena, quam nos ipsos.

Vs. 732. ἀδεῖν] heifft offt satt werden.

Vss. 733 sqq. Utinam sit gratum Diis illos ipsos puniri, non filios, sed autorem luere illa mala, et nati non penderent delicta parentum.

Adspiciunt oculis superi mortalia iustis[27]).

Est doctrina legalis et confirmata experientia. II. Differt poenas, quia vult nos fidem amplecti in verbo, si esset tantum experientia, non esset fides. Vult, ut ipsi obedientia praestetur in fide.

Ah miser est, si quis primo periuria ridet[27 a]).

Vss. 732—756. Utinam sit gratum Diis, quisquis crudelis in pectore, animo, iniusta, odiosa facta facit, nihil veritus Divos, ipsum factorem vel autorem deinde luere, et non postea patris iniuria, iniustitia, temeritas, natis fieret malum. Et nati, qui cogitantes de iniusto patre iusta faciunt, tuam iram timentes, reveriti, a principio, continuo iusta cum civibus amantes, nullam praevaricationem luerent parentum. Haec sint grata Diis. Sed perpetrans, faciens talia, effugit, elabitur, (ut prior ille Dionysius), et alius deinde malum, poenam perfert. Hoc, o rex Deorum, quomodo est iustum? quisquis vir existens extra iniusta facta, non habens aliquam praevaricationem, et non habens iniustum iusiurandum, sed existens iustus patiatur non iusta? Quis homo deinde videns ad hunc, velit postea vereri Deos? et qualem habens animum, quando homo iniustus et temerarius, neque hominis neque Deorum vitans iram, facit iniuriam, divitiis saturatus, sed iusti cruciantur afflicti difficili paupertate. Haec considerans iuste quaerito divitias (Credo esse mutilum hoc in loco, et eum consequens posuisse: Tamen tandem veniunt poenae.) Inde sequitur adhortatio: Tu igitur iuste quaerito divitias, tenens modestum animum, semper memor horum sermonum (restat iudicium, etiamsi differtur); in fine laudabis obtemperans sapienti consilio.

Gravior est poena in posteris. David hats wol gefült. Universale est: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis. Alterum etiam saepe fit, quod boni puniuntur, ut Socrates, Camillus, item multa millia innocentum infantum a Turca interfectorum etc. Respondeo: Totum genus humanum est mersum in peccatum originis, illi etiam habent peccatum, ita Ecclesia. Praeterea ira Dei irritatur peccatis generis humani, ideo venit Turca, ideo bibunt etiam innocentes ex hoc poculo, ut est in Hieremia; sed in altero iudicio fiet integra separatio et glorificatio Ecclesiae, et tota multitudo impiorum habebit aeternas poenas.

Vs. 754. Σωφροσύνη[28])] significat interdum temperantiam, ut in Athenaeo est versus:

Καὶ τὴν εὐσεβείας γείτονα σωφροσύνην.

Id est, temperantia vicina pietati. Extinguitur agnitio Dei intemperantia. Quando membra sunt accensa temulentia, non potest efficax esse spiritus in nobis. Man sol eine nüchterne stunde nemen ad precationem et ad meditationem. Petrus[29]) dicit: Sitis sobrii ad precationem.

Vs. 755. Αἰεὶ[30]) μεμνημένος.] Solutio argumenti de providentia: In fine videbitur cuius toni, id est, restat iudicium, etiamsi differtur. Iustus etiam in morte sua sperat, iniustus autem punietur. Salomon[31]).

Vss. 757 sqq. XLII. Precatio.

Vs. 757. Ζεὺς] a ζῆν, vivere. Χρόνιος, Saturnus, a tempore, quia motus eius est tardissimus. Ἄρης a militia. Ἥλιος a σέλας, id est, fulgor, adspiratio habet aliquam cognationem cum s. Ἀφροδίτη ab ἀφρὸς, id est, spuma, quia auget vivificum humorem. Mercurius ab ἑρμηνεύω, expono. Σελήνη a fulgore. Veteres dixerunt μήνη, Mond. Und μήνη est ab Hebraico Mana[32]) i. e. numeravit. Ordinatio

26) Exod. 20, 5. Deuteron. 5, 9.

27) Ovid. Metam. XIII, 70.

27 a) Conf. Tibull. I, 9, 3. (vide supra p. 89).

28) Theognis h. vs. non habet Subst. σωφροσύνη, sed Adi. σώφρων,

29) 1. Petr. 5, 8.

30) Αἰεὶ] sic Theogn.; Ed. 1560. Ἀεὶ.

31) Prov. 14, 32.

32) מָנָה, numeravit.

anni facta est, ut possimus numerare tempora. Menses sunt ordinati, ut esset conspectior distributio anni. Item, ut Luna temperaret humores. Vocabulum Iovis est a Iehova.

Gerson dicit: Plures sunt gratiae privativae quam positivae. Ille Gerson vixit tempore concilii Constantiensis [33]), fuit Viennae, et ex Vienna rediit Constantiam, fuit Parisiensis, fuit magnus vir.

Scitis, quae sint in invocatione cogitanda:

I. Quem Deum invoces.
II. Praeceptum et promissi.
III. Fides, agnitio filii Dei.
IIII. Res petenda.
V. Gratiarum actio.

Tegas urbem Megara [34]).] Es sind jr zwo, una in Sicilia, altera in Attica. Es sey, welche es wolle, es ist nicht daran gelegen. Illa in Sicilia fuit colonia alterius.

Vs. 760. Ἀρθρῶσαι] regat, formet, est continuare, rechen, in einander schicken.

Vs. 761. Sacrum carmen sonetis,] id est, sacra recte colite.

Vs. 762. Placere, id est, credere Diis (placentes libationes praebentes).

Σπονδή, libatio. Ein Giesopffer oder Tranckopffer. Apud veteres ante et post coenam unus dicebat precationem et libabat, id est, fundebat aliquid. Ceremonia coenae Domini est libatio, pertinet ad genus, quod vocant *σπονδή*. Illa sunt accepta a patribus. Mactationes in Mose significant mactationem filii Dei. Libatio significabat perfundi panem vino. Coena Domini significat nos perfundi sanguine filii Dei, et nos vivificari.

Vs. 763. Nos bibamus [35]) dicentes grata inter nos.] Sicut coena Domini est commune convivium.

Vs. 764. Nihil metuentes bellum Medorum.] Lasset uns frölich sein, und nicht gedencken an den Türckischen Krieg.

Reprime Medos.] Quia haec scripta sunt, quando Darius invasit Graeciam, vel tempore Xerxis, vel tempore Cyri, quando Ionia horribiliter est vastata per Harpagum, qui fuit dux Cyri. Ionia postea nunquam recuperavit pristinum decus, multa millia hominum ex urbibus conscenderunt naves, et se submerserunt potius, quam ut venirent in servitutem Medorum. Ionia fuit florentissima urbium post Sodoma, in toto orbe terrarum, ita dedit poenas propter luxum et libidines, ut scribitur, quod formosae collegerunt sibi dotem, ut postea nuberent. Aegyptus tempore Mosis floruit, postea nunquam tale decus habuit, non fuit postea talis rex ut Pharao, neque talis princeps ut Ioseph. Massilia in Franckreich, quo iam est appulsa classis Turcica, sunt reliquiae Ionum. Massilia fuit collecta ex dispersis Ionibus.

Vs. 766. *Εὐφροσύνως.*] Id est, in laetitia viventes. Estne hoc Christianum? Ita. Debemus laetari, non securitate carnali, sed fide in Deum, non debemus manere in tristitia, in fremitu contra Deum, sed eluctari etc. Pax Dei regnet in cordibus etc.

Vs. 768. Finem mortis.] Id est, sollicitudinem de morte. Homo sine luce divina quaerit consolationem qualemcunque a creaturis.

Vs. 769. *Χρὴ Μουσῶν.*] Exemplum, quod docti debent esse *κοινωνικοὶ*, libenter communicent doctrinam, sicut Seneca [36]) dicit: Philosophia ad tria pertinet:

I. Ad sensum communem. II. Humanitatem. III. Congregationem.

1. Ad rectum iudicium de honestis et turpibus. 2. Ad communicationem doctrinae.

Seneca: Ne quidem sapientiam mihi optarem, si solus frui deberem. Deus est *κοινωνικός* etc. *Μουσῶν ἄφθοναι θύραι* [37]). Musarum ianuae sunt sine invidia. Non invidi esse debemus in communicatione sapientiae. *Μοῦσα* a *μῶσθαι*, inquirere, ein Lererin, Singerin.

Vs. 773. Ἀκρόπολις [38]), ein Burg. *παίων* [39]) a percutiendo. Inde credo etiam esse Kittim, quia idem significat utraque vox.

---

33) Iohann. Charlier a Gerson, natus a. 1363., inde ab a. 1381. Parisiis docuit, a. 1395. huius Academiae cancellarius creatus, 12. Iul. 1429. Lugduni mortuus est.

34) Tegas urbem Megara] haec verba in Theognidis carmine h. l. non leguntur.

35) bibamus] sic scripsi (= Theogn. *πίνωμεν*); Ed. 1560. libamus.

36) Conf. Senecae Epist. 89., in qua de varia philosophiae divisione agit.

37) Conf. simile proverbium *Ἀνεῳγμέναι Μουσῶν θύραι* in Erasmi Adag. chil. II. cent. VII. prov. 41.

38) Theognis h. vs. habet *πόλιν ἄκρην*.

39) *παίων*] haec vox in Theognidis carmine h. l. non invenitur.

Vs. 792. Cum bonis viris habeam bonam mentem.] Id est, sim adiunctus honestae parti, id est, placeam bonis.

Vss. 793 sqq. XLIII. Tueri conscientiae integritatem et non curare maledicos.

Natura hominum est maledica, quia est mendax, superba, invida, hoc est, maximum, servare bonam conscientiam. Es kan keiner leben, er hat obtrectatores; veruntamen sunt aliqua recta iudicia.

Vs. 798. Ignavorum nulla est memoria.] Man redt nicht vom Richter zu Brata, sed de nobis, qui eminemus, sumus doctores. Wer am Wege bauet, hat viel Richter. Nullus homo in terra est sine reprehensione, scilicet sive vera sive falsa, ut Aristides. Iohannes Hunniades[40]) optime meritus habuit obtrectatores, postea expleverunt odium in filio, et propterea filius[40a]) est decollatus, quod aemulum patris occidit, et cum decollaretur, ter est percussus a carnifice, ehe er jn verwundt hat. Ita Deus tribuit testimonium innocentiae. Es ist der feinsten Menner einer gewesen, die man weis.

De Aristotelis scriptis dicitur, quod sint scripta calamo intincto in mente. Ideo adolescentes istas sententias inscribant menti, non chartis. Sunt dicta, quae ostendunt, quales sint mores hominum. Nemo hominum est sine peccato. Postea accedit etiam malevolentia vel malitia, quae etiam in bonis obtrectat. Sunt multo plures calumniosae reprehensiones quam iustae. Ista mala discamus ferre, et sanemus, quantum possumus.

Vs. 800. Sed cui est melius? de quo non multi loquuntur.] Plutarchus in virtutibus mulierum[41]) dicit: Optima mulier est, de qua neque bona neque mala fama est, da keine große Rede von ist.

Quare melius est esse ignotam quam celebrari? Quia, quando est excellens bona fama, non etiam est muliebre, sed polypragmonicum. *Πόλεμος ἄνδρεσσι μελήσει.* Sic *λόγος ἄνδρασι μελήσει.* Mulierem decet latere et silere. Est sapienter dictum, sed attendendum est, quomodo sit accipiendum. Apelles pinxit mulierem stantem in testudine, id est, domi adstrictam, sicut Paulus[42]) vocat *οἰκουρον.*

Etiam boni gubernatores habent multas iustas reprehensiones, sed sunt multo plures iniustae. Obtrectatio sequitur, sicut umbra corpus, etiam mediocrem administrationem. Friß dreck und scheis Gold, so werden dir die Meidlin hold. Id est, sustineas omnes iniurias et molestias, Laß dich mit Füßen tretten und bescheissen, sicut certe in amore oportet omnia ferre, das heist, Friß Dreck, darnach, scheis Golt, id est, tantum bona facias, et reddas bona pro malis, studeas benemerendo sanare omnia, et sic retinebis favorem magis, quam si volueris repugnare et non ferre iniuriam. Wenn du das thust, so haben dich die Leute lieb, und darff dennoch nichts daraus werden.

Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est[43]).

Germani habent talia dicta comica vel cynica, grobe figuras, sumptas a stercore, quae tradiderunt tantum, ut propter absurditatem essent magis familiaria, ut altius insiderent in memoriam, quia admiratio et absurditas commendat ea memoriae.

Dictum Friderici imperatoris: Imperare nequit, qui dissimulare nescit. In Actis[44]) pulchre dicitur: *ἐτροποφόρησε,* Deus tulit mores populi sui. Mores amici noveris, non oderis[45]) etc. Qui vitia odit, homines odit. *Λάθε βιώσας*[46]). Vive tibi, et longe nomina magna fuge. Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit etc. Vide omnes sequentes versus in Ovidio lib. 3. Tristium elegia 4.

Vss. 803 sq. Neque Iupiter sic imperat, ut possit omnibus placere.

Vss. 805 sqq. XLIIII. Concionator debet videre, ut doctrinam incorruptam tradat.

Vs. 805. *Θεωρός*] Id est, sciscitator oraculi. Saepe spargebantur oracula grata praesenti potentiae. *Θεωροὶ* erant illi, qui sciscitabantur oracula.

Vss. 806 sq. Debet se servare rectiorem, incorruptum, cui respondens, vaticinans per sacrificulam.] Sacrificula stetit in tripode, auff dem

40) Conf. Mailàth Geschichte der Magyaren T. III. p. 6 sqq.

40a) Ladislav Hungadi, vide Mailàth l. l. p. 30—33.

41) Plutarchus in principio libelli de mulierum virtutibus, hanc affert Thucydidis sententiam.

42) Tit. 2, 5.

43) Catull. 73, 3.

44) Act. 13, 18.

45) De hoc proverbio disserit Erasmus in Adag. chil. II. cent. V. prov. 96.

46) De hoc dicto conf. ibid. chil. II. cent. X. prov. 50.

ſtul, quia tripos stetit super profundam specum, et virgo sacrificula stans in tripode expectavit halitum prodeuntem ex specu, et quando prodibat halitus, coepit illa furere et vaticinari. Suntne illa divina? Non. Paulus[47]) dicit: Spiritus prophetarum subiectus est ipsis. Furentium vaticinia non sunt divina. Darnach habt jr mehr argumenta, quod non fuerint divina, quia omnis idololatria est diabolica. Diabolus potest vaticinari ea, quae ipse facturus est, et praeterea ipse multa habet alia signa, ex quibus potest dicere futura. Ut: Croesus Halym transiens evertet magnum imperium. Das weis er, denn er hats in Esaia wol gelesen, quod Cyrus esset futurus dominus etc. Postea etiam, wenn ers nicht weis, tunc dicit ambigue.

Vs. 807. *Πυθῶνι*] id est, in oppido Pythone vaticinans vocem, significat: ex adyto, arcano loco, aus dem Khor, pingui, scilicet propter sacrificia, vel propter halitum.

Circa tempora Christi cessaverunt et conticuerunt omnia oracula, etiam Delphicum. Plutarchus conatur reddere rationem physicam, dicit halitum habere tale temperamentum, ut afferat prehensionem rerum futurarum, et quod postea sit facta mutatio vel ruina, ideo non amplius exhalare[48]). Es ist nur eitel Teuffelsgespenst gewesen.

Vs. 809. Neque apponens aliquid ad oracula.] Saepe fuerunt contraria oracula. Neque ignis, neque ferreus murus potest arcere fatum, inquit Pindarus[49]): *Οὔτε πῦρ οὔτε τεῖχος σιδήρεον εἴργατο πεπρωμένον.* Est propositio vera, necessitate consequentiae.

Vs. 810. Neque auferens oraculo aliquid effugies.] Id est, fiet tamen, quod est futurum, sive addas sive demas aliquid. Feramus fatalia, et quando mutari non possunt, so heiſts: Humiliamini sub potenti manu Dei[50]) etc. Non debemus exulcerare mala irritando et impatientia, quod tamen saepe fit. Etiam in morbis ita est. Celsus inquit: Multi magni morbi curantur quiete et abstinentia. In silentio et spe erit fortitudo etc. Multo rectius est quiescere et necessaria facere, non movere multa polypragmonice.

47) 1. Cor. 14, 32.

48) Plutarch. de defectu oraculorum c. 42 sqq.

49) Conf. Pindar. Fragm. 256. ed. Boeckh. (Pindari Opp. T. II. P. II. p. 679.).

50) 1. Petr. 5, 6.

Curando fieri quaedam peiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit[51]).

Adolescentes debent esse instructi copia talium sententiarum, quia sunt regulae vitae, et lumina orationis in loquendo et scribendo.

Vss. 811 sq. Nihil est peius morte, sed molestissimum omnium aliorum praeter mortem passus sum, quia nihil deterius est morte.

Vs. 813. Amici[52]) deseruerunt me etc.] Perfidia amicorum est gravius malum ipsa morte.

Vss. 815 sq. *Βοῦς μοι* etc.] Aliqui scrutatores oraculorum impediuntur metu dominorum et amissionis rerum suarum, conducti mercede corrumpunt oracula.

Calcando incedens cohercet dicere scientes.] Bos mihi in lingua valido pede incedens cohibet dicere quamquam scientem, id est, propter pecuniam corrumpunt aliqui oracula. Bos in lingua, proverbium[53]): quia bos significat nummum, cui inscripta erat imago bovis. *Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι.* Id est, nummi seu drachmae, quorum signum erat testudo, Schiltkröt. Aeginetica drachma habuit hoc signum, et fuit gravior Atticâ[53a]). Acarus petiit a Iove, ut in Aegina formicae illae verterentur in homines, id est, ille, qui primus reperit venas metallicas, congregavit magnam multitudinem fossorum, qui laborant ut formicae.

Ego habui nummum, quem mihi donavit Ungarus, ego donavi Camerario, qui fuit cusus tempore Traiani, in quo fuit imago vaccae et vitula lactens. Fuit signum pacis, quod ille princeps esset custos pacis, concederet pasci, rem pecuariam defenderet et conservaret.

Vss. 817—820. O Cyrne, tamen quod est fatale, est inevitabile, et fatale non metuo pati. Venimus ad malum immutabile, quod perrumpere non possumus, quando maxime fatum mortis comprehendit utrumque.

Vss. 821 sq. Qui non honorant senescentes parentes, eorum regio parva est.] Honora patrem et matrem etc. Scriptores sententiarum sumunt congruentia Decalogo, si aliquid sani scribunt, quia Decalogus est fons omnium bonarum legum.

51) Ovid. ex Ponto epist. III, 7, 25. 26., ubi autem in Ed. Bipont. pro *peiora* legitur *maiora*.

52) Amici] sic scripsi (= Theogn. *φίλοι*); Ed. 1560. male: Inimici.

53) Conf. Erasmi Adag. chil. I. cent. VII. prov. 18.

53a) Conf. Wachsmuth: Hellen. Alterthumsk. Ed. 2. T. II. p. 55.

Incredibiles furores sunt multorum hominum, tantum in isto peccato: Omnes sumus ingrati parentibus: ergo moderemur nos.

Erat Franckfordiae bombardarius ante paucos annos, cuius erat excellens industria. Er war ein Büchsenmeister und ein guter Schütz. Dum certat factis novis bombardis, et voluit eas experiri, ipse nimium properat, infundit pulverem, dum adhuc calet bombarda, pulvis incensus inflammat istum, et proiicit eum in altum, ita ut lapsus moreretur. Omnia concurrerant, subitus pavor et fumus, et allisio ad terram, ita fuit exanimatus et mortuus. Omnes dicebant fuisse hominem egregium et dignum laude, sed hanc esse poenam peccati, eo quod male tractasset matrem.

Vs. 823. Non practices tyrannica regimina, non augeas, non efficias tyrannum spe lucri.] Qui practicant nova regimina, practicant suae utilitatis causa.

Vs. 824. Neque interficias tyrannum paciscens foedera, iusiurandum Dei.] Ut Cassius, Brutus, interfectores Iulii[54]), id est, facta conspiratione.

Vss. 825 sqq. *Πῶς ἡμῖν*[55]) etc.] Communis reprehensio luxus tristi tempore. Aliqui nihil afficiuntur temporibus.

Plinius habet exemplum: Romani in carcerem duxerunt civem, qui ex fenestra coronatus in forum prospexerat post cladem Cannensem, propterea quod in publico luctu videretur minus affici, quanto magis nos debemus affici communibus miseriis. Paulus[56]) dicit: Dolete cum dolentibus etc. Iam sunt collati exercitus, aut certe iam pugnatum est in Ungaria. Deus adiuvet, sunt utrinque magni exercitus. Exercitus Ferdinandi est 30 millium hominum, et Turcicus non est minor. Est querela de stultorum laetitia in publica calamitate. Toties est praeceptum, ut communem salutem precibus Deo commendemus. Orate pro regibus etc. Si est orandum: ergo necesse est affici. Oratio sine sensu aliquo doloris est frigida. Ein truncken Gebet ist nichts. Debet esse talis *στοργὴ* in natura hominum, ut afficiamur publicis miseriis, cogitemus etiam illa ad nos pertinere. Illi sunt valde mali, qui vicinorum calamitatibus non afficiuntur, quas vident in conspectu. Paulus[57]) iubet, ut simus *φιλάδελφοι* et *φιλόστοργοι*. Flete cum flentibus, ubi est mediocris natura, non plane barbarica, saeva, crudelis, ea afficitur aliquo sensu doloris in aliena calamitate. Etiam in his magnis calamitatibus homines non fiunt submissiores. Cyrus in ultima oratione dicit: Habui successus magnos, sed semper imperavi mihi, ne fierem insolens, et *μὴ εὐφραίνεσθαι ἐκπεπταμένως*[58]), id est, laetari evolando, das einer zu weit fleucht. Nimia laetitia est saepe causa magnae calamitatis. Ante gloriam humiliatio, ante ruinam exaltatio, dicit Salomon[59]). Item: Luxuriant animi rebus etc. Item: Tolluntur in altum etc.

Vs. 825. Quomodo audent ad tibicinis modos convivari.] Hispani cum adhuc essent hic, et vidissent choreas, dixerunt: Bone Deus, quales sunt isti homines, iam primum amiserunt suum Dominum et tamen nullam praebent significationem doloris, eunt ad publicas choreas, perinde ut rebus tranquillis.

Vs. 826. Limes videtur ex foro avulsus.] Das Land ist wüst worden.

Vss. 827—829. Quae nutrit fructibus ferentes purpureas coronas in conviviis flavis comis. Sed age (i. e. praebe significationem luctus), Scythae iam nominantur Tartari in latere septentrionali. Sarmatae non fuerunt Scythae.

Vs. 829. Finito, sedato ludos conviviorum.] *κῶμος* proprie ein Banket, in quo multum est ludorum et cantionum, et sumitur pro ipsis ludis et cantionibus. Paulus[60]) dicit: *μὴ ἐν κώμοις*, id est, non in commessationibus, als da man vor den unlust 20 Gülden rechnet.

Henricus Brunsuicensis duxit equitatum in Italiam, ibi Noribergae proiecerunt argentea pocula per fenestras, destruxerunt fornaces et fenestras, multi in bello perierunt, multi redierunt mendicantes. Nemesis sequitur insolentiam.

Dies debent nos admonere de historiis veteribus et recentibus. Hoc die 10. Novembris pridie Martini, facta est pugna ad Varnam[61]), in

54) Iulii Caesaris.

55) *ἡμῖν*] sic Theogn. Editt. antiquiores supra p. 5—8. commemoratae et Brunck., Gaisf.; Editt. Bekk., Bergk. *ὑμῖν*.

56) Conf. Rom. 12, 15.

57) Rom. 12, 10.

58) Xenoph. Cyropaed. VIII, 7, 3. ed. Thieme.

59) Prov. 15, 33. 18, 12.

60) Rom. 13, 13.

61) Hanc pugnam enarravit v. Hammer in libro: Geschichte des Osmanischen Reiches Vol. I. p. 462 sqq.

qua interfectus est Vladislaus, rex Ungariae et Poloniae, praestantissimus vir, et multa millia fortissimorum virorum, anno 1444. Iam sunt anni 107. Ungari fecerant pactum cum Amurate, et quia Germani vastabant Asiam, et Amurates impediebatur bello Asiatico, Iulianus Cardinalis fuit suasor pacti rescindendi, et ut contra iuramentum moverent bellum, quia dicebat nullum posse fieri foedus sine autoritate Romani Pontificis. Postea quamquam in bello isto habuerunt multas egregias victorias, tamen tandem trucidati sunt. Varna est supra Constantinopolim credo 12 miliaribus, est littoralis civitas. Credo esse illam, quae in tabulis vocatur Anchialos, ad Tanaën fluvium, oder ja nicht fern davon. Ludovicus natus ex Vladislai fratris filio, etiam interfectus est a Turcis, quamquam ille non fuit ita instructus exercitu, ut Vladislaus. Post illam pugnam Vladislai, fugiens Iohannes Hunniades captus est a Dracole, cuius narratur multiplex crudelitas, qui venientibus Italis legatis, cum nudarent capita, et alios parvos pileolos non deponerent, confixit pileos clavis ad capita. Fuit homo valde crudelis, postea tamen est captus a Iohanne Hunniade et decollatus. Talis fuit exitus tyranni. Illa sunt cogitanda, ut simus modesti, et cogitemus ultimas poenas mundi, et oremus filium Dei, ut sit umbraculum, et mitiget poenas. Ita crescit malitia, ut necesse sit poenas crescere. Illa omnia fient deteriora in ultima senecta. Ergo commendemus nos Deo, et oremus etc.

Quidam monachus Hispanus dixit ante quinquennium: Imperator iam nihil aget de religione, tantum excutiet vobis Germanis somnum, vos iam estis ebrii, non vino, sed opinionibus et luxu. Primum vult vos castigare, postea proponet aliquid de religione. Es gehet also zu. Omnes sumus negligentiores audita doctrina libertatis, omnium mores sunt facti dissolutiores. Das müssen wir alle bekennen.

Vs. 831. Credendo perdidi pecuniam.] Borgen macht sorgen. Bürgen soll man würgen. Homerus[62]):

Δειλαί τοι δειλῶν γε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι.

Leves, futiles, stultae sunt sponsiones pro levibus hominibus. Wenn einer will bürg werden vor ein andern, der mag jm nur in sinn nemen, das er selbs wolle vor jn bezalen.

Vs. 832. Diiudicatio difficilis est utriusque.] Id est, ubi conveniat credere, ubi conveniat diffidere. Vertrau, und vertrau nicht zu viel. Fuit symbolum Iohannis Friderici. Contra: Maledictus, qui confidit in homine; et alius textus dicit: Dilectio omnia credit. Respondeo. Prior sententia est verissima: Non debemus ponere fiduciam in praesidiis humanis. Posterior sententia ita intelligatur: Dilectio omnia credit, scilicet quantum homini potest credi, ut cogitet posse decipi etc. Non sit talis fiducia immota, sicut est fiducia immota in Deum. Plato eos vocat *ταχυπόπτους*[63]), id est, quidam sunt suspicaces, ita ut omnia malitiose et suspiciose suspicentur, deuten.

Vss. 835—836. *Πάντα τάδ' ἐν κοράκεσσι*] De causa peccatorum et poenarum, alles ubel etc. Nos ipsi sumus culpandi, non Deus. Haec omnia sunt obnoxia corvis, (Es weis keiner, wo sein Leib bleibt,) et corruptioni, et non est causa Deus, sed hominum violentia et humana avaritia, et iniuriae coniiciunt homines ex multis bonis in calamitates.] Non est certus ordo sententiarum. Homines habent *ἐπίσπαστα κακά*. Menander: Plura sunt *ἑκούσια* mala, quam *αὐτόματα*. Nostra peccata, nostrae stultitiae, nostri errores attrahunt poenas.

Vss. 837—844. Duo extrema, quae perniciosa sunt, sitis solvens membra exitiosa et ebrietas molesta. Versabor in medio horum, neque persuadebis nimium inebriari, neque non bibere. Vinum est mihi gratum, in aliis mihi gratum facit; sed in uno est ingratum, quando inebrians ducit ad inimicum, sed cum fuerit inferius, quando factum est superius, wenn der Wein stercker ist, denn der Man, domum ire convenit desinentem potu.

Vss. 845 sqq. XLV. Man kan leichtlich ubel erger machen.

Est facile inclinata et pendentia ad ruinam prorsus impellere. Usitatum est ea, quae languent, stultis curationibus prorsus exulcerare. Facilius est destruere, quam construere.

Vss. 845 sq. Facile est ponere, facere male virum bene se habentem vel situm, der da wol

62) Hom. Od. VIII, 351.

63) Haec vox neque apud Platonem neque alium scriptorem invenitur.

sitzt, kan man leichtlich ubel setzen. Multo facilius est turbare quam sedare. Pindarus in Pythiis[64]): Facile est cuivis turbare civitatem, sed solius Dei est restitucre in tranquillum: *τὴν πόλιν σεῖσαι ῥάδιον τυχόντι, ἀλλὰ καθίστασθαι ἐς ἥσυχον θεοῦ.* Es kan einer leichtlich ein unglück anrichten. Ergo simus modesti, circumspecti, *συνεσταλμέ-νοι* et ardentes in precatione, contra seditiosos homines.

Vs. 847. Calcando invade populum seditiosum habentem varias cupiditates.] Multi opiniones falsas habent et spes inanes, *θερμαίνονται κοινοῖς*[65]) *ἐλπισι*, ut Pindarus dicit in Pythiis. Factiones, seditiones, vel consilia seditiosa sunt praeparatio ad ruinam imperiorum. Imperia exasperantur propter nostra peccata. Crescentibus peccatis, crescit servitus, ait Augustinus.

Hipparchus Athenis multas statuas Mercuriales fecit, id est, Wegscheiden, id est, indices viarum, sicut veteres dixerunt: Distat tot lapidibus, id est, So viel Meil weges. An der einen ist gestanden: *στεῖχε δίκαια φρονῶν.* An der andern ist gestanden: *μὴ φίλον ἐξαπάτα.* Id est, vade iusta cogitans, non decipias amicum, id est, Zeuch hin, lieber Freund, und dencke den Leuten nicht schaden zu thun. Recitatur in Platone.

Vss. 847 sq. Feri stimulo acuto et circumpone, indue ei iugum. *Δύςλοφον*] Quod iugum est malum ornamentum capitis, onerans caput vel cervicem, circumpone populo iugum, regas in virga ferrea.

Vs. 849. Non invenias populum amantem dominos.] Illa hyperbole tamen non est universalis, id est, plurimum est ubique seditiosorum ingeniorum.

Vss. 851 sqq. *Ζεὺς ἄνδρ'* etc.] Contra perfidiam.

Vss. 851 sq. Iupiter perdat virum, qui socium amicum garriens vult decipere.] Mit guten Worten teuscht man die Leute. Blandiendo decipiuntur homines, Plautus: Facis, quod facillimum est, amico iniuriam. Orate et videte, ne corpora vestra graventur crapula, id est, ne fiatis insolentes, negligentes, petulantes.

Vs. 853. Noram antea, sed melius nunc] Haud dubie dicit de dicto Alcaei. Alcaeus dixit: *φεῦγε* etc.

Vs. 854. Nulla fides in levibus est.] Si benefacis talibus, perit beneficium. Plautus: Bonis quod bene fit, id demum et gratum et grave est. Grave, id est, honestum. Gratum, id est, bewandt. Illi vicissim referunt gratiam.

Vss. 855 sq. Saepe civitas per gubernatorum malitiam velut navis inclinata praeter littus cucurrit.] Quando Deus vult punire peccata, dat gubernatores temerarios. Propter peccata populi multi principes, id est, mutationes multae gubernatorum, respublicae evertuntur propter peccata superiorum et inferiorum.

Vss. 857 sqq. *Τῶν δὲ φίλων* etc.] Homines expetunt florentium amicitias sua causa, quia quaerunt praesidia, non colunt amicitias virtutis causa.

Vss. 857—860. Si quis amicorum videt me aliquid periculosum vel atrox habentem, collum avertens ne quidem vult inspicere. Si aliquid fit mihi boni, ut sunt vices fortunae, quae saepe fiunt homini, (Multa dies multusque labor mutabilis aevi[66]) etc.), habeo multas salutationes.

Vs. 861. Amici deserunt me.] Iam mutat eam sententiam, translata oratione in personam mulieris meretricis.

Vs. 862. Hominum clarorum,] qui ostendunt se fore mihi benevolos.

Vss. 862—864. Sed ego ultro exeo vespere et mane redeo ego amatrix, quando est cantus gallorum excitatorum.] Sunt tria tempora cantus gallorum: Clarissimus est matutinus cantus, circiter tertiam aut quartam. Virgilius:

Excubitorque diem cantu praedixerat ales[67]).

Vss. 865 sqq. *Πολλοῖς*] Alia querela de fortuna.

Vss. 865—868. Multis inutilibus dedit Deus divitias bonas, quae neque ipsae bonae sunt, cum sint nullius usus. Magna autem gloria virtutis non perit. Bellator vir servat terram et civitatem.

Vss. 869—871. Coelum irruat in me, si non feram opem hominibus.] Parsimonia et liberalitas pertinent ad septimum praeceptum. Aristophanes in Pluto: Laetor parsimonia ut be-

64) Conf. Pindar. Pyth. IV, 272. ed. Boeckh.

65) *κοινοῖς*] sic scripsi; Ed. 1560. *καίνοις*. Eiusmodi locum in Pythiis non inveni (conf. Nem. I, 32.).

66) Multa — aevi.] haec sunt verba Virgilii Aen. XI, 425., ubi autem non *multusque*, sed *variusque* s. (in Ed. Wagner.) *variique* legitur.

67) Hunc versum in Virgilii Opp. non inveni.

nullus alius, et sumptu, ubi opus est etc. Salomon: Non des substantiam tuam crudeli, id est, non alas hirudines, quae te exsugunt. Laetandum est officio, non iactura, amissione, profusione.

Episcopus Augsburgensis excepit hospitio ducem Saxoniae, et quando una mensa est remota, evolaverunt aves, et ita deinceps instructa est nova mensa. Isti non laetantur officio, sed ostentatione et profusione. Ich wolte die weile lieber im Thurm sitzen, denn das ich mich wolte lassen cicuriren isto longo apparatu.

Terror veterum hominum.] Id est, qui fulmine totum genus humanum terret, perdat me fulmine, si ego non suppeditabo his, qui me diligunt, sed ero hostibus dolor et damnum.

Contra. Benefaciendum est malefacientibus: ergo etc. Respondeo: Loquitur de vindicta ordinata, de publica. Privatum cor debet esse alienum a cupiditate vindictae. Sed pravi reprimendi sunt, scilicet sicut Deus ordinavit. In principibus debet esse zelus, Nemesis, ein ernst, indignatio adversus enormia delicta, quia quid est levius et nugatius principe, qui tollerat apud se tales homines, quorum sunt scelera nota et publica, ut latrones, lenones etc. Deus vult conspici suam iustitiam in poenis publicis, et quando magistratus non punit, tunc ipse punit. Sicut Deus distulit poenam Diasii sceleratissimi parricidae in concilium, ubi esset aliqua frequentia. Ille Diasius ante sexennium in oppido Bavarico Palatini Henrici ducis Neuburg interfecit fratrem[68]) (Historia est descripta in Chronicis Carionis) propterea quod frater adiunxerat se nostris Ecclesiis. Ille cum crudelissime interfecisset eum, abiit Romam, et quamquam est in itinere captus, tamen est dimissus in ditione regis Ferdinandi. Venit Romam, est ornatus episcopatu, et cathortemate quod fecerat, non est punitus, ipse sibi iam conscivit mortem laqueo, est inventus pendens in stabulo in Concilio Tridentino. Deus servat regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Vss. 879 sq. Bibe vinum mei verticis, id est, cacuminis in monte, quod a monte Taygeto provenit.] In tota Laconia est multum boni vini. Monembasia est civitas Argolica hodie, quae olim fuit Epidaurus, quam Homerus vocat ἀμπελόεσσαν[69]).

Vs. 881. Βῆσσα] Wiese, apud nos significat locum irriguum.

Vss. 881—886. In campis montis adducens frigidam aquam a plataneto bibens, dissipabis molestas curas etc. Pax et divitiae habeant urbem, ut eam ad convivia vel cantum in convivio, non amo bellum.

Vss. 887 sq. Neque valde admoveto, suspendito aurem, id est, non attendito praeconi, id est, non amato lites; non enim dimicamus de patria terra.] Privatae offensiones condonandae sunt, non est pugnandum, nisi cum necessitas postulat de patria. Homo debet esse φιλήσυχος καὶ δραστήριος. Noster imperator profecto est talis.

Vss. 889 sqq. Sis fortis in proelio.

Vss. 889 sq. Turpe est praesentem in acie conscendentem celeres equos, non adspicere lachrymabile bellum.] Id est, turpe est fugere ex bello: tamen sis fortis, domi sis quietus.

Vss. 891—894. Heu ignavia periit Corinthus[70]), tondetur, vastatur optima vinea Lelanti. Boni fugiunt rempublicam, mali administrant rempublicam. Utinam tyranni pereant, totum genus tyrannicum pereat, quod imitatur Cypselam, qui fuit tyrannus. Κυψέλη, ein Kast, wie wir sagen, ein Wispel.

Aëtio[71]) fuit civis in Corinthiis, de quo fuerunt vaticinia, filium habiturum regnum. Cum igitur esset natus puer, altera familia inimica misit percussores ministros 3 vel 4, qui interficerent puerum. Cum venisset in domum primus percussor, iacuit infans in cunis, arrisit suaviter, blanditus est risu, suo quodam fato. Ille non potuit interficere motus misericordia; alii etiam non voluerunt interficere. Egreditur domo. Tandem metu domini deliberant, paciscuntur, quod velint rursum ingredi et simul interficere puerum. Interea mater abscondit puerum in cypselam, id est, in talem mensuram vel arcam. Inde est ei nomen factum Cypselas. Ille postea venit ad principatum in Corintho. Eius filius fuit Perian-

68) Vide de hac caede 27. Mart. 1546. perpetrata Sleidani de statu relig. et reip. Carolo V. Caesare commentar. lib. XVII. in principio.

69) Hom. Il. II, 561. ἀμπελόεντ᾽ Ἐπίδαυρον.

70) Corinthus] sic Ed. 1560.; Theognis habet Κήρινθος.

71) Aëtio] sic Ed. 1560.; Herodotus V, 92., ubi hanc historiam narrat, eum appellat Ἠετίων.

der, qui numeratur inter septem sapientes, cuius est illud dictum: *Μὴ κακὸν ἰῶ κακῷ.* Eius filius ab eo defecit, et factus est hostis patris, sicut tyrannis non est diuturna. Tyrannos nennt man Cypselidas in scripto in Olynthiis: *Ἐξώλης εἴη Κυψελιδῶν γενεά*, id est, Utinam pereat totum genus tyrannicum. Herodotus *Τερψ.*[72]) sagt das Oraculum von dem: *Αὐτὸς, καὶ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες*[73]), id est, regnabit ipse Cypselas et Periander, sed non eius posteri. Es gehet offt so mit den tyrannis, ut Achab in veteri Testamento, et reliqui, qui rapiunt regna.

Vss. 895 sq. Vir nihil melius habet circumspectione consilii, neque nocentius imprudentia.

Vs. 897. Cyrne.] Mores amici noveris etc. Quaedam sunt boni consulenda et condonanda communi hominum infirmitati. Paulus[74]): Alter alterius onera portate. Augustus fuit sapiens, et tamen de eius morositate conquestus est Marcellus et Maecenas. Saepe est dissimilitudo iudicii, et uterque habet probabiles causas. Hoc etiam potest fieri, sunt dissensiones inter summos sine acerbitate, odio, saepe utrinque sunt probabiles causae.

Vss. 898—902. Non indagans, considerans magnum damnum, adest iusto et iniusto.] Sunt sui naevi in bonis et malis. Non est iustus in terra etc.[75]). Id est, loquendo de civilibus peccatis, sicut ibi de istis loquitur Salomon. Catullus[76]): Suus cuique attributus est error, id est, alius magis, alius minus, nullus hominum per sese omnia sapit. Illi plurimum peccant, qui habent illam de se persuasionem, quod ipsi non labantur, die eigensinnige Köpffe sunt faces omnium tumultuum.

Vss. 903 sqq. XLVI. Bonus Servatius facit bonum beneficium[76a]).

Hoc debebat esse principum parietibus inscriptum, et privatorum. Parsimonia est amanda, ut possimus benefacere. Usitatum est profundere pecuniam in res inutiles et non necessarias, et postea desunt nervi ad res necessarias. Non est inusitatum cardinali Romae profundere in anno XXX millia ducatorum in amore obscoeno et turpi.

Vs. 903. Quicunque venando vel cum venatur servans, custodiens, qui valde diligenter custodit, id est, facit sumptus pro facultatibus. Geminatio significat diligentiam.

Vs. 904. *Κυδίστην*] id est, vulgus laudat profusionem, et sapientes parsimoniam laudant. Nobilis quidam dixit: Parcis principibus utilius esset servire quam prodigis, quia prodigi profundunt sine delectu, et non habent rationem virtutis.

Wer da wil mehr verzeren,
  Denn sein Pflug kan erehren *),
Der mus zu letzt verderben,
  Und vieleicht am Galgen sterben.

Quando principes profuderunt sua in res non necessarias, egent temporibus necessariis. Ita intemperantia et luxus sunt impedimenta magna in multis rebus. Apum ingenia et labores sive opera sunt nobis a Deo proposita. Sunt castae, frugales, non generantur concubitu, non ex putrefactione, ut muscae et culices, sed ex rore, quem invehunt in suas cellulas, sed reparantur, restituuntur apes amissae ex putrefactione bovis etc. Ecclesia gignitur ex rore coelesti, id est, verbo Dei et simul movente per filium Dei et Spiritum sanctum. Deus proposuit ista spectacula ad nos commonefaciendos.

Vss. 905 sq. Quantum spatium aliquis perficiens esset transiturus ad inferos,] id est, quanto spatio victurus esset.

Vss. 907 — 914. Consentaneum vel congruum esset, qui expectaret fatum longiori tempore, hunc magis parcere victui, quem habuit. Sed hoc non potest fieri (id est, non scimus spatium vitae), quod mihi magnum luctum facit. Mordeor in anima, et dubito, quid faciam, an vivam liberalius et largius, an parcius. Duae sunt ante me viae; cogito, quam vadam priorem: aut nihil consumens, profundens, conteram, perdam vitam in aerumnis, id est, an duriter vivam. Homerus et Hesiodus:

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν[77]).

72) Herodot. II, 92, 5.

73) *καὶ παίδων οὐκ ἔτι π.*] sic Ed. 1560.; Herodot. Ed. Reiz. et Schäfer. l. l. *παίδων γε μὲν οὐκέτι π.*

74) Galat. 6, 2.

75) Ecclesiastes 7, 21.

76) Catull. 22, 20.

76a) beneficium] Ed. 1560. benefacium.

*) Huic dicto in Ed. 1560. haec addita est adnotatio: Dictum matris Philippi. Erarn, ab *ἄρνυμι*, id est, erwerben.

77) Hom. Od. XIX, 360.

Cito deficiunt vires in aerumnis; (Vs. 914.) aut hilariter faciens paucos labores.

Gorgias interrogatus, quî pervenisset ad tantam aetatem scilicet annorum 104, respondit: Nihil faciens alterius causa. Non est humana vox, si nihil nisi sua causa facit, Hat nur ein gut leben gehabt; quia nos sumus nati Deo, patriae, communi societati. Dilectio quaerit non quae sua sunt. Imo etiamsi dici potest hoc, tamen non fit. Imo illi ipsi sunt saepe mancipia et servi turpissimi voluptatum et hominum turpissimorum, meretricum et aliorum nihili hominum.

Vss. 915—919. Vidi, qui nunquam dabat cibum liberalem ventri, et priusquam accumulabat, quantum volebat, descendit, id est, mortuus est; pecunias vero accepit, quicunque fuit, ignotus aliquis, ut laboraverit inutiliter, et ut non daret, cui vellet,] id est, non relinqueret haereditatem, cui vellet.

Vss. 921 sq. Dissipavit pecuniam et dixit: Discedo inferne, inferius subeo sepulchrum. ὑπάγειν, einkeren. Oblectans animum mendicat apud omnes.

Vss. 923—928. Hoc est optimum de pecuniis sumptus ponere et habere considerationem, id est, considerandum est, ubi parcas, et ubi facias sumptus. Si servaveris modum, non tu egens praebueris alteri molestiam, neque mendicans accerses tibi servitutem, (Mendici fiunt obligati illis, a quibus accipiunt.) neque cum senectus veniat, effugerint. Ut nunc est, optimum habere pecuniam.

Vss. 929 sqq. Εἰ[78]) μὲν γὰρ] Multi sunt amici divitiarum etc. In pretio pretium nunc est etc.

Vss. 931 sq. Ne quidem mortuum deflet aliquis, si non videt haereditatem reliquam.

Vss. 933 sq. Παύροις] De coniunctione vel de copulatione pulchritudinis et virtutis.

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus [79]).

Bonus habitus corporis, bonum temperamentum, forma, sunt dona Dei. Bona temperamenta magis possunt sustinere labores.

78) Εἰ] sic Ed. 1560. et Theogn. Editt. antiquiores supra p. 5 — 8. allatae, atque Editt. Brunck., Gaisf.; Editt. Bekk., Bergk. Ἢν.

79) Sic hic versus Virgilii Aen. V, 344. in Ed. 1560. et in Senecae epist. 66. legitur; in Ed. Wagner. autem sic: Gratior et pulcro veniens in corpore virtus.

Vs. 935. Omnes honorant praeditum virtute et praestanti corpore.] Est magnum ornamentum. Granfelus[80]) fere tota facie eminebat supra imperatorem, et addebat imperatori aliquid terroris, cum adstaret ipsi etc. Coaetanei cedunt locum.

Vss. 939 sqq. Οὐ δύναμαι] Sequitur praeceptum de mediocritate. Τὸ παρὸν στέργειν εὐτίθεσθαι δεῖ. Id est, sufficit sua diei afflictio.

Vss. 939 sq. Non possum canere suaviter ut luscinia, ivi priore nocte ad convivalem cantionem. Epicharmus: Δεῖ σιγᾶν, ὅταν παρέωσι κάῤῥονες. Id est, oportet tacere, ubi adsunt potiores.

Vss. 941 — 944. Neque utar excusatione, quod tibicinem non habeam; quia ipsi concinuerunt ad tibiam. Sed socius mihi deest, id est, ich bin nicht lustig, ich hab meinen Gesellen nicht, id est, non ignarus artis prope tibicinem canam stans ad dextram, dicens precationem Diis, id est, canam mediocriter.

XLVII.

Vss. 945 sq. Vado secundum regulam, rectam viam in neutram partem inclinans.] Id est, vivo iuste, non inclino ad factiones.

Vss. 946 — 948. Oportet me integra omnia considerare. Ornabo patriam divitem, non convertens me ad populum, non sum vociferator plebeius, popularis, tribunitius, neque obtemperans tyrannis. Utrumque est perniciosum, tyrannus vivus et tyrannus vulgi et multitudinis.

Vss. 949 sqq. Νεβρὸν] Id est, aliqui conantur magna, et non perficiunt, ut qui movent non movenda in republica. Sallustius: Extremae dementiae est, cum nihil perficias, tantum tibi odium accersere, id est, respublicas movere et nihil posse perficere. Illa est πολυπραγμοσύνη humana, ut in Cassio, Bruto etc. Sunt aenigmata.

Vss. 949 sq. Hinnulus sub cervo sicut leo robore confidens, pedibus comprehendens, non bibi,] id est, non perfeci conatum. Dux Fridericus saepe dicebat, Maximilianum dixisse: Facile est alienum regnum capere, sed retinere est difficile. Maximilianus saepe occupavit Italiam, sed nunquam retinuit.

80) Nicolaus Perenottus Granvellanus ad summum in aula Caesaris Caroli V. ministerium evectus.

Vss. 951 sq. Conscendens altos muros non cepi[81]) urbem. Multum ceperunt Brutus et Cassius, sed non perfecerunt. Ich hab angespannen, und bin nicht fortgefaren. Est proverbiale.

Vss. 955 sq. Levibus benefacienti duo erunt mala, suis rebus orbabitur, viduabitur, privabitur multis, et nulla gratia.

Vss. 957 sq. Si beneficio es affectus a me, et non eris gratus, indigens rursus venies ad nostram domum; sed nihil dabo, id est, mutantur amici introspectis ipsorum naturis.

Vss. 959—962. Eo usque donec ipse bibi a fonte liquido, videbatur aqua dulcis esse, nunc turbata est aqua, miscetur coeno, bibam ex alio fonte,] id est, postquam video animum tuum alienatum, dissuo amicitiam. Ama tanquam osurus, et oderis tanquam amaturus.

Vss. 963 sqq. Sequitur praeceptum providentiae et diligentiae.

Vss. 963—965. Non laudes, qualis sit impetu, moderatione et moribus, nisi cum introspexeris. Perspice, multi habent morem simulatum, insidiosum.] Multi se adiungunt aliis, tantum ut expiscantur, et postea prodant et perdant.

Vs. 966. Animum unius diei,] id est, sunt amici unius diei.

Vs. 967. Horum omnium morem ostendit tempus.] Veritas temporis filia. Simulata durant aliquantisper, sed non sunt diuturna, ficta ad suam naturam, cito redeunt.

Vss. 968—970. Ego quoque saepe erravi, praeoccupavi laudans, id est, prius laudavi, priusquam cognoscerem mores tuos, nunc sicut navis procul refugio.] Sicut navis vitat scopulum, ita et ego tales homines vito.

Fuit Canonicus Wormatiensis, homo nobilis curtisanus, sapiens, ein trefflicher Man, Silberberger; est familia nobilis in episcopatu Trevirensi; ego novi eum, saepe veniebat ad nos Heidelbergae, ibi erat hospes doctoris, apud quem ego eram. Erat ἀρθρητικὸς et podagricus, et erat valde dives, habebat annuos reditus aliquot millia, quia creverat Romae ex multis sacerdotiis, tamen ita parcus erat, ut non haberet familiam, non coquebat domi, non habebat ancillam, sed tantum famulum, quem male cruciabat. Cogebatur famulus eum gestare, cum aegrotaret, et praeterea non diu retinebat unum famulum, sed subinde novos habebat, ne si unus aliquis fieret ipsi familiarior, obligaretur ei, et cogeretur aliquid dare honorificentius. Is quando valde aegrotabat, iubebat adferri pelvim plenam aureis, et volutabat manus in auro, et isto spectaculo leniebat suas miserias. Cum est mortuus, reliquit amplius XXX millibus aureorum pecuniae, quam sibi dividebant Palatinus et episcopus Trevirensis. Tria millia dabantur ipsius cognatis, ist eben, als wenn man das Gelt in Cloacam geworffen hette. Episcopo Trevirensi nihil satis erat. Das ist der Trevirensis, qui acceperat pecuniam a Gallo, ut inclinaret eum in electione imperatoris ad Gallum, der war des Canonici Erbe, et ut posset honeste fieri, adiungebat sibi bonum senem Palatinum, qui etiam libenter accipiebat pecuniam, er schlugs auch nicht aus.

Vss. 971 sqq. Sequuntur sententiae vulgares de certaminibus compotantium et aliis etc., quibus non opus est immorari.

Vss. 971 sq. Quae virtus est auferre praemium potationis? quae est gloria, quando aliquis vincit in compotando? saepe vincit malus bonum.] Fruere aetate, dum conceditur. Vade laetare cum adolescentula coniuge. Utamur, non abutamur donis divinis, recte utamur, non abutamur.

Vss. 973—978. Nullus hominum, quem postquam terra teget, et descendet ad Erebum, id est, lucum tenebrosum, delectatur audiens neque lyram neque tibicinem, neque tollens dona Bacchi. Demulcebo cor, (Paulus ad Galat. 1, (10.) πείθω ἀνθρώπους, id est, delinio, demulceo, concilio mihi Deum an hominem) non tremens caput.

Vss. 979 sqq. *Μή μοι ἀνὴρ*] De fucosis amicitiis. Maledictus homo, qui confidit in brachio carnis, et in homine etc. Nusquam tuta fides etc. Et studeat, mihi opem ferat.

Vss. 980 — 982. Nunquam utroque modo manibus et pecunia, neque ad pocula sermonibus delectet, sed faciens ostendat in conviviis.] In conviviis debemus convenire animis non infestis et inimicis. Boni homines quando exercent inimicitias vel sustinent, qui tamen habent paratum animum ad sanationem, abstinent a communione coenae Domini. Mensa communis fuit signum

81) cepi] sic scripsi (= Theogn. ἀλάπαξα); Ed. 1560. cepit.

nevolentiae mutuae, sive restitutae, sive conciliatae.

Vss. 983—988. Reponamus benevolum animum, ut ferat animus amabilia opera delectationis. Cito enim sicut cogitatio (Nihil est volatilius hominum cogitationibus etc.) praeterit pulchra iuventa, neque equarum impetus est celerior, quae equae ferunt virum bellatorem ad pugnam celeriter, delectantes campo ferente triticum.] Non πυρφόρος, sed πυροφόρος. Siligo, id est, Rocken, vel rogus. Olira et siligo promiscue usurpantur.

Vss. 989 sq. Bibe, cum bibunt, quando fastidis in animo, quando venit ἄση, id est, fastidium, nemo hominum agnoscat te gravatum, id est, incipe, donec es compos tui.

Vs. 991. Aliquando patiens dolebis.] Cogita te esse hominem et humana sunt mutabilia. Euripides[82]):

Τοιαῦτα τῶν ἀνθρώπων, οὐδὲν ἐν ταὐτῷ μένει.

Id est, talia sunt humana, nihil manet in eodem.

Vss. 991 sq. Aliquando dolebis, aliquando faciens potes gaudere.] Boëthius: Constat aeterna positumque lege est, ut constet genitum nihil. Lusit in verbo „constat“, id est, hoc unum constat, id est, firmum est, ut nihil sit firmi.

Vss. 993—996. Hymnum gratum, delectabilem, et sit tenens pulchrum florem pro praemio, et sit mihi et tibi certantibus de sapientia etc. Cognoveris, quanto muli[83]) sint praestantiores asinis.

Vss. 997—1000. Quando vero sol ungulares equos, id est, habentes integram ungulam, iam denuntiat tenens mediam diem, id est, quando venit medius dies, attingamus coenam, ubi aliquem animus iubet, id est, quando sunt iusta tempora, tribuamus ea mensis.

Veteres protraxerunt deliberationes et alia negotia usque ad tempus pomeridianum etc., tamen aliqui etiam habuerunt ientacula.

Vss. 1001 sq. Cito puella Laconica (In versibus ita est. Thracia habet pulcherrimos equos, Lacedaemonia pulcherrimas mulieres.) lavacra et coronas virgo pulchra tenens manibus.

Vss. 1003—1006. Virtus est pulcherrimum munus inter homines etc. Iustus est utilis omnibus, commune bonum civitati, qui vir procedens stat in prima acie.

Vss. 1007 sqq. Ξυνὸν[84]) δ᾽ ἀνθρώποις] De fugacitate vitae.

Vss. 1007—1012. Commune dictum suggeram, ut quispiam habens pulchrum florem iuventae, et qui est cordatus, sapiens, fruatur suis facultatibus; non enim repubescere bis fit a Diis, neque est effugium mortis; perdens senectus perniciosa, consumens hominem adfert mala, (ipsa senectus morbus est, etc.) attingit summum caput.

Vss. 1013 sqq. Ὧς[85]) μάκαρ] De vita privata. Lucianus: *Βίος ἰδιώτων ἄριστος*, id est, privatorum vita optima. Saepe pinus ventis agitatur ingens etc. Et: Crede mihi, bene qui latuit etc. Multo minus est periculi in inferiori gradu quam in summo. Appetere principatum, vel etiam iuste tenere, semper est periculosum.

Ima tenent pacem, perflant altissima venti.

Vss. 1013—1016. (Priusquam ipse metuat inimicos[86]).) Beatus est, qui non habet magna negotia, ut non incidat in contentiones exitiosas, ubi necesse sit, aut metuere aut superare inimicos, et priusquam exploret amicos, quam habeant mentem.] Rebus adversis explorantur amici, sed beatus, qui non pervenit ad illam explorationem.

Vss. 1017—1022. Fuit mihi per cutem magnus sudor, et stupesco intuens florem adolescentiae. Debebat esse longius spatium iuventutis, sed breve est sicut somnium. Iuventus digna honore. Senectus absumens, perdens pendet super caput, id est, cito venit.

Vss. 1023 sq. Nunquam ponam collum non accipiens iugum, frenum, perdam inimicos, neque si adsit supra caput mons Phrygiae.

Vss. 1025 sq. Levibus in adversitate vaniora sunt consilia, id est, leves homines in adversitate multa scelerate tentant. Ut princeps captivus[87]) est constans in illa captivitate, alii leves non fa-

---

82) Eurip. Ion. 969. *Τὰ θνητὰ τοιαῦτ᾽· οὐδὲν ἐν ταὐτῷ μένει.*

83) muli] sic scripsi (= Theogn. ἡμίονοι); Ed. 1560. male: multo.

84) Ξυνὸν] sic Theogn.; Ed. 1560. corrupte: Συνὸν.

85) Ὧς] sic Ed. 1560. et Editt. Theogn. supra p. 5—8. enumeratae, atque Brunck. et Gaisf.; Editt. Bekk., Bergk. Ὧ.

86) Priusquam ipse met. inim.] haec verba e vs. 1015. huc in Ed. 1560. transposita intra cancellos inclusi, quoniam h. l. delenda sunt.

87) Iohannes Fridericus Elector Saxon. in pugna ad Muhlbergiam 24. April. 1547. a Carolo V. Imperatore victus captusque.

cerent. (Vs. 1026.) Bonorum semper sunt actiones rectiores.

Vss. 1027 sq. Facilior actio inter homines malitiae. Intelligitur de malo culpae, id est, virtus est difficilior quam vitium. Difficilia, quae pulchra. Boni difficilis effectio, structio. Multi impelluntur ad mala consilia propter adversitates etc.

Vss. 1029 sq. O anime, sis fortis in adversis, passus intolerabilia, id est, quamquam es passus intolerabilia, tamen sis constans. Levium cor est mobilius, instabilius.] Sit modus in doloribus. Praeceptum de moderanda impatientia.

Vss. 1031 sq. Tu in negotiis impossibilibus augens dolorem, ne oderis quemquam, neque molestus sis amicis.] Rerum irrecuperabilium summa felicitas oblivio, inquit Seneca. Est sententia patris Maximiliani Friderici III. Plautus: Bonus animus in re mala dimidium est mali. Nos in Ecclesia habemus meliora dicta. Ut: Pax Dei regnet etc. Item: Humiliamini sub potenti etc. Item: Semper invocate etc.

Vss. 1033—1035. Deorum fatalia dona non facile homo potest effugere, neque in fundum paludis, id est, neque morietur.

Vs. 1037. Difficillimum est decipere bonum virum, scilicet quia tempus profert veritatem, veritas tandem patefit. *χαλεπώτατον* significat modum, non poenam.

Novi et antea et iam melius scio, quod in levibus nulla sit fides[88]).

Vss. 1039 sq. Stulti homines, qui non bibunt vinum veniente astro, Orione oriente, et canicula oriente,] id est, tempore aestus. Loquitur hic de ortu cosmico, quando canicula oritur cum sole. *Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον ἐπιτέλλεται*, id est, astrum iam oritur, semper intellexi de vespertino tempore, id est, sive iam sol descendit, *ἐπιτέλλεται*, sive stellae oriuntur, id est, tribuamus hoc tempus hilariori convivio, etc.

Fuit Lipsiae monachus Franciscanus Fleck, cuius narrantur multi ioci, multa etiam graviter dicta, imo est iste, cui cum in manus venissent propositiones Martini Lutheri primum de indulgentiis editae, cum esset in exilio non procul a Bitterfeld, quia non volebat amplius celebrare missas, cum aliquoties eas legisset, dixit: **O jr Münche, er ist komen, ders euch thun wird.** Ille venit, qui destruet monachos. Ille monachus, cum reformaretur monasterium Franciscanorum, fuit quoque Lipsiae, dixit ad populum: Ego scio tamen vos velle scire, quid hîc agant nostri principes, et quid velit illa reformatio, dicam. Ante reformationem bibebamus bonum vinum et bonam cerevisiam ex cantharis et urceis, nunc bibemus tantum ex urceis, et erit bonum. Antea comedebamus carnem assatam foris et intus, nunc comedemus non intus, sed foris, et est etiam bonum, et aliquanto melius. Antea lavabamus in balneis nostris in monasterio, et est etiam bonum. Antea studebant aliqui, ut possent esse utiles vitae et Ecclesiis, concionabantur, et erat bonum. Nunc habemus mandatum, ut nihil discamus, et hoc non est bonum. Taxavit ita hypocrisin eorum, qui fingunt nugacissima opera vel ceremonicolas, et omittunt necessaria studia etc. Hoc pertinet ad illam sententiam Oseae[89]): Magis volo scientiam Dei quam holocausta etc. Fuit pulchra reprehensio hypocriseos et neglectionis rerum necessariarum, ut studiorum doctrinae etc.

XLVIII.

Vss. 1041 sqq. Ironica reprehensio eorum, qui non afficiuntur communibus calamitatibus, ut latro damnatus in cruce, risus Sardonius impii latronis pendentis in cruce.

Vss. 1043—1046. Custodia urbis erit curae custodibus. *Ἀστυφέλης*, inexpugnabilis urbs ab *α* et *στυφελίζω* concutio, quasso[90]), quasi quod concuti et expugnari non potest, non ab *ἄστυ*; inconcussa. Certe si quis horum involutus dormit, nostram cantilenam accipiet celeriter. **Es sein nur stucklein.**

Vss. 1047 sq. Nunc delectemur pulchra canentes, dicentes: Non afficiamur cura rerum venturarum.

Vss. 1049—1054. Tibi tanquam charo filio suggeram bona, tu in animo pone, tanquam properans, id est, subitos impetus rege, non expleas subitos impetus, non ruant manus et pedes,

---

88) Novi — fides.] Verba graeca sic in lat. translata vide supra p. 44. nota 84. *Novi* = ᾔδεα, quam lectionem Ed. Gaisf. exhibet.

89) Hos. 6, 6.

90) quasso] Ed. 1560. male: quaesso.

quo caeci affectus rapiunt. Es mus einer nicht alles thun, was einem in sinn kompt, pugnant impetus et mens, consilium, deliberatio ducit ad mentem bonam. Wenns einer bedenckt, so kompt einer auff ein bessern weg, posteriores cogitationes meliores.

Novi iuvenem Moguntinum, erat bonus cytharoedus, ille dicebat se nullam cantilenam tam bene canere testudine, nisi quam prius esset oblitus, et postea rursus disceret. Also wenn einer hat ein Corpus gefast, wenn einer ein ding erst recht gestelt hat, postea debet esse iudex, ibi videt, quid desit. Hoc mihi saepe accidit.

Vss. 1055 — 1058. Mihi tu canito tibia et Musarum recordemur. Hae dederunt habere grata munera, honorem vicinis.

Γιγνώσκειν χαλεπὸν νόον ἴδμεναι ἀνδρός.
Vita est plena occultationum. Quando certarunt inter se divitiis Pallas, Vulcanus et Neptunus, Neptunus fecerat taurum, Pallas hominem, Vulcanus domum, est adhibitus iudex Momus. Ille reprehendit in tauro, quid? Quod non essent cornua posita ad pectus, quia ibi esset robustissimus, sed Aristoteles etiam hoc reprehendit. Est Momi Momus, dicit robur esse in capite et cerebro etc. In homine reprehendit, quod pectus non esset fenestratum[91]). Doch wenn mans schön sehen köndt, so wend sichs doch so bald, das doch nicht viel hilfft.

Vss. 1059 sq. *ὀργὴν*] Id est, sensus, generaliter voluntates. Procul cernenti, cognoscere difficile, etiam sapienti.

Vss. 1061 sq. Aliqui malitiam occultantes, divitias habent, alii virtutem occultant paupertate noxia.

Vss. 1063 — 1068. Cum puella aequali melius est dormire in pubertate cupiente grata opera, id est, alia conveniunt aliis aetatibus. Non licet convivantem cum tibicina canere, horum aliud nihil est iucundius. Quid mihi[92]) divitiae et gravitas, ernst, severitas etc. (Sunt carmina convivalia.) Deliciae, oblectatio vincit omnia cum laetitia.

Vss. 1069 sqq. Stulti homines, qui plorant mortuos, et non plorant pubertatem, florem pereuntem. Oblecta te, cito alii erunt homines, ego mortuus ero cinis[93]).

Vs. 1071. Oportet hominem accommodare se ad hominum ingenia et mores, non ut mala vel turpia faciat, sed ut arte ferat, vel leniat quaedam.

Vs. 1072. Miscens sensum, qualem sensum quilibet habet. Plato citat ex Aeschylo: *Ἀλλὸς πρὸς ἀλλῃν πόλιν ἐτάχθη*, id est, alius est ordinatus ad aliam urbem.

Vss. 1073 sq. Nunc sequere hunc, aliàs alius sis sensu. Sapientia est quiddam potentius quam magnae vires potentiae.

Vss. 1075 sqq. XLIX. Futura incerta.

Vss. 1075 sq. Negotii nondum perfecti difficile est videre finem, quem velit Deus finire. Estne hoc verum? Sic argumentor:

Regula est certa: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis.
Ergo illa futura non sunt incerta.

Respondeo: Homines multa incipiunt opinione iustitiae, errore quodam, ubi putant se recte facere, et falluntur, non intelligunt esse iniusta, et etiamsi humano more sunt iusta, tamen possunt esse alia peccata, ut Beniaminitae trucidant multos ex populo Israelitico[94]), quia Israelitae incipiebant bellum fiducia sui, non in timore Dei: non semper cernimus peccata, sed quando cernimus peccata, exitus satis est perspicuus: quando non cernimus peccata, saepe fallimur etc.

Vs. 1077. Tenebrae expansae sunt prae eo, quod futurum est fieri. Demosthenes: *Τὸ μέλλον ἀεὶ ἀόρατον.* Etiamsi videntur saepe futura, tamen homines ita indulgent suis furoribus, ut non velint videre, vel non moveantur.

Vs. 1078. Consiliorum impossibilium fines non intelliguntur mortalibus.

Vs. 1079. Neminem inimicorum culpabo bonum, id est, volo etiam laudare virtutem inimici.

Vss. 1080. 1083 sq.[95]) Neque laudabo amicum, qui est levis, futilis. Hic oportet bonum considerantem semper habere mentem firmam.] Hic noscimus, quid sit divinandum.

---

91) Idem iam supra p. 82. est memoratum.

92) Quid mihi] sic scripsi (= Theogn. *τί μοι*); Ed. 1560. Quid multi.

93) Oblecta te — cinis.] sic h. l. vertuntur verba graeca, quae supra p. 45. in nota 90. attuli.

94) Iudicum 20, 20 sqq.

95) De vss. 1081 sq. omissis vide supra p. 46. notam 91.

Vss. 1085 sq. Sis gravis in multis rebus ferre populum. Id est, oportet ferre multos furores hominum, etiam multas iniurias. Non enim scis hoc facere, quod tibi non sit molestum, id est, semper erit aliquid, quod culpent homines.

Vss. 1087 sqq. L. De instabilibus amicis.

Vs. 1089. Si unquam machiner [96]) amico malum, ipse habebo.

Γνήσιός εἰμι φίλος, καὶ τὸν φίλον ὡς φίλον οἶδα. Id est, si ille mihi facit malum, bis habeat malum.

Vss. 1090—1094. Difficulter se mihi habet animus de tua amicitia. Agnosco difficile esse, odisse, quando aliquis fuit amicus. Ist nicht fein, dissilire amicitiam. Caesar servavit Cassium, sed Cassius fuit fax et furia, quae caeteros attraxit in consilium de interficiendo Caesare. Man sol nicht leichtlich ein freund ubergeben.

Vss. 1095 sq. Circumspice tibi alium; non est mihi necesse hoc facere, gratiam pone mihi prius acceptorum, id est, wie du mir dankest, so ist auch die freundschafft.

Vss. 1097—1102. Iam avolo, efferor alis, effugiens humilem virum, malum in humili loco, ex magna palude abrumpens collum. (*βρόγχος*, id est, nodus gutturis.) Tu amissa mea amicitia cognosces nostram benevolentiam; pereat, qui tibi consulit de me, et iussit abire, id est, illi male sit, qui alienavit animum tuum a me.

Tuta frequensque via est, per amicum fallere nomen,
Tuta frequensque licet sit via, crimen habet [97]).

Vss. 1103 sqq. LI. Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis.

Dux quidam Moscovius vicit quendam hostem, voluit ipsi eripere bona; ille fecit poculum ex cranio hostis, et inscripsit hanc sententiam:

Quaerendo aliena amisit propria,
Male partum, male disperit.

96) machiner] Ed. 1560. mendo typogr.: machines.

97) Ovid. Art. amator. I, 585 sq. — Pro amicum Ed. 1560. male habet *amici*.

Sequentia excepta sunt ex ore D. Viti Ortelii Winshemii, absente D. praeceptore Philippo, anno M. D. LII. XXVII. Ianuarii [98]).

Continet hic libellus aphorismos morales multiplices, sine ordine. Et apparet hunc libellum non esse unius autoris, sed sententias a multis acceptas, quasi in unum fasciculum, huc congestas esse. Pertexemus igitur versiculos, qui restant.

Vss. 1105 sqq. *Εἰς βάσανον*] De candore et integritate, cum in omni communicatione vitae, tum vero praecipue in amicitiis, in quibus et facillime et periculosissime decipimur. Quid enim est facilius quam fallere nihil metuentem, sed amantem, sicut ille in Plauto inquit: Quod factu facillimum est, facis amico iniuriam. Sed tanto magis scelerate faciunt ii, qui amicum decipiunt.

Vs. 1105. *Εἰς βάσανον*. Tu veniens ad explorationem,] wie wir sagen, auff die prob. *Βάσανος* est lapis Lydius, quo metalla explorantur; postea communi usu linguae significat examen et probationem, saepe etiam et pro tormentis accipitur, quia rei sic examinantur tortura.

Vss. 1105 sq. *Παρατριβόμενος*. Et attritur ad plumbum, sicut metalla solent teri ad lapidem Lydium. Tu existens aurum purum excoctum eris pulcher et gratus omnibus,] id est, si praestabis te talem amicum, ut exploratus et spectatus non destituas amicum, tunc eris sicut aurum purum in omni conversatione. Ille autem *βάσανος* in amicis explorandis, sunt res adversae. Eo videtur respexisse Isocrates: In igni exploramus aurum, in rebus adversis amicos. Germani dicunt: Freund in der Not, gehen 27 uff ein Lot [99]). Id est rari sunt.

98) Hanc explicationis partem in Ed. 1560. praecedenti adiunctam etiam in hac nostra editione priori annectimus. Ambigitur enim, utrum Winshemius ipse huius partis auctor sit, an Melanthonis absentis annotationes praelexerit (aeque ac multae orationes ab ipso perscriptae ab aliis sunt praelectae).

99) Körte l. l. p. 115. nr. 1554. et Simrock l. l. p. 126. nr. 2731. afferunt hoc proverbium:
Freunde in der Noth
Gehen zehen auf ein Loth,
Und sollen sie behülflich sein,
Gehn zehen auf ein Quentlein.

Vss. 1107 sqq. *Οἴμοι*[100])] Iam subiicit querelam de suis adversitatibus et calamitatibus, et vult tamen significare hoc: Ego non inveni tales amicos, neque ipse me praestiti talem propter tenuitatem fortunae.

Vss. 1107 sq. *Οἴμοι.* O ego miser factus sum gaudium inimicis, et amicis labor vel onus, passus indigna, saeva.] Id est, ego passus sum calamitates, et nunc fui risui inimicis, qui delectantur aliorum calamitate. Nos dicimus: Wer den schaden hat, darff fur den spot nicht sorgen. Est in Euripide[1]) simile dictum:

Φίλου γὰρ ἀνδρὸς συμφοραῖς βαρύνομαι.

Id est, gravor calamitatibus viri amici. Onus amici onerat me.

Vss. 1109 sqq. *Κύρν'*] Sex versiculi, qui sequuntur, coniungendi sunt. Locus est de inconstantia et perversitate hominum, quae profecto est mirabilis. Nam ut inter homines vivimus.

Vss. 1109 sq. *Οἳ πρόσθ' ἀγαθοί.* Qui boni erant prius, nunc sunt mali. Qui erant mali prius, nunc sunt boni.] Talis est varietas. Simus igitur cauti, nec etiam protinus eos, a quibus offensi sumus, damnemus. Nemo unquam gravius mihi nocuit quam amici. Ideo dicebat Iudaeus quidam: Trawe niemand, so bescheist dich niemand.

Quis posset haec sustinere adspiciens?] quia haec multum perturbant homines. In sacris litteris habemus multa dicta in hanc sententiam, ne confidamus hominibus.

Vss. 1111 sq. Bonos inhonoratiores, contemptiores scilicet esse, et peiores honoratos. Vir bonus ducit uxorem ex mala familia,] scilicet spe dotis. Et talis simul cum dote ducit domum poenam. Iuvenalis conqueritur suo seculo primam fuisse quaestionem in coniugio de dote, ultimam de moribus:

> Protinus ad censum[2]), de moribus ultima fiet
> Quaestio[3]).

Vss. 1113 sqq. *Ἀλλήλους.* De insincera et fucata conversatione inter malos.

Estque versus aulicus. Nam in aulis usitatum est arridere et blande salutare alios, et interea strenue inter sese prodere. Decipientes inter se mutuo rident, neque bonorum neque malorum memoriam retinentes, id est, neque in laetis neque in adversis praestant se fideles.

Vss. 1115 sq. *Χρήματ'*] Congruit cum dicto Salomonis[4]): Pauper et dives habitant simul, Deus fecit utrumque. Huc pertinet et versus:

> Irus et est subito, qui modo Croesus erat[5]).

Divitias habens non exprobres aliis paupertatem, scilicet quia lubrica et instabilis est possessio talium bonorum. Habeo vero aliquid et aliud acquiram laborando, simul Deos invocans iuxta illud: Ora et labora.

Vss. 1117 sq. *Πλοῦτε*] Collaudatio opulentiae. Sic enim iudicat ratio aut potius cupiditates humanae. Opulentia, pulcherrime Deorum et omnium desideratissime. Tecum una etiam malus existens vir praeclarus fio, scilicet sicut vulgus iudicat. Hinc sunt illa dicta:

> Et genus et formam regina pecunia donat etc.[6]).

Item:

> Quantum quisque sua nummorum possidet arca,
> Tantum habet et fidei[7]).

Vss. 1119 — 1122. *Ἥβης*] Votum conveniens homini sano et non iudicanti secundum vulgus. Utinam habeam spatium iuventutis, id est, sim firmo corpore et valetudine, et amet me Phoebus Apollo, id est, ut sim praeditus ingenio et doctrina, et habeam Deum propitium. Haec sunt summa dona, quibus non video quid possit homini praestantius dari a Deo, ut vivam vitam

---

cui Simrock ibid. nr. 2729. addit hocce:

> Freunde mit dem Mund
> Einer auf ein Pfund;
> Freunde in der Noth
> Tausend auf ein Loth.

Kiselein l. l. p. 187. habet haec:

> Fründ in der Not,
> Tun zwölf ein Lot;
> Und wann sie sollen behilflich sin,
> So gant vier und zwanzig uf ein Quintlin.
> (Geiler.)
>
> Frundschaft, wann es gat an ein Not,
> Gant vier und zwanzig uf ein Lot;
> Und die der besten meinen sin,
> Gant sechs Vierling uf ein Quintlin.
> (Brand.)

100) *Οἴμοι*] sic Ed. 1560.; Theogn. Editt. 1561 — 1581. et Gaisf. *Οἴ μοι*; Brunck. *Ὤι μοι*; Bekk. et Bergk. *Ὤ μοι.*

1) Eurip. Alcest. 43.

2) ad censum,] Ed. 1560. corrupte: accensum etc.

3) Iuven. Sat. 3, 140 sq.

4) Prov. 22, 2.

5) Ovid. Trist. III, 7, 42.

6) Horat. Epist. I, 6, 37.

7) Iuven. Sat. 3, 143 sq., ubi autem pro *possidet arca*, quae in Ed. 1560. leguntur, Ed. Rupert. exhibet: *servat in arca.*

extra omnia mala, exhilarans animum iuventa et divitiis vel re familiari.] Haec est descriptio iucundae vitae. Mens sana in corpore sano, et praeterea sufficientia rerum necessariarum, ita ut nihil debeatur aliis, sed ut congruant rationes accepti et expensi.

Vss. 1123—1129. *Μή με κακῶν*] Ne memineritis malorum meorum, passus sum scilicet talia, qualia Ulysses, qui descendit in magnam domum Plutonis, id est, ad inferos. Evadens inde, qui interfecit duro aere, id est, armis, iuvenculae uxoris suae Penelopes procos, sapiens, id est, prudenter rem gerens. Ipsa mansit domi apud carum filium, donec venit, vel descendit, scilicet Ulysses, ad terribiles angulos vel specus terrae, id est, ad inferos. Locus desumptus est ex undecimo Odysseae Homeri, estque sententia: Ego vere dici possum Homericus Ulysses, tot malis vexatus. Sed quando largius bibo, tunc obliviscor omnium malorum etc.

Vss. 1129 sq. *Εἰ πίομαι*[8])] Si bibo, non curo paupertatem, quae affligit animos, nec viros, qui mihi maledicunt, iuxta illud: Nunc pauper cornua sumit[9]). So vergißt einer alles seines leibs, oder beweinet das truncken Elend. Vinum exhilarat cor hominis.

Vss. 1131 sq. *Ἀλλ'*] Sed amabilem iuventam deploro, quae me deserit, et deploro molestam senectutem, quae subsequitur.] Tales sunt melancholici. Da beweint offt einer, das seine Mutter nicht mehr eine junge Frau ist.

Vss. 1133 sq. *Κύρνε*] In omnibus malis initio est succurrendum, iuxta illud:

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras[10]).

Idque faciendum, ut in morbis corporis, sic in morbis animi cum cupiditatibus. Omne enim malum initio sanabilius est, quam cum egit radices, et cum tempore accrevit. In corporibus quando natura non potest vincere morbum, difficilis aut desperata est medicatio.

Finiamus aut componamus initium mali praesentibus amicis, id est, quando aliquid nos angit, mature utamur amici consilio. Quaeramus remedia ulceri nascenti, vel quod iam nascitur, antequam morbus confirmatus est. Utilissimum praeceptum in regendis moribus et sanandis animi morbis.

Vss. 1135 sq. *Ἐλπὶς*] Querela de mutatione omnium rerum et praecipue humanorum consiliorum, factorum et morum in peius, et quod nihil reliquum sit in rebus humanis praeter spem. Speramus enim melius fore, sed omnia sunt deteriora. Nestorem scribunt tria hominum secula attigisse, qualem ille in moribus mutationem viderit, senes cogitare possunt.

Spes sola, optimus Deus inter homines superest, scilicet quia semper speramus fore melius. Congruunt ista cum Hesiodo, apud quem cum reliqua mala ex pixide Pandorae evolassent et inter genus humanum dispersa essent, sola Spes in fundo dolii remansit[11]). Alii Dii deserentes homines discesserunt in coelum. Discessit et Fides magna Dea, discessit et Modestia inter homines. Haec ille dixit suo tempore, quanto magis haec ad nostra tempora. Etiam Charites terram deseruerunt, id est, benevolentia, caritas et gratitudo.

Vss. 1139 sq. *Ὅρκοι*] Iuramenta non amplius inter homines sunt iusta, neque quisquam reveretur et veneratur Deos immortales, id est, reverentia erga Deum et hominem sublata est.

Vss. 1141 sq. *Εὐσεβέων*] Piorum virorum genus extinctum est, id est, mundus iam repletus est impiis et sceleratis hominibus. Neque leges aut iustitiam, neque pietatem agnoscunt, id est, nec vi coherceri possunt homines, nec sua sponte propter amorem virtutis recte faciunt homines. Iuvenalis[12]):

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine poenae.

Sed iam eo ventum est, ut neque virtutis amor, nec poenae metus coherceat et contineat licentiam et petulantiam flagitiosorum. Sicut inquit Iuvenalis: Omne in praecipiti stat vitium[13]), nec ultra quo iam progrediatur, habet[14]).

8) *Εἰ πίομαι*] sic Ed. 1560. et Theogn. Editt. supra p. 5—8. enumeratae atque Gaisf.; Editt. Bekk., Bergk. *Ἐμπίομαι*.

9) Ovid. Art. amat. I, 239., ubi vero loco *nunc* in Ed. Bipont. legitur *tunc*.

10) Ovid. Remed. amor. 91 sq. (Vs. 92. Ed. Bipont. pro *invaluere* exhibet *convaluere*.).

11) Hesiod. Opera et Dies 80—98.

12) Duos sequentes versus apud Iuvenalem non inveni; eorum prior legitur in Horatii Epist. I, 16, 52.

13) Iuven. Sat. 1, 149. ed. Ruperti:
Omne in praecipiti vitium stetit.

14) nec ultra — habet.] haec verba apud Iuven. l. l. non reperiuntur, sed in Ovid. Fast. I, 196. sic:
Vix ultra, quo iam progrediatur, habet.

Vss. 1143 sq. *Ἀλλ'*] Iam subiicit paraenesin, id est, adhortationem ad pietatem et ad spem, sicut Psalmus inquit: Fortiter age et spem in Deum ne abiicias, id est, sis forti et magno animo, noli peccare, spem retine, ut ut res ceciderint. Donec quispiam vivit et cernit lumen solis, susineat perseveranter spem, pie agens. Egregius versiculus de spe et bona conscientia: Nam bona spes comitatur bonam conscientiam.

Vss. 1145 sq. *Εὐχέσθω*] Et supplicet Deo, et urat splendida femora, id est, fac sacra Deo, sacrifica et supplica Deo. Et sacrificet primae et ultimae ex Diis, nempe Spei, id est, semper oret Deum pro patientia et pro spe in summis et maximis calamitatibus, ea spes in hac calamitosa vita bonos sustentat.

Vs. 1147. *Φραζέσθω*] Aliud praeceptum de prudentia in cavendo, ut vitemus malos et fraudulentos. Nam qui amat periculum, peribit in illo.

Consideret unusquisque obliquum sermonem et infidum.] Pindarus cuidam heroicas laudes tribuens, dicit eum fuisse *ἀνδρὰ εὐθύγλωσσον*[15]), id est, qui habet linguam rectam in loquendo et consulendo, qui ex animo, quae sentit, loquitur, non utitur aliqua insidiosa perplexitate, nec est ingenio subdolo, vafro, insidioso et insidiatrici. Sicut Theocritus de cupidine inquit, quod habeat insidiosam mentem et blandam loquelam, *κακαὶ φρένες ἁδὺ λάλημα*. Wenn man einem von Feigen sagt, das kaum Schleen draus werden.

Vss. 1148 sq. *Οἱ θεῶν*] Qui nihil reverentes Deum semper habent cogitationem intentam in alienam possessionem et bona,] id est, inhiant aliorum bonis et ubique struunt fraudem et insidias. Talium hominum minis fertilis est hoc tempore proventus.

Vs. 1150. Adiungentes mala symbola et notas suis malefactis,] id est, in omni conversatione et contractu dolose et insidiose agunt, et ubique relinquunt post se foetorem. Haec sunt malitiosa et veteratoria ingenia, similia serpentum naturis. Talem Demosthenes pingit Aristogitonem, quem dicit circumire per forum, vibrantem caudam serpentinam, cui infigat morsum sycophanticum. Horatius[16]):

Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

15) Pind. Pyth. 2, 86. ed. Boeckh.

16) Horat. Serm. I, 4, 85.

Vss. 1151 sq. *Μή ποτε*] Non simus etiam nimis suspicaces, nec veteres amicos temere mutemus, propter incertam mutationem. Et a bonis ingeniis longe abesse debet suspicio. Et alioqui amicitiae veteres probandae sunt, sicut antiqua nobilia vina, iisque interdum aliquid est condonandum. Vivimus enim non ut inter angelos, sed ut inter homines, ubi multum est dissimulandum.

Ne unquam relinquas praesentem amicum, aut quaere alium, credens verbis levium hominum,] id est, ne patefacias aures calumniatori veterum amicorum. *Δειλοί*, böse, heillose Leute.

Vss. 1153 sq. *Εἴη*] De moderanda cupiditate. Ubicunque sunt magnae et violentae cupiditates, ibi fieri non potest, quin sequantur magni et tristes casus. Borgias, filius Pontificis[17]), scribebat in suis vexillis Italicum rhythmum: Aut Caesar aut nihil. Quando aliquis talem spem concepit, et illa cupiditas postea crescit, multa tentat per vim aut fraudem, quibus sibi tandem calamitatem attrahit. Est igitur hic additum praeceptum de nimiis cupiditatibus frenandis.

Utinam possem vivere secure et ditescere absque curis et malis.] Sed sacra scriptura dicit talem spem esse lubricam. Et Augustinus ait: Ubi nulla est crux, ibi habitat ira Dei. Cum enim aliquando peregre proficisceretur cum suis fratribus Augustinus, et divertisset in splendidissimam domum cuiusdam divitis, renitentem omni copia et luxu, ipse ut vir sanctus coepit cum hospite suo de multis rebus familiariter colloqui, et inter alia quaesivit, num quid in vita ei accidisset adversi. Quod cum ille negasset, et diuturnam suam felicitatem iactasset: Tempus est, inquit Augustinus, ut hinc discedamus. Hic enim cum saturitate et copia securitas habitat, quam ira Dei opprimet. Cumque egressi essent in altum, paulo post oborta est tempestas, et fulmen irruens domum incendit et dominum ipsum oppressit. Sic itaque in copia ac securitate pulvinar et mollis thorus constructus est Satanae. Est igitur hoc votum conveniens homini ethnico.

Vss. 1155 sq. *Οὐτ'*[18])] Iam sequitur statim contraria sententia, ut appareat hunc libellum non esse unius autoris.

17) Caesar Borgia, Cardinalis, filius Alexandri VI. Papae.

18) *Οὐτ'*] sic Ed. 1560. et Theogn. Editt. 1561 – 1581. atque Gaisf.; Editt. Brunck., Bekk., Bergk. *Οὐκ*.

Non amo divitias, neque opto ditescere, sed contingat mihi vivere a rebus modicis,] id est, ex tenui re familiari. Sim inops et macer, modo sim corpore firmo et sano. Dürr und gesund. Quidam avarus optabat sibi mille aureos. Subiecit alter: Ich wolte, du hettest sie, und müst sie die helfft geben für Frantzosen salben.

Ideo inquit Horatius: Natura beatis omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti. Et natura amat mediocritatem et contenta est paucis. Ac longe suavius vivitur in tenui re familiari, quam in magna opulentia et illuvie. Sicut dicunt Saxones: Lefflich[19]) viel lefflicher, denn schefflich. Id est, suavius est haurire cochlearibus quam modiis, iuxta versum: *Πάντα μέσοισιν ἄριστα.*

Vs. 1157. *Πλοῦτος*] Confert studium doctrinae et studium opum. Talis est sitis avaritiae, qualis est sitis in homine studioso, qui non potest expleri et defatigari studiis. Etiam noctu somniat de studiis.

Divitiae et sapientia sunt inexplebilia hominibus,] id est, sicut est inexplebilis res studium doctrinae et honestarum rerum, quarum nulla est satietas in mente generosa, quae serio ardet amore honestatis: sic in avaro pectore, quod est velut Charybdis aut inferni baratrum, ardet inexplebilis opum cupiditas, quae nunquam satiari potest, nisi donec os terra impleatur. Avarus semper eget.

Vss. 1158 sq. *Οὔτε γὰρ*] Non potes explere, exsatiare opibus animum. Ad eundem modum sapiens non refugit aut recusat doctrinam et sapientiam, quia cupiditas illa crescit et augetur, sicut dicitur:

Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae[20]).

Vs. 1160. *Ἀλλ'*] Sed amat scilicet sapientiam, et animum non potest explere.

Vss. 1161 sq. *Οὐδένα*] Conclusio seu adhortatiuncula ad beneficium erga bonos.

Non potes aliquem meliorem thesaurum vel patrimonium relinquere filiis tuis, quam si benefacias parentibus[21]) bonis,] id est, laudatissimus usus opum est in beneficentia, quae fiat cum delectu aliquo et iudicio; alioquin erit profusio.

19) i. e. Löffelig.

20) Ovid. Fast. I, 216.

21) parentibus] sic Ed. 1560.; in interpretatione lat. praecedente p. 49. legitur: petentibus (= Theogn. *αἰτοῦσιν*).

Οὐδεὶς[22])] Alius aphorismus de inconstantia rerum humanarum et de communi conditione et infirmitate hominum. Et haec dirigit ad locum communem de fortitudine et patientia in adversis, cum eiusmodi sint res humanae, ut patientiam et prudentiam requirant. Pindarus in Pythiis[22a]) inquit, Deum iuxta unum bonum adiunxisse duo mala, sed prudentes eo bono recte uti, et idem facere, qui vestem habent ex diversis partibus consutam et pulchriorem partem foras obvertant, deformia abscondant et intro flectant. Cogitemus igitur, ut patientiam in adversis praestemus, et sciamus Deum longe plura bona nobis tribuere quam mala.

Nemo hominum est omnino beatus, sed bonus habens afflictionem est animo firmo et magno,] id est, tuetur fortitudinem, nec prae se fert tamen, id est, tegit et dissimulat suam adversam fortunam.

Δειλὸς] Antithesis. Homo nihili et meticulosus non novit neque bonis neque malis animum applicare.] Puer ego audivi sermonem senis nonagenarii, qui dicebat se vitam agere simiae, quae, cum pluit, ridet, cum serenitas est, metuit ne pluat.

Ἀθανάτων] Relinquit sententiam imperfectam in pentametro, eamque subiungit in hexametro, quod in Graeco elegiaco videmus quosdam fecisse, sed Latini non confundunt constructionem ultra distichon. Ideoque Quintilianus praefert elegiacum carmen Latinum Graeco. Deorum immortalium munera varii generis hominibus contingunt, sed oportet patienter ferre et qualiacunque sunt Deorum munera ea habere,] id est, man mus fur lieb nemen, was einem Gott zuschickt. Apud Homerum ante solium Iovis collocata sunt duo dolia, unum repletum malis, alterum bonis, et Iupiter parcus est in distributione bonorum, et significatum est plus malorum et calamitatum esse in vita quam bonorum. Praeparemus igitur nos ad patientiam, de qua inquit Mimus: Cuivis dolori remedium est patientia. Sed impatientia duplicat malum, et idem praestat, ac si quis calcitret contra stimulum.

Vss. 1163 sq. *Ὀφθαλμοὶ*] De moderandis cupiditatibus recta ratione, quae debet imperare

22) De disticho, quod ab hac voce incipit, et duobus subsequentibus conf. supra p. 49. nota 98.

22a) Pind. Pyth. 3, 81. ed. Boeckh.

omnibus interioribus viribus et membris externis. Estque descriptio gubernationis locomotivae.

Oculi, lingua, aures et mens viri, in medio pectore nascitur prudentibus,] id est, illis, qui reguntur recta ratione. Gellius[23]) venuste inquit de lingua gubernanda: Non debet haec nola tinnire, nisi fune trahatur a corde, id est, expendendum est prius, quid loquaris, ne dicas redituras voces per iugulum, ut Plinius inquit.

Vss. 1165 sq. *Τοῖς*] De pravorum societate vitanda. Suntque hi versiculi elegantes proponendi iuvenibus, quorum simplici aetati maxime nocet consuetudo eorum, quorum mores sunt corrupti, nec est ullum aliud deterius venenum adolescentiae, quam pravum sodalitium.

Cum bonis conversare, malos vero ne sequaris, quando perfeceris fines viae,] id est, sicut cum peregre proficisceris, operam dare debes, ut tibi comes vir sit bonus, ita in universa vita, quae nihil aliud est quam peregrinatio, diligenter circumspice, cui te adiungas et cuius consortio utaris.

Vss. 1167 sq. *Τῶν ἀγαθῶν*] Bonorum est bona responsio, et bona etiam facta, id est, ab illis aliquid boni disces. Sed malorum mala verba vel nihili dicta venti auferunt. Notus est versiculus divi Pauli[24]) ex Menandro: Corrumpunt bonos mores consortia prava.

Vss. 1169 sq. *Ἐx.* Ex pravo sodalitio mala consequuntur. Recte autem ipse cognosces, quoniam valde offendisti Deos,] id est, tamen saepe propter prava sodalitia incides in poenas divinas. Iuvenalis[25]) de malo sodalitio:

> Dedit hanc contagio labem,
> Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
> Unius scabie cadit et porrigine porci.

Et Demosthenes inquit: Talis quisque recte putatur esse, quales illi sunt, cum quibus conversatur.

Vss. 1171 sq. *Γνώμην*] De prudentia, quod sit maximum bonum in vita hominum, et sit donum solius Dei. Saepe enim sapientissima consilia pessime cadunt, sicut uterque Demosthenes et Cicero everterunt florentissimas respublicas sua sapientia. Nulla enim felix est sine Deo prudentia.

Mentem, id est, prudentiam optimam Dii dant hominibus, quae continet metas omnium rerum,] id est, omnia reguntur consilio et prudentia.

Vss. 1173—1178. *Ὦ*] Exclamatio, quae amplificat hanc sententiam. O felix, qui talem habet mentem, id est, cui Deus clementer adspirat. Certe haec multo est melior, quam violentia exitiosa et perniciosa saturitas. *Κόρος ὕβριν τίκτει.* Satietas parit iniurias et petulantiam.

Satietas vel saturitas est hominibus mala res, et his malis scilicet petulantia et saturitate nihil est perniciosius. Omnis enim ex his malitia existit. Utinam sis, qui non afficiaris malis operibus, et qui sis otiosus a malis, et sic habebis maximam experientiam virtutis.] Congruit cum dicto: Discede a malo et fac bonum.

Vss. 1179 sq. *Κύρνε*] De pietate et reverentia erga Deum, de qua dicitur: Initium sapientiae timor Domini[26]).

Deum reverere et time. Illud enim arcet virum, ne dicat aut faciat impia.

Vss. 1181 sq. *Δημοφάγον*] De tyrannis tollendis e medio. Nos vero habemus praeceptum, ut obediamus etiam impio magistratui, modo ne cogat nos ad impietatem et scelera; sed ipsi sustulerunt tyrannos, et proposuerunt amplicissima praemia iis, qui tollerent tyrannos. Tyrannum devorantem populum tollas pro arbitrio. Non enim est ulla ultio apud Deum.

Vss. 1183 sq. *Νοῦς*] Facundia et prudentia raro sunt coniuncta. Saepe fit, ut prudentes non similiter sint facundi; sed contrarium est usitatius. Quando vero ambo sunt coniuncta, tunc sunt insigne Dei donum, de quo Salomon[27]): Aurea mala in argentea patina sunt recte dicta sapientum.

Mens bona et lingua in paucis hominibus sunt nota, qui horum amborum sunt promi,] id est, qui haec recte gubernant, vel qui his recte utuntur. Est enim metaphora. Promus est dispensator in domo, qui praeest penui, ministrat et distribuit necessaria certo numero ac mensura, et reliqua asservat.

Vss. 1187 sq.[28]). *Οὔ τις*] De necessitate fatali.

---

23) Conf. Gellii Noct. Att. I, 15.
24) 1. Cor. 15, 33.
25) Iuven. Sat. 2, 78—80.
26) Ecclesiastic. 1, 16.
27) Prov. 25, 11.
28) De vss. 1185 sq. h. l. omissis conf. supra p. 50. nota 2.

Nemo munera dans mortem effugerit neque molestam infelicitatem, nisi fatum obiecerit metam vel finem,] id est, nisi Deus praescribat modum, aut mitiget poenas. Sententia est: Omnibus incumbit necessitas fatalis moriendi et sustinendi ac ferendi multas afflictiones. Sicut inquit Iob[29]): Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis.

Vss. 1189 sq. Neque moerorem, molestiam licet effugere, quando Deus immittit dolores,] id est, Moeror et tristitia comitantur res adversas.

Vss. 1191 sq. *Οὐκ*] De morte. Non cupio mortuus sedere, vel cubare in solio vel throno regio. Apud Homerum[30]) dicit Achilles, se malle in hac vita servum esse, quam apud inferos regem, quem locum reprehendit Plato.

'Αλλὰ] Sed mihi viventi aliquid bonum accidat, Ich wolt, das mirs wol gieng.

Vss. 1193 sq. *'Ασπάλαθοι*] De pompa funebri. Quando mortuus sum, non opus est, ut mihi sternantur tapeta, et ut ungar, tantundem mihi est, sive substernantur molles plumae et holosericum, sive duri asseres et spinae.

Tribuli sunt stratum vel thorus similis mortui tapetis, et lignum, an sit durum vel molle.

Vss. 1195 sq. *Μήτε*[31])] De religione iurisiurandi.

Neque iures periurium per Deos, neque ferendum est Deos occultare debitum, id est, Deus ulciscitur periurium.

Vss. 1197 — 1202. *"Ορνιθος*] Locus oeconomicus. Confert inter se duo genera vitae, agriculturam et mercaturam.

Iam canunt grues, et est tempus arationis; sed ego stulte feci, quod relicto agro contuli me ad navigandum. Virgilius[32]):

> O fortunatos nimium, bona si sua[33]) norint,
> Agricolas!

Hesiodus[34]) videtur prognosticon de tempore arationis ex hoc loco transtulisse, aut certe hic autor ex Hesiodo eum transcripsit.

29) Iob. 14, 1.

30) Hom. Od. XI, 489 — 491.

31) *Μήτε*] sic Ed. 1560. et Theogn. Editt. 1561 — 1581., Brunck., Gaisf.; Editt. Bekk., Bergk. *Μή τι*.

32) Virg. Georg. II, 458 sq.

33) bona si sua] sic Ed. 1560.; Virg. Ed. Wagner.: sua si bona.

34) Hesiod. Opera et Dies 448 — 451. Ed. Goettl. (al. 446 — 449.).

Vss. 1197 — 1200. Audivi vocem gruis acute clamantis, quae est hominibus nuntia opportunae arationis, et perculsit illa vox mihi cor nigrum, propterea quod alii tenent florentes agros,] id est, ego reliqui meos agros, et feci hoc spe luculentioris conditionis, videlicet mercaturae, ea me spes fefellit.

Vss. 1201 sq. Neque mihi mulae trahunt iugum aratri, id est, non sunt mihi nunc iumenta propter aliam sponsam desponsatam mihi, scilicet navigationem, id est, ego reliqui pulchram sponsam, et appetebam aliam magis commodam stulte.

Vss. 1203 — 1206. *Οὐκ*] Congruit cum dicto: Procul ab aula. Plutarchus ex Sophocle de consuetudine cum tyrannis inquit: Si quis liber ingrediatur in aulam, tunc, cum exibit, erit servus et adulator.

Non veniam ad aulam, nec ipsa ad me, neque et tyrannus deploratus a me in tumulo suo moritur, id est, ego nullius tyranni mortem deplorabo, et nihil mihi commune erit cum tyrannis, neque ille tyrannus molestia afficiatur me mortuo, neque spargat de palpebris seu oculis calidas lacrymas.] De tyrannorum amicitia dicitur:

> Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
> Expertus metuit[35]).

Vss. 1207 sq. *Οὔτε*] De tristibus moribus. Appellat autem quendam tetricum et tristem, cuius conversatio non est grata.

Neque te prohibeo convivari, nec voco te; es enim molestus, cum praesens es, et amicus, cum abes.] Tales amici similes sunt lupo, qui ad aegrotam agnam quasi officii causa accedebat, et rogabat, ubinam doleret. Respondet illa: Ubicunque me attingis, ibi aegre est mihi. Tales sunt amici ingrati, quorum absentia longe gratior est.

Vss. 1209 sq. *Αἴθων*] Apparet istos versus non esse Theognidis: Genere sum Thessalus et inhabito Thebas urbem bene munitam muris, et pulsus sum patria terra.

Vss. 1211 sq. *Μή*[36])] Tu ancilla vel serva me ludens deride stulte caros parentes; tibi enim

35) Horat. Epist. I, 18, 86 sq.

36) *Μή*] in Ed. 1560. huius vocis loco, explicationi praefixum est nomen *"Αργυρι*, a quo vs. 1212. incipit.

adest vita servilis,] id est, ne exprobres mihi meam calamitatem et adversam fortunam, videlicet exilium, quia et ipsa es in misera conditione servili. Germani dicunt: Es heißt ein Esel den andern ein Sacktreger, dum quis alium deridet in calamitate. Et plerumque qui aliis exprobrant calamitates, illi maioribus malis infestantur.

Vss. 1213—1216. *Ἡμῖν* etc.] O mulier, nobis sunt alia multa mala, postquam ex patria fugimus; sed non adest mihi gravis servitus, neque vendunt nos. Nobis tamen etiam est pulchra urbs, in qua degamus peregrini, sita in campo Latonae, ubi est templum Latonae. In Macedonia fuit Lete oppidum, et iuxta illud valde celebre delubrum Latonae. Confert autem hic inter se exilium et servitutem, et dicit servitutem esse tristiorem.

Vss. 1217 sq. *Μή ποτε* etc.] Congruit cum dicto Christi: Lugete cum lugentibus.

Non unquam sedentes apud plorantes rideamus; sed aliquam partem doloris ipsorum sustineamus, et bonis aliorum delectemur.

Vss. 1219 sq. *Ἐχθρὸν* etc.] Dulcissimi versiculi.

Facilius est fallere amicum quam inimicum; amicus enim simplex est, et caritas nihil suspicatur; inimicus sibi cavet. Inimicum et malevolum decipere difficile est, amicum vero decipere facile est amico.

LXXIX. PHIL. MEL. INTERPRETATIO DUORUM LOCORUM EX CALLIMACHI HYMNIS, ET TRIUM ALIORUM LOCORUM.

Melanthon ex Callimachi hymnis duos interpretatus est locos:

1. Ex *hymno in Apollinem* vss. 105—111. Ed. Ernesti *).

Huius loci interpretatio inscripta: „Ex Callimachi ad Apollinem hymno." invenitur

a. in Vincentii Ed. Epigrammatum Melanthonis fol. N 7[b], ubi in fine haec addita sunt: „Anno 1551. 19. Augusti.";

b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 603. nr. 245.;

c. in Melanthonis explicatione sententiarum Theognidis praecedente p. 68. 9 vss. „Livor sit Phoebo — cogatur abire."

2. Ex *hymno in Delum* vss. 171—176. Ed. Ernesti.

Huius loci interpretatio exstat

a. in Grathusii collectione Epigrammatum Mel. fol. L 8[b];

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 3[b], ubi aeque ac apud Grathusium sic est inscripta: „Apollo apud Callimachum inquit, communem esse victoriam sibi et Ptolemaeo Euergeti, qui etiam Celtis in Asia grassantibus resistebat."

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 666. nr. 378., inscripta: „Oratio Apollinis apud Callimachum."

DUO LOCI EX CALLIMACHI HYMNIS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. Hymn. in Apollinem vss. 105—111.

Huius loci interpretationem ipsam h. l. afferre supersedemus, quippe quae iam supra p. 68. huius Voluminis legitur. Sufficiat, varietatem lectionis ex Vincentii Ed. et huius Corp. Vol. X. h. l. adscribere: vs. 4. magnam] sic Explic. Theogn. et Vincent.; Corp. Ref. Vol. X. magnum — vs. 7. Cereri] sic (= Callim. Δηοῖ) Explic. Theogn.; Vincent. et Corp. l. l. Cereris.

2. Hymn. in Delum vss. 171—176.

Contra hostem fient communia proelia nobis,
Celtica cum contra Graecos gens bella movebit,
Titanum soboles, extremo cardine terrae
Effusa, Hesperias et sedes effera linquet.
Continuas densasque nives ut spargere Bruma
Flante solet Borea, venient sic agmina densa.
Non tamen haec stolidis Galatis via fausta futura est.

---

*) Callimachi hymni, epigrammata et fragmenta, cum notis integris H. Stephani, B. Vulcanii etc. Textum — recensuit, Latine vertit, atque notas suas adiecit Io. Aug. Ernesti. 2 Tomi. Lugduni Bat. 1761. 8.

His annectimus

1. Melanthonis interpretationem carminis Euclidis *), quae legitur in hisce libris:

   a. in libro: Arithmeticae practicae methodus facilis per Gemmam Frisium, Medicum et Mathematicum. Witteb. 1550. 8., versibus graecis adscriptis;

   b. in Scriptis publicis Academiae Witebergensis annorum 1540—1553. Witeb. 1553. **) fol. E 2 a et ibid. 1560. ***) fol. D 5. inscripta „Philippus Melanthon."

   c. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. L 6 b;

   d. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. L 1., ubi aeque ac apud Grathusium inscripta est: *Εὐκλείδου γεωμετρικοῦ*, graeco textu praefixo;

   e. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 566. nr. 177. inscripta: „Philippus Melanthon", cum textu graeco.

Euclidis carmen
Philippo Melanthone interprete.

Mulae asinaeque duos imponit servulus utres
Impletos vino, segnemque ut vidit asellam
Pondere defessam vestigia figere tarda,
Mula rogat: Quid chara parens contare, gemisque?
Unam ex utre tuo mensuram si mihi reddas,
Duplum oneris tunc ipsa feram; sed si tibi tradam
Unam mensuram, fient aequalia utrique
Pondera. Mensuras dic, docte geometer, istas.

---

2. Melanthonis paraphrasin poeticam duorum locorum Platonis:

A. Loci libri VII. de republica, Opp. ed. H. Steph. Tom. II. p. 534. D.

Huius loci paraphrasis metrica Mel., inscripta: „Locus Platonis VII. de republica, qui est commendatio Dialecticae", invenitur

   a. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. N 2 a;

   b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 662. nr. 369.

B. Loci Epinomidis, Opp. ed. H. Steph. Tom. II. p. 983. A. B.

Huius loci paraphrasis metrica graece et latine a Melanthone facta exstat

   a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. L 2 b;

   b. in Vincentii Ed. eorum fol. K 5 a, in utroque libro sic inscripta: „Plato in Epinomide ait, Gratam de Deo famam in astris et doctrina astrorum sparsam esse, quae sententia hoc venustissimo disticho expressa est."

---

*) Hoc carmen graecum septem versus continens invenitur in libro: Anthologia graeca sive Poetarum graecorum lusus. Ex recensione Bunckii. Indices et commentar. adiecit Fried. Iacobs. Tom. I. (Lips. 1794. 8.) p. 101. (Conf. etiam, quae idem editor in Anthologia graeca ad fidem codicis olim Palatini nunc Parisini ex apographo Gothano ab eo edita Tom. III. [Lips. 1817. 8.] p. 892. de tribus huius carminis versibus adnotavit.) Affertur etiam a Io. Christoph. Heilbronnero in libro: Historia matheseos universae a mundo condito ad seculum p. C. n. XVI. (Lips. 1742. 4.) lib. V. cap. 1. §. 46. nr. XLV. Epigrammatum arithmeticorum.

**) Scripta publice proposita a Professoribus in Academia Vuitebergensi ab anno 1540. usque ad annum 1553. Witebergae excudebant haeredes Petri Seitzii 1553. 8.

***) Scriptorum publice propositorum a Professor. in Acad. Witeb., Ab a. 1540. usque ad a. 1553. Tomus primus. Witebergae excusus ab Haeredibus Georgij Rhaw. Anno 1560. 8.

Platonis duo loci
a Melanthone periphrasi metrica redditi.

1. Locus libri VII. de republica.

Sermonis certas tradit Dialectica leges,
Quaque via possis prendere vera, docet.
Ac velut in coenum incautus si forte viator
Labitur, atque udo polluit ora fimo,
Surgit, et immundis sordes detergit ocellis,
Abluit et turpi squalida membra luto:
Sic hebetes oculos acuit Dialectica mentis,
Lynceus ut videas lumina vera puer.

2. Locus Epinomidis.

Ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλει θείας σημεῖα προνοίας,
Μᾶλλον δ' ἡ ἄστρων θεσπεσίη διδαχή.
Astra quidem sunt ipsa Dei certissima signa;
At doctrina Deûm certius ista docet.

LXXX. PHIL. MEL. INTERPRETATIO DUORUM FRAGMENTORUM SIMONIDIS CEI ET BACCHYLIDIS.

Ab *elegicis* poetis graecis ad *melicos* transgredimur, quorum tres h. l. afferendi sunt: 1. Simonides Ceus, 2. Pindarus, 3. Bacchylides. Primi enim et tertii fragmentum, secundi autem carmina integra Melanthon interpretatus est.

Simonidis Cei duo epigrammata in Lycurgi contra Leocratem oratione c. 28. Ed. Blume (auctoris nomine omisso) laudantur:

Ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

et quod proxime sequitur:

Ἑλλήνων προμαχοῦντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι
χρυσοφόρων Μήδων ἐστόρεσαν δύναμιν.

Illud enim epigramma a Cicerone Dispp. Tusc. I, 42, 101. Simonidi diserte tribuitur *), hoc alterum autem eidem a Schneidewinio vindicatur testimonio Aristidis περὶ παραφθέγματος III. p. 646. **). Utriusque quidem epigrammatis versio latina in Melanthonis interpretatione huius orationis Lycurgi (in huius Corp. Reform. Vol. XVII. p. 967.), in Vincentii collect. Epigramm. Mel. fol. P 2^{b}—3^{a} et in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 669 sq. nr. 388. legitur, at interpretatio prioris proprie non ipsius Melanthonis est, sed Ciceronis, quae in Dispp. Tusc. l. l. exstat. Melanthonis interpretationem ipsam hic omittimus, et lectores ad illum locum Vol. XVII. delegamus.

His adiungimus Bacchylidis ***) lyrici versiculos, quos Melanthon latine redditos primum schedae academicae ad studiosos a. 1540. adnexuit, quae invenitur in Scriptis publicis Academiae Witebergensis annorum 1540—1553. Witeb. 1553. †) fol. F 6^{b} et ibid. 1560. †) fol. E 4^{a} (recusa in huius Corp. Reform. Vol. III. p. 1110.), deinde epistolae ad I. Rungium m. Oct. 1555. scriptae inseruit (vide Corp. Ref. Vol. VIII. p. 588.). Praeterea horum versuum interpretatio invenitur in Grathusii collect. Epigrammatum Melanthonis fol. L 2^{a} et in Vincentii Ed. eorum fol. K 4^{b}, apud utrumque sic inscripta: De pudicitia, ex Bacchylide.

Bacchylidis fragmentum
Philippo Melanthone interprete.

Ut, cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores spreti sine honore ††) iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiae.

---

*) Conf. Simonidis Cei carminum reliquiae. Edidit F. G. Schneidewin. Brunsvigae 1835. 8. p. 147. nr. CLI.

**) In libro modo laudato p. 145. nr. CXLIX.

***) In Bacchylidis fragmentis, quae in libro: Poetae lyrici graeci. Edidit Th. Bergk. Lips. 1843. p. 820—834. leguntur, versus cum interpretatione Mel. congruentes non reperimus.

†) Utriusque editionis horum Scriptorum publicorum indicem vide supra p. 181 sq. in notis **) et ***).

††) sine honore] sic Corp. Reform. VIII. l. l., Grathus., Vincent.; Scripta publ. et Corp. Ref. III. l. l.: et sine honore.

LXXXI. PHIL. MEL. INTERPRETATIO OLYMPIORUM PINDARI.

Huius lyricorum veterum principis carmina, quae supersunt, omnia (exceptis fragmentis) Melanthon in latinum sermonem convertit *). Hanc autem interpretationem non ipse edidit, sed Caspar Peucerus, illius gener, in scholis soceri sui ab auditore quodam calamo exceptam divulgavit primum a. 1558. sic inscriptam:

Pindari Thebani Lyricorum veterum Principis, Olympia. Pythia. Nemea. Isthmia. Per Philippum Melanchthonem Latinitate donata, nuncque primum in lucem edita. Basileae, per Ioannem Oporinum. — (In fine:) *Basileae, ex Officina Ioannis Oporini, Anno Salutis humanae M. D. LVIII. Mense Iunio.* 8. 8 plagg. litt. a—h sign., 126 pagg., ult. fol. non num. (pag. 3—10. Casp. Peuceri Budissini epistola nuncupatoria ad Christophorum a Carolowitz; p. 11—41. Pindari Olympia, ex praelectione Philippi Melanchthonis; p. 42—82. Pindari Pythia; p. 82—108. Pindari Nemea; p. 109—124. Isthmia Pindari; p. 125—126. De Pindaro, ex Suida et Volaterrano [addito Quintiliani de hoc poeta testimonio et Horatii Odar. IV, 2. Oda ad Ant. Iulium.]; ult. fol. parte antica Clausulam continet, parte postica vacat) **).

Haec Ed. repetita est a. 1563. sic inscripta:

Pindari Thebani Lyricorum veterum Principis, Olympia. Pythia. Nemea. Isthmia. Per Philippum Melanthonem conuersa in Latinum sermonem. Vitebergae. Excudebat Iohannes Crato. Anno M. D. LXIII. 8 min. 8 plagg. litt. A—H sign., 128 pagg. (p. 3—10. Peuceri epist. nuncup. ad Christoph. a Carolowitz; p. 11—12. In enarrationem Pindari versus Philippi Melanthonis; p. 13—43. Pindari Olympia, ex praelectione Philippi Melanthonis; p. 44—83. Pindari Pythia; p. 84—110. Pindari Nemea; p. 110—128. Isthmia Pindari) ***).

Epistola nuncupatoria, quam Peucerus Pindari carminum interpretationi in utraque editione praemisit, haec est:

Magnifico Viro, nobilitate generis, sapientia et virtute praestanti, Domino Christophoro a Carolowitz, Consiliario inclyti †) *Regis Rom. Hungariae et Boiemiae etc., patrono suo colendo, Caspar Peucerus Budissinus S. D.*

Necesse est discernere genera doctrinarum: sapientiae politicae, quae ex lege, id est, notitiis, quae divinitus insitae sunt universo generi humano, oritur, et sapientiae, quae est Evangelii propria, et Ecclesiam Dei a caeteris gentibus distinguit. De hoc discrimine ut iuventus commonefiat, saepe et libenter recito Angeli Politiani sermonem de Pindaro et Davide, profanum quidem, sed communem valde multis, omnibus temporibus, qui Ecclesiam Dei non norunt. Cum enim interrogaretur Politianus, quid de Davidis Psalmis iudicaret? Ego vero, inquit, illa antiqua poemata plena sapientiae esse video. Sunt ibi omnium virtutum praecepta, sunt commonefactiones de providentia, comminationes de sceleratorum poenis, et promissiones de iustorum praemiis et protectione. Insertae sunt et veteres historiae illius gentis, et ut traderetur memoria vetustatis posteris, et simul poenarum et defensionis exempla in conspectu essent. Hanc sapientiam magnifacio, inquit, utilem vitae et moribus, et figuras in sua lingua concinnas esse existimo. Et olim harmoniae additae sunt ad ciendos animorum motus accommodatae. Sed in Pindaro, inquit, res eaedem dulcius narrantur, et exemplis splendidius illustrantur. Haec Politianus.

Etsi autem in Pindaro, ut postea dicam, sententiae sunt de moribus, et de poenis sceleratorum, cum lege divina congruentes, quia legis notitia nobiscum nascitur, et similes quaedam sunt in Psalmis: tamen longe alia est Psalmorum sapientia. In hac deducimur ad verum Deum, non ad commentitia numina, et repetitur promissio de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, et de reconciliatione.

---

*) Melanthon Pindarum a. 1553. inde a d. 30. Octob. in scholis explicavit, conf. Mylii Chronologia Scriptorum Phil. Melanchthonis, fol. G 3a ad a. 1553. lin. ult.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. Ecclesiae Marianae Halensis et Biblioth. Acad. Gottingensis in manibus teneo.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. magniducali Wimar. in manibus habeo. — Utraque huius interpretationis Mel. editio affertur a Fabricio l. l. Vol. II. p. 69., Schweigero l. l. P. I. p. 238. et Hoffmanno l. l. Tom. III. p. 264.

†) Consiliario inclyti] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. Consiliario Sacrae Caesareae Maiestatis, et inclyti

Hoc discrimen Psalmorum et Pindari initio considerandum est. Postea cogitetur, ad quid prosit Pindari lectio. Ut multi alii poetae et scriptores historici extra Ecclesiam, narrant alii alias historias, et intexunt sententias et admonitiones vitae utiles, ut Homerus, Herodotus et alii: ita Pindarus magnam partem veteris Graecae historiae recitat, Pelopidas, Argonautas, Aeacidas, quorum memoria praecipue delectatur. Nam ordine Aeacum, deinde Pelea, Telamonem, Achillem et Aiacem praedicat. Laudat et urbes, et quarundam initia commemorat: ut Cyrenes et Thebarum. Athenas cum prae caeteris laudasset, irati Thebani mulctam ei indixerunt, quam Athenienses, cum nollent ei officium, quod ipsis tribuerat, damno esse, solverunt.

Legatur ergo Pindarus propter veterem historiam, praesertim cum multa narret, quae nusquam alibi extant. Quaedam interdum fabulis involvit: ut cum ait, Tantalum punitum esse, quod adhibitus ad Deorum epulas, ambrosiam furatus sit, quo involucro significat aliquam religionis violationem. Bellerophontem, inquit, cum Pegaso vectus saepe vicisset magnos hostium exercitus, tantis elatum successibus, Pegaso voluisse intra coelum vehi; sed excussum, in terram delapsum esse, et crus fregisse, ac postea moerore extinctum esse, qua pictura significat, infelices esse conatus omnium hominum, qui erumpentes extra metas sui loci, altiora concupiscunt, ut exempla ostendunt omnibus aetatibus. Antonius non contentus dimidia Imperii Romani parte, cum solus regnare vellet, prorsus opprimitur. Ut*) constat, hanc salutarem admonitionem etiam divina autoritate traditam esse. Iubet enim Paulus eo nos excellere, videlicet studio quietis et propria faciendi: significans, ambitiosas naturas excellentiam quaerere contrario modo, scilicet studio turbandi ordinem gubernationis, et erumpendi extra metas proprii officii.

Historiis vero intexit ubique gravissima praecepta, ac praecipue de iustitia, et de modestia, de poenis iniuste rapientium aliena, et eorum, qui stulta ambitione moti, non necessaria bella movent. Gravissime inquit: Ἔα πόλεμον, ἔα μαχὰν χωρὶς θεοῦ. Ac saepe monet, eas poenas non casu accidere, sed divina providentia regi, et ordine divinitus sancito scelerum comites esse.

Talis fuit vetus sapientia, narrationi historiarum addere praecepta, ut vitae regulas cum illustribus exemplis coniungerent, et homines perterrefactos mirandis ruinis potentium regum et principum, ad iustitiam et modestiam flecterent.

Virgilius, paucis verbis mutatis, sumpsit a Pindaro sententiam, quae est velut argumentum universae mundi historiae: *Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos***). Hanc vocem ait Pindarus assiduo clamore repetere cruentum Ixionem in rota iacentem, ut exemplo suae poenae discant homines, esse Providentiam vindicem, ac punientem scelera, nec laxent frenos caecis et errantibus cupiditatibus, sed semper intueantur lucentem in mentibus notitiam divinitus accensam, quae discernit iusta et iniusta, et severissime praecipit iusta, et prohibet contraria.

Aliquid in naturis non monstrosis conducunt ad regendos mores, crebra cogitatio de virtute, lectio et consideratio exemplorum, et diligentia excitata lectione et voce sapientum, adsuefaciens animos ad curam frenandi immoderatos impetus. Et magis penetrant in animos talia scripta, in quibus dulcissime mixta sunt historiis praecepta: quod cum in Pindaricis carminibus splendidissime et suavissime fiat, nihil dubium est, eorum lectionem bonis naturis valde prodesse.

Multa Dircaeum levat aura cygnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: — inquit Horatius***),

quod verissimum esse, lectores animadvertent, cum videbunt Pindarum, sumpta occasione ex urbis aut familiae alicuius origine, relicto humili argumento, velut evolantem in sublimem aetheream regionem, laetissimo cantu veteres historias celebrare.

Saepe igitur iuventus hunc cygnum audiat. Saepe legat eius dulcissima carmina, quae omnibus temporibus gratissima sapientibus fuerunt. Alexander Macedo vulneratus agnovit, militem Thebanum esse, qui procul magno clamore quasi consolaturus regem, pronuntiavit versum Pindari ****), ῥέζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν. Nec arbitror tantum sono motum esse Alexandrum, qui Boeotiis communis erat; sed versum insignem agnovisse. Nec vetuisset Pindari domum destrui in excidio Thebarum, nisi dulcissimis eius scriptis delectatus esset.

Nota sint igitur et nostrae iuventuti. Ac ut a pluribus legi et intelligi Graeca possint, Latinam interpretationem edidi, quae utcunque sententias reddit, omissis interdum epithetis, quae obscuritatem in Latina lectione allatura erant.

Etsi autem hae tenues pagellae non sunt munus conveniens tanto viro, cui propter sapientiam et virtutem, partem gubernationis reges et principes tribuunt: tamen cum scirem, te et inter caeteras res vitae necessarias tuendas gubernatori, etiam complecti curam conservandi litteras et doctrinas, quae sunt nervi legum, religionis, disciplinae, et multarum artium, quae vitae necessariae sunt: speravi tibi non ingratum fore, si tui nominis mentio in hac editione fieret, praesertim cum eruditae antiquitatis et veterum historiarum cognitione maxime delecteris. Teque oro, ut hanc significationem mei erga te studii, boni consulas. Id si non merentur hae pagellae, tamen Pindari nomini tribuito, quem iuniores avidius legent, cogitantes hunc veterem scriptorem a te quoque magnifieri. Bene vale.

Melanthonis in Pindarum carmen in Ed. 1563. illi epistolae subiunctum invenitur etiam inscriptum: „In Pindarum." in Grathusii collectione Epigrammatum Mel. fol. K 8^b—L 1^a et in Vincentii editione eorum fol. K 4. (ubi in margine adscriptum est: Anno 1545.), praeterea in Scriptis publicis Academiae Witebergensis annorum 1544—1545. Witeb. 1545.†) fol. H 4., et annorum 1544—1553. ibid. 1553.††) fol. Q 6^b sq. et ibid. 1560. Tom. I.††) fol. S 1.; in huius Corp. Reform. autem Vol. X. inter eius carmina non legitur, quapropter hoc quoque hic addimus:

---

*) Ut] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. Et

**) Virg. Aen. VI, 620.

***) Horat. Odar. IV, 2, 25—27.

****) Pind. Nem. 4, 32. Ed. Boeckh.

†) Scripta quaedam in Academia Witenbergensi a Rectoribus, Decanis et aliis eruditis quibusdam Viris publice proposita: ab anno M. D. XLIIII. usque ad finem anni quadragesimi quinti. Witenbergae Anno M. D. XLV. 8.

††) Vide p. 181 sq. notas**) et ***), in quibus harum Editionum indices perscripsi.

In enarrationem Pindari versus Philippi Melanthonis.

Pindarum quisquis volet explicare,
Ille ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto*).
Forsan his verbis aliquis monebit,
Ut relinquamus tenebras vetusti
Vatis, ad Dircen sua qui sonabat
Carmina fontem.
Multa sunt quamvis satis involuta,
Delphicae sortes veluti fuerunt:
Sunt tamen rursus quoque planiora
Plurima membra,
Quae canunt regum memoranda facta,
Litteris nullis aliis relata,
Et regunt mores hominum sequaces
Laude bonorum.
Cum duces Graeci petiêre Colchos,
Phasidos ripis legerent ut aurum,
Narrat Alciden agitasse remos
Lege coactum.
Sic docet summis etiam Deorum
Filiis legum patienda vincla:
Legibus vires et opes superbas
Cedere iustum est.
Bella Titanum recitans nefanda,
Arma qui contra superos tulerunt,
Impies fato simili perire
Praemonet omnes.
Ergo virtutis sapientiaeque
Musa doctrinam quia tradit isto
Pindari scripto, iuvenes modesti hunc
Noscite vatem.

Cum duabus illis Editionibus huius interpretationis Mel. quibusdam in locis Pindari Editt. infra (pag. 198. nota 5.) accuratius describendas Francof. 1542., Basil. 1556., H. Stephani 1566., Boeckhii et Bergkii, atque interpretationes H. Stephani, Heynii et Boeckhii contulimus.

*) Haec prima Strophe paene ad verbum congruit cum hac prima Strophe Odae Horatii ad Antonium Iulium (Odarum libri IV. Oda 2.):

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

PINDARI OLYMPIA
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Ode I.

Hieroni Syracusano κέλητι.

(*Strophe* 1.[1])) Optima res est aqua. Aurum excellit in superbis divitiis, sicut excellit fulvus ignis nocte. Sed si certamina narrare cupis, o anime, non aliud sole videris ardentius astrum in die per desertum aethera; neque Olympico agone praestantiorem alium celebrabimus. Unde celeberrimus hymnus oritur sapientum cogitationibus, ut celebrent Iovem, euntes ad divitem domum Hieronis, (*Antistrophe* 1.) qui tenet iustum regnum in divite Sicilia, decerpens ex singulis virtutibus cacumen. Laetatur et musices flore, ut viros saepe in conviviis ludere videmus. Sed Doricam citharam prehendito a clavo, si tibi Pisae et equi victoris iucunditas movit mentem ad dulces cogitationes: quando ad Alpheum incitavit equi corpus sine flagellis, et cursu dominum fecit victorem, (*Epodos* 1.) regem Syracusium, equis gaudentem. Lucet eius gloria apud Lydii Pelopis coloniam, quem Neptunus amavit, postquam ex lebete eum Clotho extraxit, ornatum humero eburneo. Mirum est, quod saepe hominum men-

1) Stropharum, Antistropharum et Epodon numeros, quibus utraque editio huius interpretationis caret, ex Boeckhii editione, quae Lipsiae 1811—1821. 4°. prodiit, adscripsi.

tes decipiunt fabulae fabricatae mendaciis. Cupio verum sermonem. (*Str.* 2.) Sed Gratia, quae facit omnia iucunda hominibus, adfert honorem, et facit, ut credantur incredibilia. Sed futurum tempus retegit mendacia. Decet autem homines de Diis honesta dicere. Minor[2]) enim culpa est. Fili Tantali, ego te laudabo aliter quam priores. Quando vocavit Deos pater ad legitimas epulas, et ad Sipylum, ut vicissim daret Diis coenam: tunc Neptunum (*Ant.* 2.) desiderio tui flagrantem, aio te rapuisse in aureo curru, ad summam Iovis domum, quo et postea Ganymedes venit Iovi ad idem ministerium. Postquam vero non conspectus es, nec te ad matrem reduxerunt illi, qui te quaesiverunt, dixit aliquis clam ex invidis vicinis, quod in aqua fervente gladio membra dissecuissent, et in mensis minutas carnes tuas distribuissent et comedissent.

(*Ep.* 2.) Mihi vero absurdum est, dicere aliquem Deorum esse heluonem, quia damnum comitatur crebro maledicos. Si quem hominem Dii honoraverunt, fuit hic Tantalus. Sed concoquere magnam felicitatem non potuit. Saturitate accepit magnum damnum, ut Iupiter ei supra caput suspenderit lapidem, quem semper cogitans delapsurum esse in caput, aberrat a laetitia. (*Str.* 3.) Habet autem miseram vitam et aerumnosam, cum tribus quartum laborem: cum Ixione implicito rotae, cum Tityo, qui roditur a vulture, quod furatus dedit aequalibus suis convivis nectar et ambrosiam, in quibus rebus Dii immortalitatem posuerunt.

Si quis faciens scelus, putat id Deum latêre, errat. Ideo Dii remiserunt Pelopem ad homines, cui ad florentem aetatem, cum lanugo nigrum ei mentum coronabat, curavit paratas nuptias, (*Ant.* 3.) ut haberet inclytam Hippodamiam, filiam Oenomai, regis Pisae. Noctu autem solus ad mare accedens, vocabat Neptunum, qui mox apparuit ei. Dixit autem Pelops: Si tibi hoc coniugium placet, impedias hastam Oenomai aeneam, meque in curru celerrimo ducas ad Heliden, et mihi dato victoriam, postquam tredecim procis interfectis, differt nuptias. (*Ep.* 3.) Res periculosa postulat virum non timidum.

Cum autem alioquin necesse sit mori, cur aliquis sedens in tenebris, obscura senecta maceretur, gloriae expers? Ego certamen aggredior, tu praebeto gratum eventum. Sic dixit Pelops, nec irrita fuit petitio, ac laetificans Deus Pelopem, dedit ei currum aureum et indefessos equos. (*Str.* 4.) Cepit igitur validum Oenomaum, et virginem coniugem, quae peperit sex filios, principes virtutem curantes. Nunc inter sepultos iacet, ad Alpheum, apud aram frequentissimam, et adspicit celebritatem Olympicorum certaminum, ubi velocitas pedum certat, et vigor roboris. Victor autem postea in mellita tranquillitate vivit, (*Ant.* 4.) propter victoriae praemia. Sic semper id bonum summum dicitur, quod illo die contingit, quo fructum percipimus superiorum laborum.

Me vero coronare victorem equestri lege Aeolico carmine oportet. Confido enim, neminem posse me laudare alium magis excellentem scientia honestarum rerum et potentia eorum, qui nunc sunt, quam Hieronem.

Deus custos, conservans tuam gloriam, curat tuas sollicitudines. Hic si me non cito destituet, spero me dulciori (*Ep.* 4.) carmine te celebraturum esse, cum in curru celeri accedam ad Iovis templum, inventa materia. Mihi Musa telum praebet validissimum. Alii aliis rebus excellunt. Summum vero decus est regum. Ne maiora appetas. Contingat tibi in tota vita excellere; mihi vero, familiarem esse victoribus, conspicuo per Graeciam propter sapientiam.

Ode II.

Theroni Agrigentino ἅρματι.

(*Str.* 1.) Hymni regnantes in cithara, quem heroum aut quem virum interrogabimus? Pisa quidem Iovis; Olympicum vero certamen instituit Hercules, primitias spoliorum belli. Sed Theronem sonabo propter victoriam curruum, iustum hospitem, murum Agrigenti, nobilium progenitorum florem, rectorem urbium: (*Ant.* 1.) qui progenitores defatigati occuparunt sacram urbem, dictam a fluvio Acragante. Et fuerunt Siciliae oculus, quos fortunata aetas ornavit, dans divitias et favorem cum nativa virtute.

O Iupiter, qui possides Olympi sedem, et certaminum verticem, et flumen Alpheum, et delectaris carminibus, benigne patriam curato (*Ep.* 1.) posteris. Quae vero facta sunt seu iuste seu iniuste, haec tempus, omnium pater, non pos-

2) Minor] sic Ed. 1563. et Boeckhii interpretatio, quae in illius Ed. modo laudatae Tom. II. Parte II. p. 29 sqq. exhibetur; Ed. 1558. Minus.

set facere infecta. Sed bona fortuna oblivionem talium adferre potest. Nam sequenti gaudio praeterita mala odiosa oppressa moriuntur, (*Str.* 2.) quando divina providentia tandem mittit felicem exitum.

Congruit hic sermo et ad Cadmi filias, quibus, cum gravia passae essent, luctus desiit propter potiora bona. Vivit nunc comosa Semele, icta fulmine. Amant eam Pallas, Iupiter et Bacchus. (*Ant.* 2.) Dicunt et Ino inter Nerei filias in mari habere vitam immortalem. Nec vero certum hominibus mortis tempus est, neque scimus, quando diem tranquillum cum bono stabili habituri simus. Fluctus alias alii accedunt ad homines, laeti et tristes. (*Ep.* 2.) Sic fortuna, quae paternam felicitatem Deo movente adfert, adducit et alio tempore contrarium malum, postquam occidit Laium occurrens filius, et perfecit oraculo praedictam necem. (*Str.* 3.) Sed saeva Erinnys occîdit ei mutua caede Martiam sobolem: ex qua Thersander superstes fuit cadenti Polynici, honoratus novis pugnis in altero bello, germen filiae Adrasti, unde generis originem habent maiores Theronis. Decet igitur nos lyra et encomiis celebrare Aenesidami filium Theronem; (*Ant.* 3.) nam in Olympiis ipse coronam accepit. In Pythico autem agone et Isthmico communis gloria: cum fratre duxit coronas quadrigarum.

Successus vero in certamine, finis est curarum. Divitiae etiam virtute ornatae adferunt opportunitatem variarum rerum, praebentes profundam curam et asperam. (*Ep.* 3.) Sunt stellae et lumen homini. Nam has qui possidet, scit post mortem iniustas mentes luere poenas. Nam delicta in hoc Iovis imperio punit quispiam sub terra, dicens sententiam ingrata necessitate. Boni vero vita fruuntur sine labore, (*Str.* 4.) semper aequaliter noctu et interdiu solem habentes, non terram turbantes robore manuum, nec mare propter inopiam. Sed iusti apud Deos laetam vitam agunt; mali vero horribilem cruciatum sustinent. (*Ant.* 4.) Quicunque autem ter in utroque loco manentes abstinuerunt ab iniustitia, perfecerunt Iovis viam ad urbem Saturni Tyrsim, ubi Beatorum insulam Oceani aurae perflant, ubi flores aurei fulgent in terra et arboribus, et in aqua. Unde monilibus et coronis implicant manus, (*Ep.* 4.) cum Rhadamanthus rectas sententias dicit, quem Saturnus sibi assessorem adiunxit, maritus Rheae tenentis supremum thronum. Peleus et Cadmus inter hos numerantur: quo et Achillem Thetis transvexit, cum Iovis pectus precibus flexisset, (*Str.* 5.) qui Hectorem, columnam Troiae rectam, evertit; et interfecit Cycnum et Memnonem.

Multas adhuc gero sagittas sub cubito in pharetris, sonantes intelligentibus, quae in populo indigent interprete. Hic sapiens est, qui natura multa scit. Alii, qui tantum imitantur aliena, sunt velut corvi petulantes et garruli, (*Ant.* 5.) certantes cum aquila.

Nunc dirige arcum ad metam, quam petimus, mittentes gloriosa tela ex benevolo corde. Tendas ad Agrigentum. Dico iurans, intra centum annos nullam civitatem peperisse virum magis beneficum amicis, et liberaliorem (*Ep.* 5.) Therone. Sed magnae laudi opposuit se iniuste insolentia ignavorum virorum, volens obtrectando honesta obruere malis factis. Ut autem arena non potest numerari: sic nemo beneficia, quae Theron aliis praebuit [3]), numerare queat.

Ode III.

Eidem Theroni εἰς θεοξένια.

(*Str.* 1.) Castori et Polluci et Helenae opto, honorans Agrigentum, et faciens hymnum, ut sit ornamentum equorum indefessorum Theronis. Adest mihi Musa invenienti novum modum, ut laetam vocem accommodem Dorico pedi. (*Ant.* 1.) Nam coronae iubis additae exigunt a me hoc divinum debitum, ut citharam et tibias et carmina Theroni decenter misceam. Et Pisa iubet me canere, a qua divinae cantiones ad homines redeunt, (*Ep.* 1.) quibus vir Aetolus iudex certaminis faciens mandata Herculis, glaucam coronam ex olea imponit, quam attulit Hercules ab opaci Istri fontibus, ut esset monumentum Olympicorum certaminum; (*Str.* 2.) quando persuasit Hyperboreis [4]), et placide petivit Iovis templo umbrosum germen, quod esset communis hominibus virtutis corona. Iam enim Iovi aris initiatis, luna plena vespere complebat orbem, (*Ant.* 2.) et magnorum certaminum instabat iudicium, cum Hercules constituisset quinquennalem ludum ad

---

3) praebuit] sic (= Pind. ἔθηκεν) Ed. 1558.; Ed. 1563. praebet.

4) Hyperboreis] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. Hyperboreos.

Alpheum. Nec tamen locus Pelopis in valle Cronii producebat pulchras arbores.

Cum igitur hortis vacuus esset, subiectus solis fulgori, tunc animus impulit eum, proficisci ad terram Istrianam, (*Ep.* 2.) ubi eum Diana excepit, venientem a iugis et angulis Arcadiae: quando eum mandato Eurysthei coactio divina incitavit, ut cervam habentem aurea cornua adduceret, quam Taygeta filia Atlantis dedicaverat Dianae. (*Str.* 3.) Hanc cervam sequens, videt terram post frigidum Boream. Ibi stans, admiratus est arbores, et eas expetivit, ut sereret iuxta curriculum equorum.

Nunc igitur Hercules cum Castore et Polluce propitius ad hoc festum redit. (*Ant.* 3.) Is enim mandavit discedens ad Olympum, ut hoc spectaculum regerent, in quo viri virtute certant, et curruum agitatione. Me igitur impellit animus, dicere gloriam Theroni, quam dant ei Tyndaridae, quia Theron colit eos maxima hospitalitate, (*Ep.* 3.) pie servans sacrificia.

Excellit quidem inter res aqua, et inter opes aurum; Theron vero perveniens ad summam virtutem excellit, et domestica virtute Herculis attingit columnas, ultra quas progredi nec sapientes nec insipientes possunt. Nec ego velim eo sequi; vanus enim essem.

Ode IV.

Psaumidi Camarinaeo ἵπποις.

(*Str.*) Iupiter tonans, tuae Horae revolutae miserunt me, ut sim testis certaminum carmine. In secundis rebus amicorum laetantur boni, audito dulci nuntio. Sed o Iupiter, qui Aetnam habitas, onus ventosum Typhonis, accipe gratiarum causa hoc triumphale carmen, (*Ant.*) perpetuum lumen virtutum. Psaumidis enim curribus venit, qui olea pisatide coronatus, gloriam excitare parat suae patriae. Deus reliquis eius votis sit benevolus. Libenter enim equos alit, et hospitalitatem exercet, et amat patriam sincera mente, et studet tranquillitati. Nec falsa loquar. Experientia enim homines ostendit. (*Ep.*) Quae Clymeni filium Erginum liberavit probro Lemniacarum mulierum, qui vincens cursu, dixit Hypsipylae coronam petens: Tali ego sum velocitate, manus et cor adhuc valent. Saepe et in iunioribus cani nascuntur, et praeter congruum aetatis tempus.

Ode V.

Eidem Psaumidi τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, καὶ κέλητι [5]).

(*Str.* 1.) O Camarina, Oceani filia, accipe hilari corde florem coronarum, pro excellentibus virtutibus in Olympicis, et pro curru Psaumidis; (*Ant.* 1.) qui tuam urbem augens, sex geminas aras honoravit sacrificiis quinque dierum, (*Ep.* 1.) equis, mulis, et unico equo. Tibi vero Camarina gloriam victoriae adfert, et patrem Acrona [6]) praedicavit, et urbem recens conditam. (*Str.* 2.) Rediens autem domum a Pisa, te Pallas honorat, et fluvium Oanum, et paludem (*Ant.* 2.) et canales, quibus Hipparis rigat exercitum, et addit terram urbi, alluvione adferens commoda urbi.

(*Ep.* 2.) Semper autem in virtute labor et sumptus pugnant, ut opus periculo tectum assequantur, et [7]) potiti celebrantur a civibus. (*Str.* 3.) O Iupiter, habitans tumulum Cronium, et honorans Alpheum et Idaeum antrum, accedo ad te supplex, sonans Lydiis tibiis, (*Ant.* 3.) petiturus, ut ornes hanc urbem egregiis victoriis, et ut victor delectans se equis, habeat senectam laetam

---

5) τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, καὶ κέλητι.] sic Editt. 1558., 1563., eadem verba leguntur in hisce Pindari editionibus antiquioribus, quas contuli:

1. *ΠΙΝΔΑΡΟΥ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΝΕΜΕΑ. ΙΣΘΜΙΑ· Μετὰ ἐξηγήσεως παλαιᾶς πάνυ ὠφελίμου, καὶ σχολίων ὁμοίων. Pindari. Olympia. Pythia. Nemea. Isthmia. Francofurti, opera et impensa Petri Brubacchij, Anno M. D. XLII.* $62^1/_2$ plagg. litt. a — z, aa — zz, aaa — qqq ($1^1/_2$ pl.) sign. 4° (ult. fol. vacat).
2. *ΠΙΝΔΑΡΟΥ ΟΛΥΜΠΙΑ, ΠΥΘΙΑ, ΝΕΜΕΑ, ΙΣΘΜΙΑ. Pyndari Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia.* (In fine:) *Basileae, per haeredes Andreae Cratandri, Anno Salutis M. D. LVI. Mense Septembri.* 19 plagg. litt. A — T sign. (penult. pag. vacat; ult. pag. idem insigne typogr. continet, quod in titulo conspicitur) 8.
3. *Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia. Caeterorum octo Lyricorum carmina, Alcaei, Sapphus* etc. *Nonnulla etiam aliorum. Editio II. Graecolatina H. Steph. recognitione quorundam interpretationis locorum, et accessione lyricorum carminum locupletata. Anno M. D. LXVI. Excudebat Henr. Stephanus, illustris uiri Huldrichi Fuggeri typographus.* 16°.

quibuscum etiam h. l. congruit Heynii interpretatio sic inscripta:

Pindari Carmina ex interpretatione latina emendatiore. Curavit Christian. Gottlob Heyne. Gottingae et Gothae. MDCCLXXIV. 4.

ubi haec leguntur: *Eidem Psaumidi. Quadrigis, rheda mulari, et celete.* Boeckhii autem Ed. atque Bergkii (*Poetae lyrici graeci. Edidit Theod. Bergk. Lipsiae* 1843. 8. p. 1 — 300.) habent hanc inscriptionem: *Ψαυμίδι Καμαριναίῳ ἀπήνῃ. Psaumidi Camarinaeo rheda mulari.*

6) Acrona] sic Ed. 1558.; Ed. 1563., Heyne et Boeckh.: Acronem.

7) et] sic Ed. 1558.; Boeckh.: ac (= Pind. δ'); Ed. 1563. eo.

usque ad finem, (*Ep.* 3.) filiis superstitibus. Si quis autem sanus, fruens suis bonis, contentus facultatibus habet gloriam, ne postulet Deus fieri.

Ode VI.

Agesiae Syracusio filio Sostrati[8]) ἀπήνῃ.

(*Str.* 1.) Ut splendidam domum extructuri, aureas columnas in vestibulo ponimus (oportet enim initia splendida esse): ita si adsit talis victor, qui est vates et conditor Syracusae, talis vir quo hymno celebrandus est, occurrens non invidis civibus in cantu? (*Ant.* 1.) Stet enim in hoc rhythmo pedem habens Sostrati filius. Virtus autem neque apud viros, neque ignavis sine periculo est. Et si quid praeclare factum est, multi meminerunt. O Agesia, tibi laus parata est, quam iuste Adrastus Amphiarao olim vati tribuit, postquam terra eum et equos absorpsit. (*Ep.* 1.) Septem enim ducibus consumptis in rogis, dixit Adrastus: Desidero oculum exercitus, vatem bonum, et bellatorem. Id praeconium adest et huic Syracusano. Non est aemulator, neque rixosus, quod iuramento testari possem; mellisonae vero Musae assentiuntur.

(*Str.* 2.) O mea mens[9]), iungito mulas cito, ut in semita pura collocem currum, et veniam ad genus virorum. Nam hae mulae prae aliis norunt viam, postquam acceperunt coronas Olympicas. His igitur portae hymnorum aperiantur. Hodie enim necesse est eas accedere ad Pitanam, iuxta Eurotae cursum debito tempore, (*Ant.* 2.) quae Neptuno mixta[10]), dicitur Euadnen violaceo capillo peperisse; occultasse autem clandestinum foetum gremio, et suo mense editum, misisse alendum Aepyto Arcadum regi, qui et Alpheo dominabatur. Ibi educata Euadne, ab Apolline compressa est. (*Ep.* 2.) Nec vero ignoravit Aepytus gravidam esse. Reprimens autem occultam iram, cito abiit Pythonem, sciscitatum oracula de hoc casu. Illa deponens zonam, et urnam argenteam, sub opacis dumis peperit filium fatidicum[11]), cui Apollo adesse curavit Lucinam et Parcas. (*Str.* 3.) Prodiit igitur in lucem a partu Iamus, quem moesta reliquit humi. Duo autem daemônes eum aluerunt, Deo volente, innoxio apum succo. Postquam autem Aepytus rediit, interrogavit omnes de puero nato ex Euadne. Ait enim, natum esse Phoebo (*Ant.* 3.) patre; fore autem vatem eximium, nec posteritatem eius cessaturam esse. Sic cum dixisset, nemo se scire dicebat: iamque dies quintus erat a partu, et tectus erat iunco in rubis, ignotis violis humectans corpus, unde et mater ei nomen dedit.

(*Ep.* 3.) Cum autem pubertatem attigisset Iamus, accessit ad Alpheum, et rogavit Neptunum et Phoebum, ut sibi tribuerent artem honorificam, populo utilem. Respondit igitur veridica vox patria, et vicissim eum allocuta est: Surge fili, imus ad communem regionem, famam inventuri. (*Str.* 4.) Venerunt igitur ad celsam Cronii[12]) rupem, ubi duplicem ei thesaurum vaticinii tribuit, ut tunc oracula redderet, et cum veniret Hercules, et hoc certamen institueret, ibi oraculi sacellum conderet: (*Ant.* 4.) inde celebre fuit genus Iamidarum, et divitiis potens. At qui honorant virtutem, fiunt clari. Unumquemque autem res ipsa ostendit. Obtrectator autem[13]) pendet ex aliis, qui invident victoribus, quos ornat gratia.

Si autem vere maiores Agesiae sub Cyllenae monte Arcadiae (*Ep.* 4.) habitantes, pie honorarunt Mercurium, qui gubernat certamina, et Arcadiae praeest, hic tibi cum Iove felicitatem perficit.

Habeo in lingua et aliam opinionem, quae me velut cos acuit, et delectat me in carmine. (*Str.* 5.) Avia mea Arcadica Theben equestrem peperit, cuius ego aquam bibo, nectens bellatoribus hymnos. Excita socios Aenea recitator, primum ut celebrent Iunonem Partheniam, deinde ut notum fiat, nos effugisse probrum, quod nobis obiicitur, sus Boeotia. Es enim idoneus nuntius Musarum. (*Ant.* 5.) Iube et mentionem facere Syracusarum, et Ortygiae, quam Hiero iuste gubernans, veneratur Cererem et Proserpinam et Iovem. Celebrant Hieronem suaves citharae[14]), ne veniens aetas concutiat eius felicitatem. Hic excipiat laetus redeuntem Agesiam (*Ep.* 5.) ex veteri patria Arcadia in patriam Siciliam.

8) *filio Sostrati*] sic Editt. 1558., 1563. = *υἱῷ Σωστράτου*, quae in Editt. Francof. 1542. et H. Steph. 1566. leguntur, in ceteris autem Editt. in nota 5. commemoratis desunt.

9) O mea mens] sic Editt. 1558., 1563.; ceterae Editt. in nota 5. commemoratae habent: Ὦ Φίντις, O Phintis.

10) quae Neptuno mixta,] sic (= Pind. *ἅ τοι Ποσειδᾶωνι μιχθεῖσα*) Ed. 1563.; in Ed. 1558. desunt.

11) fatidicum] Editt. 1558., 1563. vatidicum.

12) Cronii] sic (= Pind. *Κρονίου*) Ed. 1563., Heyne et Boeckh.; Ed. 1558. Acronii.

13) autem] sic (= Pind. δ') Ed. 1558.; in Ed. 1563. deest.

14) citharae] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. Citherae.

Prodest in tempestate navem fulcire duabus anchoris. Deus autem haec et illa feliciter gubernat. O Neptune, da ei navigationem sine periculo, et meorum carminum florem levato.

Ode VII.

Diagorae Rhodio πύκτῃ.

(*Str.* 1.) Ut si quis divite manu phialam capiens, intus vino bullientem, donet novo genero praebibens, ac transferat ex domo una in aliam auream possessionem et symposii decus, honorans generum praesentibus amicis ad concordem torum: (*Ant.* 1.) sic ego nectar carminum victoribus mittens, dulces fructus gratificor eis.

Felix, quem bona fama amplectitur. Alias alium gratia vivificans respicit, cum cithara et fidibus. (*Ep.* 1.) Nunc vero cum cithara et tibiis cum Diagora descendi, celebrans Rhodum, Veneris filiam, et Solis sponsam, ut fortem virum coronatum ad Alpheum laudem, et patrem Demagetum, habitantes insulam Asiae prope Embolum, cum Argiva multitudine.

(*Str.* 2.) Volo autem ortis a Tlepolemo, Herculis filio, commune praeconium recitare, quibus genus paternum a Iove est, maternum vero ab Astydamia. In hominum mentibus pendent multi errores; et difficile est eligere, (*Ant.* 2.) quod simul et in praesens bonum sit, et in futurum. Nam Tlepolemus iratus interfecit Licymnium, Electryonis filium, feriens sceptro. Ira et sapientes turbat. Cum autem sciscitatus esset oraculum, (*Ep.* 2.) iussit Apollo classem ex Lernaeo littore mittere ad insulam pascuam, ubi nive aurea rigavit urbem Iupiter, quando Vulcani arte, aenea bipenni Pallas ex vertice Iovis erumpens, adeo altum clamavit, ut perterrefieret coelum et terra.

(*Str.* 3.) Tunc Sol iussit filios suos observare rem futuram, ut Palladi aram primi conderent, ut pia sacra facerent, et Iovem placarent, et Palladem hastatam. Prometheus adfert hominibus virtutem et laetitiam; (*Ant.* 3.) sed tamen accedit obscura nubes oblivionis, et rectam viam negotiorum aufert ex mentibus. Ascenderunt enim ad sacrificandum, non habentes ignem: dumque aram faciunt in arce sine igne, Iupiter flavam nebulam adducens, multum auri depluit. Pallas vero dedit (*Ep.* 3.) omnes hominum artes, et in viis Rhodi erant statuae similes animantibus. Et erat magna gloria. Maior est sapientia et incorrupta eius, qui didicit.

Dicunt autem veteres narrationes, cum Iupiter et alii Dii distribuerent terram, nondum conspicuam fuisse Rhodum in mari, sed adhuc in salsis vadis occultatam fuisse. (*Str.* 4.) Cumque absente Sole nulla ei pars ostenderetur, et postea mentio eius rei fieret, Iupiter retractaturus erat sortitionem. Sed Sol id fieri non concessit, dicens se videre in mari crescentem terram ex fundo, uberem hominibus et pecudibus. (*Ant.* 4.) Iussit igitur statim Lachesin extendere manum, et iurare non falsum iuramentum, et cum Iove promittere, emissam hanc terram in aerem sibi propriam fore. Huic dicto respondit eventus, et germinavit in mari (*Ep.* 4.) insula, cui Sol dominatur. Ibi Rhodo mixtus, genuit septem filios, sapientia excellentes apud veteres, quorum unus Camirum, Ialisum et Lindum genuit. Hi insulam in tres partes diviserunt, et ab ipsis oppida nominata sunt. (*Str.* 5.) Ibi liberatio calamitatis Tlepolemo facta est, et institutum sacrificium et certamen: cuius floribus Diagoras bis coronatus est, et in Isthmo vicit quater, et in Nemeis et Athenis. (*Ant.* 5.) In Argo etiam aeneo clypeo donatus est. Vicit et in Arcadia, Thebis, Aegina, et Pellena Achaica, et in Megaris non alterius nomen inscriptum est lapidi. O Iupiter, honora hunc victorem, (*Ep.* 5.) daque ei venerandam gratiam apud cives et apud exteros, quia recte ambulat in via iusta. Tu cum scias, quae hunc paternae mentes bona docuerint, ne occulta semen Callianactis. Habet et Rhodus sacrificia Eratidarum. Sed subito alias alii flatus excitantur.

Ode VIII.

Alcimedonti παλαιστῇ, Timostheni παλαιστῇ, Melesiae ἀλείπτῃ[15]).

(*Str.* 1.) O Olympia mater certaminum, et domina veritatis, tibi vates ex flamma divinantes explorant, an Iupiter curet homines, magnum

---

15) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563. = Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556. et H. Steph. 1566., quibuscum fere congruit Heynii inscriptio: *Alcimedonti puero luctatori, et Timostheni luctatori, fratri eius, in Nemeis, et Melesiae aliptae.*; at in Boeckhii et Bergkii Editt. sic est inscripta: *Ἀλκιμέδοντι Αἰγινήτῃ παιδὶ παλαιστῇ. Alcimedonti Aeginetae puero luctatori.*

decus quaerentes, et laborum requiem. (*Ant.* 1.) Perficitur autem haec divinatio in gratiam piorum, qui supplicant. Et tu, o Pisa, accipe hunc hymnum. Magna gloria est, cui contingit suum munus. Alia vero aliis bona eveniunt, et Deus variis modis benefacere potest.

(*Ep.* 1.) Vos autem Aeginetas adiunxit fatum Iovi, generis autori: te Timosthenem in Nemeis conspicuum, Alcimedonta in Olympiis. Erat formosus, et factis ornans formam; nam Aeginam patriam celebravit, cum vicisset lucta: ubi exercetur Iustitia, assidens apud Iovem hospitalem, (*Str.* 2.) magis quam colunt eam alii homines. Ubi magna multitudo confluit, difficile est recte iudicare. Sed lex divina hanc insulam variis hospitibus constituit esse felicem columnam. Veniens tempus servet (*Ant.* 2.) insulam, attributam Doriensibus post Aeacum, quem Apollo et Neptunus, aedificaturi murum Ilii, sibi adiunxerunt socium aedificationis, quia erat fatum, in bello rapido igni Troiam perituram [16]) esse. (*Ep.* 2.) Postquam autem nova turris extructa est, tres dracones adstiterunt, quorum duo deciderunt, et afflicti mortui sunt; tertius vero vehementi clamore irrupit. Id prodigium interpretatus est Apollo: Pergama capientur ea parte, qua tuum opus est, ut hoc ostentum significat. (*Str.* 3.) Capientur autem non sine tuis filiis. Domabitur autem cum primis et quartis. Haec cum plane dixisset Deus, properavit ad Xanthum, et ad equestres Amazones, ac ad Istrum. Neptunus vero ad Isthmum currum agitavit, comitans Aeacum aureis equis, (*Ant.* 3.) et ad Corinthi iuga visurus sacrificium.

Idem vero non delectat omnes. Quare si Milesiae occurram hymno ad gloriam, quam nactus est imberbis, ne me aspero lapide feriat livor. Nam et postea virili aetate in Nemeis vicit (*Ep.* 3.) pancratio. Haec similis gloria est priori. Docere facile est scienti. Stultitia est autem, non prius discere. Et non experti, stultiores sunt. Expertus opera sua melius dicere potest, quam alii, qui modus ex certaminibus virum ad gloriam adducat.

Nunc ei Alcimedon decus est, nactus victoriam tricesimam, (*Str.* 4.) qui Deo iuvante, et non sine viribus, iuvenibus reditum odiosum, et ingloriam linguam, et iter occultum fecit. Avo autem suo laetitiam attulit. Cui accidunt grata, mortem obliviscitur.

(*Ant.* 4.) Decet autem me et Blepsiadas celebrare, et dicere victrices eorum manus, qui nunc sextam coronam habent. Nam et ad mortuos pertinet gloria posterorum, nec pulvis obruit cognatorum gloriam. (*Ep.* 4.) Iphion proavus audiens Mercurii filiam Famam, dicet Callimacho victoriam in Olympiis, quem Iupiter ei cognatum dedit. Addat autem Iupiter his bonis alia bona, et depellat saevos morbos. Opto etiam, ne in hac gloriosa vita Nemesis inimica ipsi noceat; sed ut agens vitam tranquillam, augeat suos et patriam.

Ode IX.

Epharmosto Opuntio παλαιστῇ.

(*Str.* 1.) Archilochi carmen sonans in Olympia, gloriose victor o Callinice, ter cantatum satis fuit apud Cronium tumulum, ut praeiret Epharmosto ducenti sodales. Nunc vero accedo Iovem his carminibus, et promontorium Helidis, quod Lydius Pelops accepit dotis loco ab Hippodamia. (*Ant.* 1.) Mitte sagittam et ad Pythonem. Non humili oratione utaris propter luctas huius viri, citharam feriens, qui oriundus est ex Opunte. Laudabis autem et urbem et civem, quam Themis, et filia eius Eunomia servatrix regit. Floret autem ea urbs victoriis Pythiis et Olympicis, unde coronae matrem Locrensium attollunt. (*Ep.* 1.) Ego autem charam urbem splendidis illustrans carminibus, undique hanc famam spargam celerius equo et nave, si feliciter excellenti Gratiarum horto fruar. Hae enim praebent delectabilia. Et boni et sapientes ex Deo (*Str.* 2.) sunt. Quomodo enim Hercules tridentem movisset clavam, quando ad Pylum stans Neptunus sustinuit eum? Et pugnans cum Apolline, sustinuit eum? Nec Pluto immotam tenuit virgam, qua mortalia corpora deducit ad cavum vicum. Sed abiice hunc sermonem, quia conviciari Diis, odiosa sapientia est. Et gloriatio intempestiva (*Ant.* 2.) insaniae consonat. Non stridas talia. Omitte bellum, omitte pugnam sine Deo.

Convertas autem linguam ad urbem Protogeniae Opuntem, ubi Deucalion et Pyrrha descendentes ex Parnasso, condiderunt domum, et sine concubitu nacti sunt hominibus similem foeturam

---

16) perituram] Ed. 1568. mendo typogr.: periturum.

lapideam. Excita dulce iter carminum, et lauda vetus vinum, et florem novorum hymnorum. (*Ep.* 2.) Narrant, nigram terram obrutam esse aquis; sed Iovis consilio exundationem cepisse refluxum[17]). Ex his orti sunt vestri progenitores filii Iapeti, ex filiabus Iovis reges indigenae. (*Str.* 3.) Antea Iupiter filiam Opuntis Protogeniam rapiens ex terra Epeorum, clam ei mixtus est, et ad Locrum eam traduxit, ne sine prole decederet. Peperit autem uxor semen generosissimum, et heros videns filium suppositicium, nominavit eum nomine avi materni Opuntem, et dedit ei urbem et populum regere.

(*Ant.* 3.) Accesserunt autem eo hospites ex Argo, Thebis, Arcadia et Pisa. Praecipue autem honoravit filium Actoris et Aeginae Menoetium. Cuius filius Patroclus veniens cum Atridis in campum Teuthrantis, perstitit cum Achille solus, quando Telephus compulit Graecos fugere in naves. Unde cognosci potuit Patrocli fortitudo et prudentia. Quare Achilles in pernicioso proelio eum monuit, (*Ep.* 3.) ne in acie sine ipso proeliaretur.

Utinam sim inventione et eloquutione felix in Musarum solio, et sim animosus et copiosus. Veni laudator, Virtute duce, ad Isthmias coronas Lampromachi, quando ipse et Epharmostes uno die ambo vicerunt. (*Str.* 4.) Deinde aliae duae victoriae in Corintho partae sunt, et in Nemeae sinu; et vir factus vicit in Argis, adolescens Athenis. Quale vero sustinuit certamen, apud Marathonem[18]) discedens ab imberbibus[19]) pro argenteis phialis, ubi vicit viros celeri dolo, sine lapsu? Quali voce, forma et gloria percurrit circulum? (*Ant.* 4.) Admirati sunt eum et Arcades, in certamine ad templum Iovis Lycaei, et quando accepit in Pellene vestem, quae arcet frigus. Testis est ei virtutis et Iolai tumulus, et Eleusis.

Valere natura praecipuum est. Multi et arte decus acquirere conati sunt. Sed quod non est ex Deo, rectius est tacere. (*Ep.* 4.) Nam aliae viae aliis potiores sunt. Non eadem negotia omnibus conveniunt. Sapientia quidem sublimis est. Hoc tandem adferens praemium, arduus currito alacriter, videns hunc virum divinitus natum, et fortem, et robur eius, qui victor in Oileis coronavit aram Aiacis Oilei dapibus[20]).

Ode X.[21]).

Agesidamo Locro Italico[22]) *puero πύκτῃ.*

(*Str.* 1.) Victorem revocate mihi ad memoriam Archestrati filium, ubi in mea mente scriptus sit. Cum enim dulce carmen ei debeam, oblitus sum. O Musa, et o Veritas, recta manu arcete mendaciorum probrum, delinquens in hospites. (*Ant.* 1.) Nam longum tempus dedecorat meum debitum. Sed tamen reprehensionem usura solvere potest. Nunc ubi fluctus mergit volutatum[23]) calculum? et ubi solvemus carmen ad gratiam? (*Ep.* 1.) Regit enim veritas urbem Locrorum, et curae sunt eis Calliope et Mars. Fugavit et Herculem Cycnus. Postquam autem vicit Agesidamus pugil in Olympiis, Iolao gratiam referat, sicut Achilli Patroclus. Sic Deo iuvante, virum fortem acuit vir ad gloriam. (*Str.* 2.) Pauci vero adipiscuntur gloriam, quae est vitae lumen, sine labore. Me Iovis leges hortantur canere excellens certamen, quod instituit Hercules ad Pelopis tumulum, postquam interfecit Neptuni filios Cteatum[24]) (*Ant.* 2.) et Eurytum, ut a superbo Augea mercedem pro ministerio posceret. Nam sub Cleonis Hercules insidians eis inter dumos, domuit eos: quod et ante Tirynthium exercitum profligaverant Molionidae, sedentem in angulis Elidos[25]). (*Ep.* 2.) Sed deceptor hospitum Augeas postea vidit divitem patriam in igne[26]) et ferro, sedentem in profundo fluxu calamitatis. Ex bello potentiorum evadere

---

17) consilio exundationem cepisse refluxum.] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. consilio refluxum repente cepisse exundationem.

18) apud Marathonem] sic (= Pind. ἐν Μαραθῶνι) Ed. 1563.; in Ed. 1558. omissa sunt.

19) discedens ab imberbibus] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. ab discedens imberbibus.

20) dapibus] sic Ed. 1563.; in Ed. 1558. deest. Illa voce vertitur δαιτὶ, quod Editt. Francof. 1542., Basil. 1556. et H. Steph. 1566. exhibent; H. Steph. vertit: *festis dapibus*; Editt. recentt. habent ἐν δαιτὶ, quam lectionem Heynius reddit: *inter sollemnes epulas*, Boeckh.: *in convivio*.

21) Haec Ode, quae in Editt. antiquior. et in Heynii interpr. decima est, a Boeckhio et Bergkio undecimo loco exhibetur.

22) Italico] sic a Mel. vertitur Ἐπιζεφυρίῳ.

23) volutatum] sic (= Pind. ἑλισσομέναν) Ed. 1563., Heyne, Boeckh.; Ed. 1558. male: voluntatum.

24) Cteatum] sic (= Pind. Κτέατον) H. Steph., Heyne, Boeckh.; Editt. 1558., 1563. Cleatum.

25) Elidos] sic scripsi (= Pind. Ἄλιδος, H. Steph., Heyne, Boeckh. Elidis); Editt. 1558., 1563. Helidos.

26) igne] sic Ed. 1563. Ed. 1558. igni.

difficile est. Et Augeas stultitia tandem captus, mortem non aufugit. (*Str.* 3.) Itaque Hercules Pisae totum congregans exercitum, ut omnem praedam, tunc lucum patria consecratum muniit. Et mundo loco[27]) intus sacellum, campum vero circa lucum fecit diversoria convivii, Alpheum honorans (*Ant.* 3.) cum duodecim Diis, et nominavit vicum Saturni; antea enim sine nomine erat, donec Oenomaus regnavit, et multa nive irrigabatur.

Sed tunc in primo convivio adstiterunt Parcae et Diuturnitas, quae sola veritatem profert. (*Ep.* 3.) Haec et ostendit, ubi Hercules obtulerit spolia, et ubi quinquennem instituerit festivitatem.

Quis vero in Olympiis viridem coronam primus accepit, manibus, pedibus, curru gloriam facto adeptus? (*Str.* 4.) Stadio vicit primus Oeonus, Licymnii filius, dux Mideae Argolicae. Lucta Echemus Arcas, Doryclus pugillando vicit. Quadriga vero (*Ant.* 4.) signum Halirrhothii. Hasta Phrastor, disco Eniceus, et vespere accendit pulchrum Lunae lumen; (*Ep.* 4.) celebrabatur autem totum nemus conviviis et cantu.

Nunc vero sequentes primos ritu victoriae, laudes canemus, et dicemus tonitru et fulmen Iovis, cui occurrit dulcis cantilena, (*Str.* 5.) quae apud Dircen post longum tempus apparuit. Ut autem filius ex coniuge patri carus, in senecta magis eum delectat; contra vero, triste est diviti habere alienum haeredem: (*Ant.* 5.) sic cum is, qui praeclara facta fecit, sine carmine moritur, inania spirans, brevi tempore post laborem laetatus est. Tibi vero lyra gratiam addit, et Pierides celebrant te; (*Ep.* 5.) et ego adhaerens Musis, incidi in Locrorum gentem, et melle rigo fortem civitatem, laudans Archestrati filium, quem vidi victorem apud aram Olympiam, illo tempore florentem forma et aetate, quae impudentem mortem a Ganymede depulit cum Venere.

Ode XI.[28]).

Eidem Agesidamo τόκος[29]).

(*Str.*) Interdum prosunt venti, interdum pluviae. Sic cum aliquis fecit aliquid feliciter, dulces hymni fiunt ei initia posteriorum sermonum; et foedus est virtutibus, (*Ant.*) cum laudatione. Grata est laus victoribus, quam lingua mea pascit. Dei autem beneficium est, florere sapientia.

Scias igitur Agesidame, propter pugillatoriam tuam (*Ep.*) me hoc carmen sonare ad auream coronam, quia curo Locros. Ibi et vos Musae simul choros ducetis. Spondeo enim, hunc hymnum non ad inhospitales homines, et ignaros honestorum officiorum, sed ad sapientes bellatores venturum esse. Naturam enim nec fulva vulpes, nec terribiles leones mutant.

Ode XII.

Ergoteli Himeraeo δολιχοδρόμῳ.

(*Str.*) Supplico tibi Fortuna pro Himera potenti. Tu enim Fortuna naves in mari, et turbida bella in terra, et conciones regis. Spes humanae volutant multa sursum et deorsum, secantes levia mendacia. (*Ant.*) Nulli hominum Deus certum signum de futuris eventibus tradidit, ac de futuris consilia caeca sunt, ac multa hominibus eveniunt tristia praeter opinionem. Alii cum inciderunt in procellas, brevi tempore permutarunt malum bono.

(*Ep.*) Fili Philanoris, tui pedes emarcuissent sine gloria in patria, sicut gallus gallinaceus domi pugnans, nisi te seditio privasset tua patria Cretensi. Nunc vero coronatus in Olympiis, et alibi, gestas calida lavacra Nympharum in propriis agris.

Ode XIII.

Xenophonti Corinthio σταδιεῖ, δρόμῳ, καὶ πεντάθλῳ[30]).

(*Str.* 1.) Laudans domum victricem, benignam civibus et hospitibus, Corinthum celebro, vestibulum Neptuni, ornatum viris. In ea lex

---

27) loco] Ed. 1558. mendo typogr.: loto.

28) XI.] sic Editt. antiquior. et Heyne; Editt. Boeckh. et Bergk. X.

29) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563. = Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566.: *Τῷ αὐτῷ Ἀγησιδάμῳ τόκος*, atque H. Steph. et Heynii interpret.: *Eidem Agesidamo. Foenus.*; Boeckh. autem et Bergk. habent inscriptionem hanc: *Ἀγησιδάμῳ Λόκρῳ Ἐπιζεφυρίῳ παιδὶ πύκτῃ. Agesidamo Locro Epizephyrio puero pugili.*

30) *σταδιεῖ, δρόμῳ, καὶ πεντάθλῳ.*] sic Editt. 1558., 1563. atque Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566., qui hanc inscriptionem sic interpretatur: *cursori stadii, victoriam adepto cursu et quinquertio*; Editt. Boeckh. et Bergk.: *σταδιοδρόμῳ καὶ πεντάθλῳ*, et interprett. Heynii et Boeckhii: *cursu et quinquertio.*

habitat, et sorores eius: Iustitia, fundamentum urbium, et concors Pax, filiae Themidis, quae sunt custodes opum: (*Ant.* 1.) quae iniuriam volunt arcere, matrem fastus.

Habeo honesta, quae dicam, et recta. Audacia incitat me, ut ea dicam. Impossibile est occultare ingenitam naturam. Vobis, Corinthii, saepe victoriam dederunt Horae, cum victores fuerunt cum summa virtute in sacris certaminibus, (*Ep.* 1.) et magnam antiquam sapientiam. Gloria autem operis est penes inventorem. Unde apparuerunt Bacchi Charites, cum Dithyrambo victore? Et quis invenit frenos equorum? Quis geminam aquilam templis primus imposuit? Apud vos et Musa floret, et Mars perniciosis proeliis iuvenum. (*Str.* 2.) Summe Iupiter, sis fautor omni tempore meis carminibus, et regens hunc populum sine calamitate, guberna fortunam Xenophontis, et recipe hanc laudationem coronarum, quam ducit ex campis Pisae, postquam vicit in stadio et pentathlo, quae duo nulli mortalium antea eodem die contigerunt. (*Ant.* 2.) Duae et aliae apii coronae eum in Isthmiis coronaverunt. Nec Nemea ei restiterunt. Vicit cursu et pater Thessalus ad Alpheum. Et in Pythiis, uno die et eodem mense, stadio et duplici stadio. Et in asperis Athenis tres victorias adeptus est. (*Ep.* 2.) Septies vicit in Palladiis. Comitantur eum et maiora praeconia, cum avo, in Neptuni certaminibus. Saepe et in Delphis, et in Nemeis vicistis. Multitudo facit mihi certamen, propterea quod multas vestras victorias non possum recitare, ut non possim numerare lapillos maris. (*Str.* 3.) Qualibet autem in re modus est, quem nosse optimum est.

Ego autem proprie electus, ut publice dicam maiorum virtutes[31]) et bella, non dicam falsa de Corintho. Sisyphus excelluit sapientia, et Medea contra patris voluntatem nupsit, et servavit navim Argo et socios. (*Ant.* 3.) Praeterea ad Troiam in utraque parte Corinthiorum posteri fuerunt, alii cum genere Atrei repetentes Helenam, alii arcentes. Nam Glaucum, qui venerat ex Lycia, timebant Graeci. Gloriabatur autem Glaucus, patrem suum Bellerophontem fuisse regem Corinthium, (*Ep.* 3.) qui Pegasum ex Gorgone natum volens frenare, multa passus est, donec ei Pallas aureum frenum attulit. Ibi ex somnio statim res ipsa praesto fuit. Compellavit autem eum Pallas: Dormis Bellerophontes? accipe hoc equestre ornamentum, et monstres Neptuno domitori equorum, mactans taurum. (*Str.* 4.) Haec dicere ei dormienti noctu Pallas visa est. Exiliens igitur recto pede, et accipiens prope positum signum, vatem adiit indigenam Polyidum, et totum eventum ei narravit: quod ad aram Deae dormiverit ipso iubente, et quod Pallas ei dederit (*Ant.* 4.) aureum frenum. Hic iussit, ut celerrime somnio obtemperet; et cum mactaverit taurum Neptuno, ponat aram equestri Palladi. Efficit autem potentia divina rem facilem, de qua nemo iurare posset, et quam nemo speraret.

Accepit igitur Bellerophontes frenum, et iunxit maxillis (*Ep.* 4.) equi. Conscenso equo, statim in armis lusit, cum hoc sternens exercitum muliebrem Amazonum ex sinu aethereo frigidae solitudinis. Interfecit et Chimaeram efflantem ignem, et Solymos. De morte vero eius non dicam. Pegasum Iupiter in coelum transtulit.

(*Str.* 5.) Me vero iaculantem turbinem telorum, decet non multa mittere extra scopum. Veni enim, ut celebrem Corinthios ab Oligoeto ortos. Ostendam igitur brevi carmine victorias in Isthmo et Nemea partas familiae Oligoeti, et addo iuramentum. Sexagies enim in utroque loco celebravit Deos vox praeconis. (*Ant.* 5.) Olympicae autem victoriae prius dictae sunt, futuras postea recitabo. Nunc spero, Deo quidem iuvante, si genuina fortuna procedet, Iovi Marti hoc tribuemus. Victorias vero in iugo Parnassi, Argis et Thebis, et in Arcadia testabitur ara. (*Ep.* 5.) Et per Achaiam, Aeginam, Atticam, et Siciliam, denique per totam Graeciam vadens, invenies maiora facta Corinthiorum, quam ut singula considerare possis. Sed Iupiter fac, ut vincam levi pede, et da mihi honorem et dulcem fortunam.

Ode XIV.

Asopicho Orchomenio, filio Cleodami, σταδιεῖ[32]).

(*Str.* 1.) Charites apud Cephisias aquas et Orchomenum, et veterum Minyarum episcopi,

31) virtutes] sic (= Pind. ἀρεταῖσιν) Ed. 1558.; Ed. 1563. virtutem.

32) filio Cleodami, σταδιεῖ.] sic Editt. 1558., 1563. = Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. παιδὶ

audite me precantem. Per vos enim cuncta fiunt suavia, sive quis sit sapiens, sive pulcher, sive splendidus. Neque Dii sine Charitibus regunt choros aut convivia; sed omnium operum in coelo dispensatrices sunt, collocantes sedem apud Apollinem semper colunt patrem. (*Str.* 2.) O veneranda Aglaia, et dulciloqua Euphrosyne, et amabilis Thalia, filiae Iovis, exaudite nos, videntes hunc chorum feliciter procedentem. Accessi enim, ut Lydio cantu laudem Asopichum, eo quod Minyea urbs propter vos Gratias est victrix in Olympiis. I nunc, Fama, ad atram Persephones domum, et ubi videris patrem Cleodamum, dicas ei, quod filius ad Pisam coronatus sit.

Κλεοδάμου, σταδιεῖ; Editt. Boeckh., Bergk. *παιδὶ σταδιεῖ*, Heynii interpr.: *Inter pueros cursu victori*, Boeckhii interpr.: *Stadio inter pueros*.

LXXXII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO PYTHIORUM PINDARI.

Haec interpretatio latina Melanthonis in duabus illis Editt. 1558., 1563. supra p. 187 sq. descriptis invenitur, quibuscum Pindari Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Stephani 1566. (vide supra p. 198. notam 5.), Boeckhii et Bergkii, atque interpretationes H. Stephani, Heynii et Boeckhii quibusdam in locis contuli. Stropharum, Antistropharum et Epodon numeros, quibus illae duae Editt. interpretationis Mel. carent, ex interpretatione Boeckhii adscripsi.

PINDARI PYTHIA
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Ode I.

Hieroni Aetnaeo Syracusio [1]) ἅρματι.

(*Str.* 1.) O aurea cithara, Apollinis et Musarum consona possessio, quam audit rhythmus in chorea, qui est principium laetitiae. Cantores autem obtemperant tuis signis, quando percussa facis [2]) initia prooemiorum, et extinguis fulmina, et obdormit aquila, rex avium, demissis alis, (*Ant.* 1.) cum curvo capite nebulam [3]) et dulce claustrum palpebrarum offundit, et dormitans attollit tergum, tuo ictu delinita. Et Mars relinquens proelia, demulcet cor tua oblectatione, et mentes Deorum demulcent carmina, cum sapientia Apollinis et Musarum. (*Ep.* 1.) Quae autem non amat Iupiter in terra et in mari, Musarum cantum audire recusant: ut Typhoeus, Deorum hostis, qui in Tartaro iacet, quem Ciliciae [4]) specus nutrivit. Nunc autem villosum eius pectus premitur a littoribus Cumae et Sicilia, et cohibet eum nivosa Aetna, coelestis columna, toto anno gelidam nivem fovens: (*Str.* 2.) cuius ex fundo eructant purissimae scaturigines inaccessi ignis, cuius flumina interdiu fundunt fuscum turbinem fumi. At noctu rutila flamma volutata, fertur lata in profundam planitiem maris, cum strepitu. Illa bellua vero eiicit grandes nubium torrentes, qui sunt miraculo accedentibus, qui vident et audiunt, (*Ant.* 2.) quomodo in Aetna alligatus sit Typhon, et lectus fodiat eius totum dorsum.

Utinam Iupiter tibi placeat Hieron, qui hunc montem fertilis terrae frontem [5]) incolis, cuius montis vicinam urbem eodem nomine Aetnam fundator Hieron ornavit. Nam in Pythiis praeco Hieronis victoriam renuntiavit. (*Ep.* 2.) Habere secundos ventos, gratum est navigantibus. Gratum est enim habere felicem reditum; et hic meus hymnus his successibus addit gloriam ad posteros et in conviviis celebrandam.

O Phoebe, velis illi regioni praestantes viros dare. (*Str.* 3.) Nam ex Deo est omnis effectio humanarum virtutum: et sapientes, et for-

---

1) *Syracusio*] sic Editt. 1558., 1563. = Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. *Συρακοσίῳ* et Heynii interpret.; in Editt. Boeckh. et Bergk. deest.

2) facis] sic (= Pind. *τεύχῃς*) Ed. 1558. et interprett. H. Steph., Heynii, Boeckhii; Ed. 1563. facit.

3) nebulam] Ed. 1558. errore typogr.: nebulum.

4) Ciliciae] sic Ed. 1558.; H. Steph., Heyne, Boeckh. Cilicium = Pind. *Κιλίκιον*; Ed. 1563. male: Siciliae.

5) frontem] sic (= Pind. *μέτωπον*) Ed. 1558., et interprett. H. Steph., Heynii, Boeckhii; Ed. 1563. fontem.

tes et eloquentes. Ego autem laudaturus Hieronem, spero me sagittam non habentem aeneas genas iaculaturum esse, et iacientem procul superaturum esse adversarios.

Utinam omni tempore felix sit Hieron, et sine tristitia; (*Ant.* 3.) et cogitet, quales pugnas sustinuerit forti animo, quando auxilio Dei invenerunt honorem, qualem nemo alius Graecorum decerpsit, et magnas divitias. Nunc Philoctetae more bello interfuit, et hostis coactus, quamquam magnanimus, tamen ei blanditus est. Fama est, heroas venisse in Lemnum ad Philoctetem ulcere aegrotantem, (*Ep.* 3.) Poeantis filium, ut eum abducerent, qui Troiam cepit, et finivit labores Danais, quamquam aegro corpore procedens, quia fatale erat, Herculis telis Troiam capi. Sic Deus adest Hieroni confirmator, qui et deinceps det ei optata.

O Musa, velis et apud Dinomenen, filium Hieronis, sonare praemium quadrigarum, laetitiam non alienam a patris victoria. Postea ipsi Dinomeni canemus hymnum, (*Str.* 4.) cui urbem illam Hieron condidit cum libertate, iuxta leges normae Spartanae. Pamphyli autem et Heraclidarum posteri, habitantes ad Taygetum, semper volunt manere in legibus Aegimii Doriensis, et tenuerunt Amyclas, cum venissent a Pindo celebres vicini Tyndaridarum, qui belli gloria floruerunt.

(*Ant.* 4.) O Iupiter, semper facito, ut talem fortunam regum et civium ad fluvium Amenam celebret verus sermo hominum, et tecum rex filio praecipiat, et regat populum, et curet concordem tranquillitatem. Obsecro Iupiter annuito placide, ut domi Phoenices et Tyrrhenorum multitudo sentiat navalem seditionem, videns[6]) pugnam ad Cumas, (*Ep.* 4.) ubi domiti sunt ab Hierone, qui velocibus navibus in mare praecipitavit omnes eorum milites, Graeciam gravi servitute liberans. Amplector Atheniensium gratiam, quibus merces debetur pro victoria ad Salaminen: et in Sparta dicam pugnam ad Cithaeronem, ubi Medi iaculatores defecerunt. Dinomenis autem filiis hymnum perficiam, propter pugnam in ripa Himerae, quem pro devictis hostibus receperunt.

(*Str.* 5.) Si opportune dicas, res gestas multorum breviter complicans, minus sequitur livor. Nam longa saturitas obtundit celeres civium cogitationes, et cives non libenter audiunt alienas laudes. Sed tamen melior est miseratione invidia. Tu vero ne remittas honesta, iusto clavo gubernes exercitum, et linguam acue in incude non fallente. (*Ant.* 5.) Nam si quid turpe a te efflabitur, passim circumferetur. Multorum es princeps: multi testes sunt de honestis et inhonestis, ac si manseris in moribus honestis, et iucunda fama delectaris, sis liberalis. Utque gubernator navis expandit vela, ne dolose pandas vela blandis lucris, quia fama post mortem (*Ep.* 5.) ostendit mores mortuorum, per oratores et poetas. Non extinguitur Croesi benefica virtus; sed saevum animum Phalaridis, qui in aeneo tauro ussit homines, ubique comitatur infamia; nec citharae domesticae recipiunt eum ad gratam conversationem sodalium. Esse fortunatum, primum praemium est; bona fama, secundum; cui autem utrumque contingit, is coronam summam accepit.

Ode II.

Eidem Hieroni ἅρματι.

(*Str.* 1.) O urbs Syracusana, templum Martis, nutrix bellatorum, tibi hoc carmen Thebis adfero: in quo sum nuntius quadrigae, quae victor ornavit Ortygiam sedem Dianae, cuius auxilio domuit equos. (*Ant.* 1.) Nam virgo utraque manu et Mercurius radiantem ornatum imponunt, quando iungit equos et currum, et simul invocat Neptunum. Alii poetae aliis regibus scripserunt carmina, propter eorum virtutem. Circa Cinyram Cypriorum sonant praeconia, quem valde dilexit Apollo, (*Ep.* 1.) sacerdotem Veneris familiarem. Ducit autem gratia mutua, sequens pro benefactis: teque Locrensis civitas Hiero celebrat, videns securitatem, tua virtute hostibus repressis.

Narrant autem, Deorum iussu Ixionem mortalibus in rota volutatum haec concionari: Benefactori grata vice compensationem faciendam esse ab iis, qui beneficia acceperunt. (*Str.* 2.) Hoc didicit, cum apud Deos vivens, non sustinuit diuturnam felicitatem, quando furente animo amavit Iunonem, Iovis coniugem. Sed eum petulantia impulit ad superbum scelus. Cito autem digna passus, insignem poenam habuit. Duo enim tristia eius delicta fuerunt: alterum, quod hic heros primus cognatum sanguinem dolo

6) videns] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. intuens.

miscuit; alterum, (*Ant.* 2.) quod in arcano thalamo Iovis coniugem tentavit.

Decet autem semper considerare cuiusque rei metas. Thori autem inhonesti impulerunt in calamitatem et hunc accedentem, postquam cum nube concubuit ignarus, sequutus dulcem illusionem. Forma enim similis erat Iunoni, quam nubem dolose Iovis manus ei fecerant pulchram perniciem. Deinde fecit rotam quatuor radiorum exitiosam. (*Ep.* 2.) Ixion igitur lapsus in vincula, dixit istam notam admonitionem de referenda gratia. Peperit igitur sola nubes temerariam sobolem sine Gratiis, neque inter homines neque inter Deos honoratam, quam nutrix nominavit Centaurum, qui iunctus est equabus Thessalicis in Pelii valle; inde natus exercitus mirandus, utrique parenti similis, inferius matri, superius patri.

(*Str.* 3.) Deus omnia pro sua voluntate perficit. Deus et celerem aquilam assequitur, et praecurrit delphino, et deiicit superbos homines; aliis autem dat gloriam. Me vero fugere decet maledicentiae lugubrem morsum. Vidi enim procul in miseriis conviciatorem Archilochum, pingue factum maledicis odiis. Ditescere autem cum felici sapientia, optimum est.

(*Ant.* 3.) Tu vero nunc habes divitias libera mente partas, rex, qui es dominus multorum vicorum et exercituum. Si quis autem dicit, alium opibus et honore in Graecia fuisse praestantiorem, laxa et vana mente luctatur.

Iam vero ascendam in splendidam viam, laudaturus Hieronem. Iuventuti congruit audacia in bellis. Unde dico te magnam gloriam invenisse, (*Ep.* 3.) proeliantem inter equites et pedites. Nunc consilia senilia praebent mihi sermonem ad te laudandum sine periculo. Salve: hoc carmen trans mare mittitur, sicut merces Phoenicum. Sed si vis Castoreum hymnum fidibus Aeolicis, considera gratiam citharae septem chordarum. Maneas talis, qualem te esse scis. Relinque illud pueris, pulchra est simia. (*Str.* 4.) Rhadamanthus fuit beatus, quia mens fuit inculpata: nec delectata est deceptionibus, quales fiunt dolis calumniatorum. Calumniae sunt utrisque malum insuperabile. Ipsi sunt vulpibus similes. Quid autem lucrantur? Ut enim tigillum super mare non mergitur, cum rete vehitur in profundo: sic ego non mergor.

(*Ant.* 4.) Impossibile est doloso civi, edere firmum sermonem: attamen assentans omnibus, profunde implicat sermones, cuius temeritatis nolo esse particeps. Amicum amo. Sed adversus hostem sicut hostis lupi instar curram, alias aliter ambulans obliquis viis. Rectiloquus vero in omnibus legem antefert apud tyrannos, et quando inquietus exercitus, et quando sapientes urbem tenent. Sed contra Deum non contendendum est, (*Ep.* 4.) qui aliquando hos exaltat, aliquando aliis dat gloriam. Neque hoc tamen sanat invidos. Qui autem trahitur propter alterius excellentem mensuram, is inflixit suo cordi vulnus, priusquam potitur is, qui machinatur. Cuique autem iugum collo suo impositum ferre prodest. Nam adversus stimulum calcitrare, est lubrica via. Utinam autem possim familiaris esse bonis, et canendo vitam transigere. *Vel,* Utinam possim et familiaris esse, et placere bonis.

Ode III.

Eidem Hieroni κέλητι.

(*Str.* 1.) Optarim Chironem, si proficeret commune votum linguae nostrae, reviviscere mortuum, filium Saturni, et regnare in valle Pelii centaurum, sed hominibus amicum, qualis erat, cum filium educavit medicum Aesculapium, (*Ant.* 1.) quem Phlegyae filia Coronis priusquam ederet Lucinae auxilio, a Dianae telis interfecta est in thalamo. Ira enim Deorum non est inanis. Haec autem contemnens Apollinem, errore mentis aliis nuptiis assensit, cum clam patre concepisset antea ex Phoebo. (*Ep.* 1.) Et cum gestaret purum Dei semen, non expectavit mensam nuptialem, neque hymenaeos, sicut coaetaneae virgines vespertinis cantionibus ludunt; sed amavit peregrinos, sicut multi faciunt. Est autem genus hominum vanissimum, quod contemnens domestica, circumspicit longinqua, ventosa appetens inani spe.

(*Str.* 2.) Habuit hanc magnam culpam voluntas Coronidis. Accessit enim ad lectum hospitis Arcadici. Nec speculatorem latuit haec res; sed in Pythone, ubi fiunt sacrificia, sensit hoc, auscultans rectissimo familiari suo, mente omnia sciente, quae non fallitur mendaciis: nec Deus nec homo decipit eum factis aut consiliis.

(*Ant.* 2.) Et tunc cognoscens Phoebus Ischyos Arcadici stuprum et dolum, misit sororem Dia-

nam, properantem animo non turbido ad Laceraeam urbem Thessaliae, quia in ripa lacus Bebii habitabat Coronis. Ibi malus genius, qui eam ad scelus impulerat, perdidit eam: et multi vicini simul poenas dederunt, et simul perierunt, ut in monte ignis ex uno semine exiliens, magnam sylvam vastat.

(*Ep.* 2.) Sed postquam cognati in rogo ligneo collocarunt Coroniden, et vehemens flamma fuit circumdata, tunc dixit Phoebus: Non feret animus meus, perdere meum gnatum, cum matris interitu. Sic fatus, cito gradu filium ex morte eripuit. Accensa autem pyra, dividebatur flamma. Tradidit autem eum Magnesio centauro, ut doceret eum curare varios morbos.

(*Str.* 3.) Alios igitur, qui venerunt, habentes ulcera sponte nata, aut ferro vulnerata, aut lapide, aut quibus aestivus ignis populabatur corpus, aut frigus, hos liberavit. Aliis vero molles incantationes adhibuit, aut potiones, aut membris circumdans pharmaca, aut secando curavit.

(*Ant.* 3.) Sed lucro etiam sapientia capitur. Pervertit et hunc aurum in manibus apparens, ut Hippolytum ex morte reduceret, iam captum. Interfecit igitur utrumque Iupiter fulmine. Oportet autem moderata a Diis petere, cogitantem, quale ante pedes sit factum.

(*Ep.* 3.) Mea anima, ne vitam hanc immortalem esse existimes: et quaere negotia possibilia. Si Chiron adhuc viveret, et grata essent ei nostra carmina, persuaderem ei, ut et nunc praeberet se medicum bonis vehementium morborum, aut praeberet aliquem Apollinis et Iovis gnatum. Ac in Ionio mari venirem ad fontem Arethusam, ad Aetnaeum hospitem, (*Str.* 4.) regem Syracusanum, qui est mitis civibus, et non invidet bonis, et est mirandus pater hospitum.

Ad quem si venissem, geminam adferens gratiam, auream sanitatem, et hymnum de victoria equestri ad Syrrham: venirem ei ceu lumen splendidius stella, traiecto mari.

(*Ant.* 4.) Sed precari pro te volo matrem Rheam, quam in meo vestibulo colunt puellae totis noctibus. Sin autem sermones rectos scis intelligere, cogites vetera exempla. Iuxta unum bonum duo incommoda Dii tribuunt hominibus. Sed haec insipientes non norunt ferre decenter; at boni pulchra foras vertunt.

(*Ep.* 4.) Te quidem comitatur felix fatum. Es enim rex praecipuus. Sed vita sine incommodis neque apud Aeacidem Pelea fuit, neque apud Cadmum, qui dicuntur fuisse beatissimi, et Musas audiverunt canentes[6a]) in monte Pelio, et in Thebis: cum alteri data est coniunx Harmonia, alteri Thetis.

(*Str.* 5.) Et Dii convivati sunt apud utrumque, et viderunt Deos in aureis sedibus, et ab eis dona nuptialia acceperunt. A Iove autem mutata fortuna, statuerunt animum rectum. Postea tres filiae Cadmum privarunt parte laetitiae, tristissimis casibus. Iupiter enim in thorum Semeles venit. (*Ant.* 5.) Filius autem Pelei, quem unicum peperit in Phthia Thetis, interfectus arcu, luctum excitavit inter Danaos.

Si quis autem in mente habet veritatis viam, hunc frui decet bonis a Deo datis. Alias alii sunt ventorum flatus. Prosperitas vero humana non diu perseverat: quae cum venit, grandis ero, (*Ep.* 5.) et parvus inter parvos, et magnus inter magnos. Semper ad praesentem fortunam accommodabo animum, ne quid supra vires moliar. Si autem Deus mihi divitias dabit, spero me gloriam habiturum esse ad posteros.

Nestorem et Sarpedonem hominum sermo retinet ex carminibus. Illius virtutis memoria diu durat, quae carmine celebrata est; hoc autem pauci obtinent.

Ode IV.

Arcesilao Cyrenaeo ἅρματι.

(*Str.* 1.) Hodie oportet te apud amicum regem Cyrenes stare, o Musa, ut cum Arcesila celebrante convivium, augeas Phoebo debitum et gratum hymnum: ubi sacerdos Pythia apud aureas aquilas, non absente Apolline respondit, Battum fore fundatorem urbis in Libya, et relicta insula Thera conditurum esse urbem in candida mamma, (*Ant.* 1.) et Medeae vaticinium perfecturum esse septima decima generatione ex Thera, quod Medea, filia Aeetae, regina Colchorum edidit. Dixit autem sic ad Iasonis socios: Audite Heroes, dico ex hac gleba filiam Epaphi plantaturam esse urbium radicem, in fundamentis Iovis Hammonis; (*Ep.* 1.) ac pro delphinis et branchiis Therei equos accipient, et habenas pro remis, et agitabunt currus.

6a) canentes] sic Ed. 1558., H. Steph., Heyne, Boeckh.; Ed. 1563. canentem.

Haec gleba efficiet Theram fore metropolin magnarum urbium, quam in lacu Tritonide Euphemus accepit, descendens e prora a Deo viso viri specie, dante glebam vice xenii. Id signum faustum esse Iupiter tonitru significavit, (*Str.* 2.) quando occurrit Triton suspendentibus anchoram, quae erat frenum navis Argo.

Prius duodecim dies ex Oceano gestavimus navim humeris, per loca deserta trahentes meo consilio. Tunc Triton accessit specie honesti viri, et amicis sermonibus nos allocutus est, sicut hospitibus venientibus homines benefici offerunt officia.

(*Ant.* 2.) Sed nos manere ibi noluimus. Dicebat autem Triton, se Neptuni filium esse Eurypylum, qui cum intelligeret nos festinare, glebam attollens dextra, xenium obvium quaesivit dare. Nec vero recusavit heros Euphemus, ex prora in littus saliens, et manu manum firmans accepit.

Intelligo autem eam in mare mersam ex navi, et dissolutam, (*Ep.* 2.) esse secutam pelagus Hesperium. Ego vero praeceperam famulis, ut eam custodirent. Sed hi obliti sunt: et nunc hic immortale semen Libyae effusum est in insula, ante tempus.

Si enim domi iecisset glebam in mare iuxta Taenarum, ubi est Tartari ostium, Euphemus filius Neptuni, quem Europa Titii filia peperit ad Cephisum, (*Str.* 3.) quartae sobolis sanguis, illam terram cum Danais accepisset. Tunc enim ex Lacedaemone Argis et Mycenis egressi essent. Nunc vero inveniet selectos posteros Lemniarum mulierum in lectis, qui divinitus venientes in Theram, gignent Battum, qui erit dominus Cyrenes: quem Phoebus monebit in oraculis, cum veniet in Pythium templum, (*Ant.* 3.) ut postea multos in navibus ducat ad Nili templum. Hic fuit sermo Medeae.

Stupefacti autem sunt Heroes, audientes sermonem Medeae. O felix Batte, te oraculum sacrificulae Delphicae fatidico sermone excitavit: quae te dicens ter laetari, pronuntiavit te fatalem regem fore Libyae, (*Ep.* 3.) cum interrogares, quomodo posses impeditae linguae opitulari.

Et nunc sub verno tempore, post tot filios, floret octavus Arcesilas, cui Apollo Pythius tradidit victoriam equestrem iudicio Amphictyonum: quem et ego tradam Musis, simul cum carmine de vellere aureo. Cum enim ad id navigassent Minyae [7]), divinitus acceperunt glebam, unde orti sunt Cyrenaei.

(*Str.* 4.) Quod fuit initium illius navigationis? Quod periculum adamantinis clavis alligavit eum?

Fatale erat, interfici Peliam Aeoliden seu manu, seu consilio immutabili. Huic horrendum oraculum datum erat in medio umbilico terrae; altero tantum pede calceatum cavendum esse, quando ab altis montibus veniret ad occiduam terram inclytae Iolci [8]) hospes.

(*Ant.* 4.) Venit igitur tandem terribilis ille geminis hastis, et duplici vestitu; tunica usitata Magnesiis, membris eius conveniens erat: altera exterior, pellis erat pardalidos, quae capiebat horridos imbres; nec tonsi erant capilli, sed totum dorsum quassabant. Progressus autem stetit intrepidum animum experiens in foro, ubi magna multitudo erat, (*Ep.* 4.) quem cum nossent, et tamen revererentur, inquit aliquis: Num est hic Apollo? Non est enim Mars Veneris maritus, qui curru aeneo vehitur: et in Naxo aiunt esse mortuos Otum et Ephialten, et Dianae celeri sagitta interfectus est Tityus ex invicta pharetra, ut discat aliquis appetere voluptates possibiles. (*Str.* 5.) Sic illi inter sese loquebantur.

Intervenit autem Pelias in curru, quem mulae vehebant; et mox obstupuit, videns tantum dextro pede calceatum esse. Occultans autem pavorem, affatur hospitem: Quam dicis, hospes, tuam patriam esse, et quae te mater peperit? Non polluens te mendaciis, dic genus.

(*Ant.* 5.) Huic respondit Iason confidenti animo: Aio me doctrinam Chironis afferre. Redeo ex antro a Charicle et Philyra, ubi me castae Centauri filiae educarunt annos viginti: nec factum ibi, nec turpe dictum locutus sum.

Veni regnum mei patris recepturus, quod non iuste possidetur, quod Iupiter dedit duci Aeolo et filiis eius: (*Ep.* 5.) audio enim Peliam iniustum, confidentem stulto animo, praedari violenter nostrorum parentum regnum: qui me, cum primam vidi lucem, metuentes iniuriam violenti principis, posuerunt in domo tanquam funus cum muliebri luctu. Clam vero miserunt in

---

7) Minyae] sic H. Steph., Heyne, Boeckh. (= Pind. *Μινυᾶν*); Ed. 1558. Minyiae, Ed. 1563. Myniae.

8) Iolci] sic scripsi (= Pind. *Ἰωλκοῦ*); Editt. 1558., 1563. mendo typogr.: Iolei.

purpureis fasciis nocte facientes iter, et Chironi me dederunt alendum. (*Str.* 6.) Cognoscite autem summam horum sermonum, inclyti cives, parentum meorum domos mihi plane indicate. Aesonis enim filius indigena, non ad alienam terram veni. Centaurus me divinus Iasonem nominavit.

Sic ait. Hunc procedentem patris oculi agnoverunt, ex cuius senilibus palpebris lacrymae stillaverunt, quia in animo laetabatur, videns pulcherrimam sobolem.

(*Ant.* 6.) Venerunt et ambo fratres Aesonis, audita fama eius: Pheres relicto fonte Hypereo, et Amythaon ex Messana. Venit et Admetus Pheretis filius, et Melampus Amythaonis filius, gratulantes fratri patrueli: quos in convivio suavibus sermonibus excepit Iason, hospitalia officia praestans, et in hilaritatem ducens, quinque diebus decerpens florem laetitiae. (*Ep.* 6.) Verum sexta die proposuit serium sermonem cognatis, qui eum sequebantur; qui cum surrexissent a sedibus, ingressi domum Peliae, ibi steterunt.

Hos audiens Pelias, processit obviam. Placidum autem sermonem stillans, iecit fundamentum sapientum sermonum. (*Str.* 7.) Sunt hominum mentes velociores ad laudandum dolosum lucrum prae iustitia, repentium tamen ad asperum post festum[9]). Sed et me et te oportet moderantes iram, reliquum vitae feliciter texere. Haec tibi scienti dico. Una bucula mater fuit Cretheo et Salmoneo. Nos vero ab illis tertia generatione orti, solis lumen videmus. Abesset autem felicitas, si quod odium esset inter cognatos sine pudore. (*Ant.* 7.) Non decet nos gladiis vulnerantibus, neque sagittis patrimonia dividere. Relinquo tibi pecudes, et boum armenta, et agros, quos abstulisti meis parentibus, et frueris eis, divitias cumulans. Nec me cruciant haec, tuam domum augentia. Sed sceptrum et thronus, cui insidens olim Aeson, Crethei filius, dabat iura equestri[10]) populo; haec solvito nobis sine communi dolore, (*Ep.* 7.) ne quod malum inde excites.

Sic dixit Iason. Placide autem respondit Pelias: Ero talis, sed iam me senectus circumdat, tibi vero flos pubertatis turget. Potes autem auferre iram terrestrium daemonum. Iubet enim Phrixus animam suam reduci per vos, proficiscentes ad Aeetae thalamos: et pellem arietis advehere, qui ex Ponto servatus est (*Str.* 8.) a novercae impiis telis. Haec mihi species somnii imperat. Interrogavi autem oraculum Delphicum, an illa res indagari possit. At Apollo celerrime te iubet navim fabricare ad profectionem. Hoc certamen voluntarius suscipio. Ac iuro, me concessurum esse, ut solus regnum teneas. Iupiter, autor generis nostri, testis sit, hoc iuramentum ratum fore.

Hanc pactionem mutuo concessu approbantes discesserunt. Mox Iason (*Ant.* 8.) misit praecones, ut ubique denuntiarent institutam navigationem. Cito igitur tres filii Iovis venerunt, Hercules, Castor et Pollux: et filii Neptuni, quos pudebat non venire propter robur, Periclymenus ex Pylo, Euphemus ex Taenaro, Orpheus, Apollinis filius.

(*Ep.* 8.) Misit et Mercurius, tenens aureum caduceum, geminos filios ad magnum laborem: qui deliciantes pubertate, et habitantes circa Pancaeum, cito venerunt. Pater Boreas cito armavit Zeten et Calain, horrentes purpureis alis in tergo.

Iuno vero in omnibus heroibus accendit desiderium (*Str.* 9.) navis, ne quis apud matrem relictus maneret, coquens aetatem sine periculo; sed vellet invenire virtutis pharmacum post mortem cum sociis.

Postquam igitur in Iolcum pervenit nautarum flos, Iason omnes laudans recensuit. Vates vero Mopsus exercitum collocavit in navim, auguriis et sortibus. Ancoris autem suspensis ad rostrum, (*Ant.* 9.) dux accepta phiala in puppi invocabat Iovem et ventos, et noctes, et ponti vias, et laetos dies et felicem reditum. Ex nubibus vero sonuit faustum tonitru, venerunt et radii fulguris. Heroes vero moti signis divinis, respirationem sistere coeperant. (*Ep.* 9.) Vates autem[11]) praeconium fecit, ut remos agitarent, dulces spes indicans. Remigatio igitur procedebat indefessa. Cumque Austri flatu pervenerunt ad ostium ponti Euxini: ibi Neptuno fundarunt

---

9) post festum] sic Ed. 1558. (Pind. ἐπίβδαν); Ed. 1563. post fatum.

10) iura equestri populo] sic Ed. 1558. [H. Steph., Boeckh.: equestribus populis iura = Pind. ἱππόταις λαοῖς δίκας]; Ed. 1563. male: iura equestria populo.

11) autem] sic scripsi (= Pind. δ'); Editt. 1558., 1563. mendo typogr.: artem.

templum. Aderat autem purpureus grex Thraciorum boum, et erat ibi divinitus arae latitudo. Accessuri enim periculum, precabantur dominum navium, (*Str.* 10.) ut effugerent motum insuperabilem. Erant autem duae vivae petrae, quae celerius movebantur quam venti.

Sed iam navigatio Argonautarum fecit illos scopulos consistere immobiles. Deinde ad Phasin accesserunt, ubi terribiles Colchos vi aggressi sunt apud Aeetam. Venus autem attulit motacillam de coelo, inclusam rotae habenti quatuor radios, (*Ant.* 10.) fascinatricem, et docuit Iasonem incantationes, ut Medeae eximeret reverentiam parentum, et expetita Graecia eam incensam persuasione verteret. Ac Medea celeriter fines paternorum certaminum ostendit, et oleo miscens remedia dolorum dedit, ut ungeretur Iason: et pacti sunt inter sese nuptias.

(*Ep.* 10.) Cum igitur Aeetes adamantinum aratrum in medium collocavit, et tauros, qui flammas a flavis naribus spirabant, et aeneis ungulis terram arabant, solus eis iugum imposuit, et rectos sulcos faciens, eos egit, et secuit dorsum terrae sulcatae per iugerum; et dixit Aeetes: Hoc si fecerit Iason, auferat (*Str.* 11.) pellem habentem aureas fimbrias.

Haec cum dixisset rex Colchicus, abiecit croceam vestem Iason, et Deo confidens, aggressus est opus; nec ignis eum turbabat, quia norat praecepta Medeae. Trahens autem aratrum, ligavit colla boum coacta loris, et infigens validum stimulum magnis lateribus, aravit mandatum spatium. Gemuit rex Colchicus tacito dolore, virtutem viri admirans. (*Ant.* 11.) Socii autem viro forti manus porrigebant, et coronis herbaceis coronabant eum, et blandis sermonibus eum recreabant.

Dixit autem rex Colchicus, ubi splendidum vellus suspenderat Phrixus; existimabat enim, eum non posse auferre, quia iacebat in saltu, ubi vehementissimis genis draconis custodiebatur, qui longitudine et latitudine navim quinquaginta remorum occuparet, quae ferro fabricata esset.

(*Ep.* 11.) Longum mihi est redire per viam curruum, ac tempus urget. Novi equidem et brevem viam, et aliis sum doctor huius sapientiae. Interfecit Iason arte draconem, o Arcesilas, et clam abduxit Medeam, quae Peliam postea interfecit. Et in Oceano et in rubro mari fuerunt, et in gente Lemniarum mulierum, quae viros interfecerunt: ubi et vestibus donati sunt post certamina, (*Str.* 12.) et concubuerunt cum Lemniis mulieribus. Tunc vero in alienis terris inchoatum est felix genus vestrum. Nam Euphemus ibi ex Malacha genuit filium, a quo deinceps orti sunt alii, et mixti Lacedaemoniis: postea migrarunt in insulam Theram, cui fuit nomen Callista. Inde vobis dedit Apollo campum Libyae, et Deo iuvante augere et regere Cyrenen[12]), (*Ant.* 12.) postquam invenistis eventum vaticinii.

Audi nunc Oedipi sapientiam. Si quis acuta securi magnae quercus ramos amputet, et pulchram speciem eius deformet, quamquam fructus amisit, tamen usui esse potest vel in hyberno igne, vel cum fit limen fultum columnis relicto solo suo. (*Ep.* 12.) Es autem medicus opportunissimus, et Apollo te honorat. Oportet molli manu admota, vulnera ulceris sanare. Facile est enim civitatem concutere etiam imbecillibus; sed rursus collocare in suam sedem, difficile est subito, nisi Deus sit gubernator principum. Ista autem tibi Charites texunt. Sustinens igitur omnem curam circa Cyrenen, (*Str.* 13.) hoc Homericum etiam cogitans mihi concedito, qui[13]) ait: Bonus nuntius honorem magnum affert negotio. Crescit Musa per bonum vatem.

Novit Cyrene et Batti domus iustam mentem Demophili, qui est inter iuniores iuvenis, in consiliis vero senex, ut par sit ei, qui centum annos vixit. Separat maledicentiam a candida voce sua; didicit odisse iniustos, (*Ant.* 13.) nec litigat cum bonis: non est contator, quia opportunitas apud homines non habet longa spatia. Hanc recte novit, et sequitur ut minister, non ut fugator. Aiunt autem triste hoc esse: scientem bona, eis frui non posse. Ut Atlas cum coelo luctatur, procul a patria terra et a suis rebus. Solvit autem et Titanas Iupiter. Tempus affert mutationes velorum, cessante secundo vento. (*Ep.* 13.) Post perniciosum morbum tandem optat reditum Demophilus, et ad Solis fontem curare convivia, et se exhilarare, et citharam inter cives in pace tangere; et nec laedere alios, nec laedi a civibus; et narrare Arcesilao, qualem fontem carminum repererit, cum in urbe Thebana hospes fuit.

---

12) Cyrenen] sic h. l. et in seqq. Ed. 1558.; Ed. 1563. Cyrenem.

13) qui] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. quia.

Ode V.

Eidem Arcesilao ἅρματι.

(*Str.* 1.) Divitiae sunt bonae, cum homo eas cum pura virtute possidet, Fortuna dante, ut multis amicis prosit.

O felix Arcesilaë, procedis primo gradu aetatis cum gloria, propter Castorem, qui post hybernum imbrem affert serenitatem in tuam aulam.

(*Ant.* 1.) Sapientes ornant fortunam, a Deo datam. Te iuste agentem magna felicitas circumdat, ut sis rex multarum urbium. Tuus oculus videt venerandum honorem, mixtum menti tuae. Nunc quoque beatus es, quod nactus claram victoriam in Pythiis, habes hunc hymnum sociorum (*Ep.* 1.) in Apollinis ludo. Ideo non lateat te Cyrene, quod celebratur ad hortum Veneris. Omnium autem bonorum causam praecipuam esse Deum ponimus. Deinde et prae caeteris amicis Carrhotum diligito, qui non Epimethei filiam, scilicet Poenitentiam, adducens redit ad Cyrenaeos, iustitiam colentes.

Hic Carrhotus hospes fortis, curuli victoria ad Castalium fontem te coronavit (*Str.* 2.) incorruptis loris, iuxta delubrum duodecim cursuum. Nulla enim instrumenta fregit, sed suspensus est currus, sustinens artificum excellentia opera: et translatus est ex Crisaeo tumulo, et prato Apollinis. Nunc ipsum tenet cupressina sedes in templo prope statuam, quam Cretenses in Parnasso statuerunt ex una arbore factam.

(*Ant.* 2.) Tu igitur, Arcesilaë, benefactori tuo sponte reddito gratiam. Diligunt te Gratiae, o Carrhote, qui beatus es, quod post laborem monumentum habes, quo celebraris. Cadentibus enim quadraginta aurigis, tu integrum currum tenuisti intrepida mente, et cum gloria in Libyam reversus es.

(*Ep.* 2.) Nemo autem est, nec erit, sine aliquo dolore. Batti sequitur te felicitas, sed tamen bona et mala tribuens. Fuit Battus turris urbis, et oculus hospitum. Ac leones eum fugerunt, postquam attulit vocem transmarinam. Nam Apollo perterrefecit bestias, ne vaticinia Batto data de condenda Cyrene, inutilia essent.

(*Str.* 3.) Qui et gravium morborum remedia viris et mulieribus tribuit; et dedit citharam, et dat musicam, quibus voluerit. Affert et iustitiam quietam, et curat fatidicum angulum. Unde et Heraclidas et Aegimii filios collocavit in Lacedaemone, Argis et Pylo. Meum autem est, sonare a Sparta amabilem gloriam, (*Ant.* 3.) unde nati venerunt Theram, Aegidae mei patres, non sine divino auxilio; sed fatum quoddam duxerat Heraclidas ad sacrificium Thebanorum. Inde et Carnea in Cyrene celebrantur, quam tenent bellicosi hospites Troiani Antenoridae. Cum Helena enim eo venerunt, eversa Troia.

(*Ep.* 3.) Honorifice vero equestres Cyrenaei, quos Battus duxerat, adiungunt sacrificiis Antenoridas cum muneribus.

Condidit et Battus templa maiora Deorum, et rectam plateam Apollinis, pompis salutaribus, ut via constrata lapidibus equites gestet, ubi in postrema parte fori, seorsim Batti sepulcrum est.

(*Str.* 4.) Beatus fuit apud cives vivens Battus; postea est Heros, qui colitur a populo; seorsim vero caeteri reges ante urbem habent sepulcra. Magnas autem virtutes conspersas molli rore, et carminum fluxu, audiunt tui maiores sub terra; et sentiunt filii felicitatem sibi communem, et iustum decus esse, o Arcesilaë, quem in cantu iuvenum decet celebrare Apollinem, (*Ant.* 4.) cum habeas ex Pythiis persolutionem sumptuum, carmen victoriale.

Virum illum, quem nominavi, prudentes laudant. Mentem habet aetate praestantiorem; lingua et fortitudine excellit, ut aquila inter aves. Eius robur est munimentum certaminis: inter Musas volatilis inde usque a pueritia, et simul est sapiens aurigator. (*Ep.* 4.) et quicquid faciunt honeste cives, ipse inter praecipuos aggreditur, ac Deus ei benevolus nunc perficit fortitudinem. Quod utinam et deinceps fiat in factis et consiliis, ne laedat senectam eius hybernus flatus, quia Iovis mens magna gubernat fortunam virorum, quos diligit. Opto generi Batti et Olympicos honores dari.

Ode VI.

Xenocrati Agrigentino ἅρματι.

(*Str.* 1.) Audite. Iam enim aut Veneris, aut Gratiarum campum peragramus: videlicet umbilicum Pythiae terrae, ad templum accedentes. Ibi hymnus de victoria paratus est Emmenidis, et Agrigento et Xenocrati in Delphico prato, (*Str.* 2.) quem nec hybernus imber, nec nubium

exercitus, nec ventus in angulos maris auferet cum promiscua glarea.

Lucet facies hymni in patre tuo, Thrasybule, et nuntiabit victoriam communem generi vestro. (*Str.* 3.) Tu vero tenens ipsum patrem dextra, rectam admonitionem refers, quam Chiron tradidit Achilli: primum, ut Deum colat; deinde, ut non privet honore parentum vitam.

(*Str.* 4.) Sic et olim generosus Antilochus hanc mentem habens, pro patre Nestore interfectus est, sustinens Memnonem. Nestoris enim currum equus impediebat, a Paride sauciatus. Memnon autem validam hastam contra Nestorem mittebat. Turbatus igitur Nestor, opem imploravit a filio; (*Str.* 5.) nec avertit eum trepidum dictum patris, sed mansit divinus vir, et sua morte patris vitam emit. Visus est igitur inter veteres fecisse opus mirandum posteris, et summus fuisse virtute erga parentes. Haec iam praeterierunt. At nostro tempore Thrasybulus maxime accedit ad paternam regulam: (*Str.* 6.) et accedens ad patruum, ei laetitiam affert. Mente regit divitias, non iniustam nec superbam aetatem [14]) agens; sapientiam vero in Musarum angulis exercens. Te vero, Neptune, qui equestres ludos reperisti, magno studio colens: et dulcis animus inter convivas est melli similis.

Ode VII.

Megacli Athenaeo [15]).

(*Str.*) Pulcherrimum praemium celebres Athenae praebent generi Alcmaeonidarum, ut inde fundamentum iaciatur hymnis de victoria equestri. Quam enim patriam, quam domum clariorem audiens in Graecia nominare potero?

(*Ant.*) In omnibus urbibus sermo est de Erechthei civibus, qui et templum Pythium Apollini rursus instaurarunt. Trahunt autem me quinque victoriae Isthmiae, una excellens Olympiae, et duae Pythiae (*Ep.*) vestrae, et maiorum vestrorum.

Gaudeo equidem propter recentem felicitatem; sed etiam doleo, quod invidia permutat honesta facta. Sed dicunt viro in florente et stabili fortuna, haec et illa ferenda esse.

Ode VIII.

Aristomeni Aeginetae luctatori.

(*Str.* 1.) O dulcis Tranquillitas, urbes magnificans, filia Iustitiae, tenens claves consiliorum et bellorum, accipe hunc honorem Aristomenis. Tu scis et benefacere, et beneficiis frui tempestive. (*Ant.* 1.) Tu, quoties aliquis iram concepit, aspera minitans, occurris, et iniuriam ponis in sentinam. Te neque Porphyrio agnovit, irritans Iovem praeter modum. Illud lucrum tantum gratum est, quod aliquis accipit a volente.

(*Ep.* 1.) Iniuria tandem evertit superbum. Non Cilix Typho effugit poenam. Neque Gigantum rex effugit eam. Domiti sunt autem fulmine, et telis Apollinis, qui Apollo benigna mente in Cirrha coronatum excepit filium Xenarcis [16]), in herba Parnassia, et carmine Dorico.

(*Str.* 2.) Iusta civitas insulae Aeginae non excidit a Gratiis, tangens eas virtutibus Aeacidarum. Perfectam enim gloriam habet ab initio. Multis enim celebrata est victoriis, et educavit multos Heroas, qui excelluerunt in pugnis: (*Ant.* 2.) quod inter viros maximum decus est. Sed non vacat iam recitare totam laudationem Aeginae, lyra et cantu, ne satietas molesta sit. Quod vero ante pedes currit, eat.

Tuae res, Aristomenes, circa meam artem recentissimae volant. (*Ep.* 2.) Imitans enim luctando avunculos, non pudefacis; auges autem gloriam familiae Midylidarum, et sermonem fers, quem dixit Amphiaraus apud Thebas ad manentes in proelio de posteris, (*Str.* 3.) qui secundam expeditionem fecerunt ex Argo ad Thebas. Sic autem dixit de dimicantibus: Generosi parentum animi, natura et in filiis excellunt.

Video perspicue Alcmaeonem, agitantem in fulvo clypeo draconem in portis Cadmi. (*Ant.* 3.) Sed Adrastus heros debilitatus in priori bello, nunc habet nuntium melioris augurii. Sed in sua familia accipiet contrarium malum. Solus enim ex Danaûm exercitu legens ossa interfecti

14) non iniustam nec superb. aet.] sic Ed. 1558.; H. Steph.: [neque] iniustam neque insolentem pubertatem; Heyne et Boeckh: nec iniustum nec insolentem iuventae florem; Ed. 1563. non iustam nec superbam aetatem. Pind. ἄδικον οὔϑ' ὑπέρoπλον ἥβαν.

15) *Megacli Athenaeo.*] sic haec Ode in Editt. 1558., 1563. est inscripta; in omnibus vero Pindari Editt., quas in manibus teneo, his nominibus addita est vox: τεϑρίππῳ, *quadrigis*.

16) Xenarcis] sic (= Pind. Ξενάρκειον) Ed. 1563., H. Steph., Heyne, Boeckh.; Ed. 1558. Xenacris.

filii, reducet incolumem exercitum divino auxilio (*Ep.* 3.) ad Argos. Haec dixit Amphiaraus.

Et ego gaudens Alcmaeonem coronis orno, et conspergo carmine, quia mihi vicinus est, et custos mearum facultatum, et occurrit mihi eunti ad umbilicum terrae, videlicet ad Delphos, et attigit cognatas partes vaticinii.

(*Str.* 4.) Tu vero Apollo, qui commune templum regis in valle Pythonis, ubi tribuisti maximum gaudium Aristomeni, qui dedisti et antea victoriam pentathli in Aegina: te sponte invoco, (*Ant.* 4.) ut respicias, quae de quocunque in harmonia repeto. Dulci carmini adstat veritas. Opto autem vestrae fortunae, o Xenarces, divinum auxilium. Cum enim aliquis sine magno labore fortunatus est, is imperitioribus videtur sapiens, (*Ep.* 4.) et suo consilio vitam exaltare. Id vero non est penes homines, sed Deus praebet: aliàs alium exaltans, alium vero deiiciens.

In Megaris habes honorem, et in angulo Marathonis, et in patrio certamine Iunonis ter vicisti; (*Str.* 5.) incidisti et quatuor corporibus, quae vicisti, quibus neque reditus iucundus est per Pythium hordeum, neque risus apud matrem in reditu gratiam attulit. In plateis autem hostium fugitantes, sunt trepidi, calamitate sauciati.

(*Ant.* 5.) Qui nactus est recens bonum, volitat spe magna, alata superbia, habens gloriam potiorem divitiis. Exiguo autem tempore durat felicitas, et rursus decidit in terram quassata stulta mente. (*Ep.* 5.) Vivimus uno die, quid est aliquis? quid est nullus? Sumus umbrae somnium homines. Sed quando divinitus affulget lux, tunc splendet hominum vita, et grata est. O Aegina mater, cum libero exercitu serves hanc urbem, cum Iove, Aeaco, Peleo, Telamone et Achille.

Ode IX.

Telesicrati*[17]) *Cyrenaeo armato cursori.

(*Str.* 1.) Volo Pythiorum victorem Telesicratem cum Gratiis nuntians sonare, felicem virum, coronam Cyrenes, quam comosus Apollo ex flatuoso sinu Pelii rapuit, et tulit virginem venatricem in aureo curru, ubi fecit eam dominam fertilissimae terrae, ut habitaret in parte orbis tertia, florentissima Libya.

(*Ant.* 1.) Excepit autem Venus Apollinem hospitem, divinum currum manu leviter attingens, et eis iniecit verecundum amorem dulcium cubilium, iungens Apollini nuptam filiam Hypsei, qui tunc erat potens rex Lapitharum, ex Oceano secundus ducens genus, quem olim in Pindi vallibus nympha Creusa, Terrae filia, in lecto Penei peperit.

(*Ep.* 1.) Hic vero filiam habuit Cyrenen, quae nec telarum retrogradas vias amavit, neque coenarum delicias inter domesticas socias; sed iaculis aeneis et ense pugnans, interfecit bestias, pacem efficiens paternis bobus, exiguum somnum palpebris impendens ad repentem auroram.

(*Str.* 2.) Apollo deprehendit eam cum robusto leone solam luctantem, sine hasta. Statim igitur Chironem evocat ex domo: O Chiron, relinquens antrum tuum, admireris fortitudinem virginis: quale certamen virgo sustinet intrepido capite, habens pectus super laborem, nec eius mens fluctuat metu. Quis eam genuit? et a qua stirpe producta, (*Ant.* 2.) venit in horum montium specus, et tentat infinita certamina? Piumne est eam contrectare, et ex lecto decerpere dulcem herbam?

Huic respondens Centaurus, blande ridens amabili supercilio dixit: Occultae sunt claves persuasionis amorum in Diis et hominibus. Verecundia tenentur palam attingere puellam. (*Ep.* 2.) Te quoque, quem nemo fallere potest, amor movit hunc sermonem efferre. Mene interrogas, unde genus sit puellae, qui ipse nosti omnem finem, et omnes vias, et quot verna folia producat terra, et quanta arena in mari et fluminibus volvatur fluctibus et ventorum impetu: et vides, quae futura sint, et unde sint eventura? Sin autem licet cum sapiente loqui, (*Str.* 3.) dicam. Huic fies maritus in hoc prato, et duces eam trans mare in hortum Iovis: ibi eam facies principem civitatis, congregans insularem populum ad tumulum equestrem. Nunc Libya habens spatiosa prata, recipiet Nympham in aureis tectis: ubi ei terrae partem attribuens, legitime donabit, habentem et plantas fertiles, et feras. (*Ant.* 3.) Ibi et filium pariet Aristaeum, quem Mercurius auferens a matre, dabit educandum Horis et Terrae.

---

17) *Telesicrati*] sic Ed. 1558. (Pind. = *Τελεσικράτει*); Ed. 1563. *Thelesicrati.*

Hae polito infanti in genibus nectar et ambrosiam instillabunt, et facient eum immortalem, sicut Iovem et Apollinem, ut sit gaudium hominibus, et proximum comitem pecudum, venatorem et pastorem, et ut nominetur Aristaeus.

Sic locutus Chiron, monebat Apollinem, ut dulces nuptias perficeret. (*Ep.* 3.) Diis festinantibus, celeriter res fit: et breves viae sunt. Illa dies perfecit. Convenerunt autem aureo thalamo Libyae, ubi pulcherrimam urbem et claram certaminibus Cyrene curat. Et nunc in Pythone filius Carniadae victor eam ornat corona, et claram fecit, quae et benevola eum recipiet in patria habente pulchras feminas, ex Delphis afferentem magnam gloriam.

(*Str.* 4.) Excellens virtus celebrari longa oratione potest. Sed pauca de magnis dicere, satis est sapienti auditori. Sed opportunitas dominatur in quolibet negotio. Norunt et Thebae, Iolaum, qui non neglexit occasionem: quem, postquam Eurysthei caput praeciderat ensis acie, sepelierunt prope monumentum Amphitryonis, qui fuit eius paternus avus, qui fuit hospes Thebis, quas rexerunt nati ex satis dentibus draconis.

(*Ant.* 4). Peperit enim Alcmena, Amphitryoni et Iovi mixta, gemellos uno partu. Mutus est, si quis non celebrat Herculem, neque Dircaeas undas, quae ipsum et Iphiclum aluerunt. Hos ego aliàs celebrabo, ne me destituat lumen Gratiarum. Sed hunc Telesicratem dico ter in Aegina et Nisi tumulo victorem fuisse, (*Ep.* 4.) et effugisse tacitam ignaviam factis.

Si quis igitur civium aut amicus aut inimicus est, quod publice recte factum est, ne occultet, laedens sermonem Nerei. Hic enim dixit: Etiam inimici laudent toto animo eum, qui res iustas egit. Saepe vidi te vincere in annuis sacrificiis Palladis, ubi quaelibet virgo te sibi virum aut filium optavit, (*Str.* 5.) et in Olympiis, et in littore, et locis vicinis.

A me igitur aliquis exiget curationem sitis Odarum: hoc debitum solvo, videlicet laudes tuorum maiorum, quales iverint ad urbem Antaei Irassam, ut essent proci Libycae mulieris, quam multi principes cognati, et multi peregrini petebant, quia admiranda forma (*Ant.* 5.) erat, et decerpere omnes florem pubertatis volebant. Pater autem Antaeus volens gloriosum coniugium filiae quaerere, audivit, qualia coniugia Danaus octo et quadraginta filiabus invenerit ante meridiem. Constituit enim totum chorum filiarum in metis, et iussit singulos Heroas cursu certare, ut haberet quisque, quam vellet. (*Ep.* 5.) Sic et Antaeus dedit filiae sponsum. Collocavit enim eam ad metam, ordinans, ut ibi meta cursus esset, ubi virgo stabat; et iussit, ut ille eam abduceret, qui primus eam attigisset. Ibi Alexidamus victor eam duxit per equites Nomadas. Illi multa folia et coronas ei obiecerunt; tulit et antea alias victorias.

Ode X.

Hippocleae Thessalo diauli cursori.

(*Str.* 1.) Felix Lacedaemon, et beata Thessalia. Nam in utraque regnat genus Herculis, ex uno patre Aristomacho [18]). Quid autem gloriosa recito intempestive? Nam me Pytho et Aleuadae volunt sonare Hippoclem, ducentem sodalitii vocem. (*Ant.* 1.) Gustat enim certamina in coetu Amphictyonum, et angulus Parnassius renuntiavit eum victorem per duo stadia. Deo iuvante finis homini dulcis est, et crescunt initia.

Hic quidem tuo consilio, o Apollo, hanc rem perfecit; sed natura fecit eum insistere vestigiis patris, (*Ep.* 1.) qui vicit in Olympiis. Bis in armis Martis victorem fecit Phriciam agon sub rupe Cirrhae. Adsit fortuna et futuro tempore, ut floreant divitiae utriusque.

(*Str.* 2.) Adepti autem dulcissimos honores in Graecia, non incidant in tristes mutationes. Deus sit eis innoxium fatum. Felix ille, qui vicit in certaminibus audacia et robore, (*Ant.* 2.) et vidit filium victorem. Non efferant autem se ita, ut velint intra coelum penetrare. Quam felicitatem nos homines attingimus, illa metas habet. Nec navibus, nec terra invenias viam ad Hyperboreum certamen, (*Ep.* 2.) quo dux Perseus pervenit ad epulas, inveniens eos sacrificare hecatomben asininam, qua gaudet Apollo, ridetque arduorum animalium mactationem [19]).

---

18) ex uno patre Aristomacho] sic Ed. 1563. et Heynii interpr.; Ed. 1558. ex uno patre Aristomachi; H. Steph. interpr.: strenuissimi pugnatoris ex uno patre; Boeckhii interpr.: patre . . . ex uno fortissimi. Pind. πατρὸς . . . ἐξ ἑνὸς ἀριστομάχου.

19) mactationem] sic Ed. 1563.; Ed. 1558.: mactatione.

(*Str.* 3.) Nec Musica [20]) abest a moribus ipsorum. Undique sunt chori virginum, et soni lyrae et cithararum, et tibiae; et aurea lauro comas ligantes, hilariter convivantur; nec morbi, nec senectus sunt in ea gente, ét sine laboribus et sine pugnis (*Ant.* 3.) habitant, et effugiunt ultricem Nemesin.

Ad hunc beatorum coetum venit audax Perseus, praecedente vero Pallade; et interfecit Gorgonem, et rediit afferens caput variatum comis draconum, quod lapideam mortem insularibus attulit, mihique admirationem. (*Ep.* 3.) Deo autem perficiente, nihil incredibile est.

Remum inhibeto, et cito ancoram figito in terra de prora, quae est munimentum contra scopulos latentes in mari. Nam flos hymnorum aliàs ad alium sermonem properat, sicut apis. (*Str.* 4.) Equidem spero Thessalis circa Peneum fundentibus meam dulcem vocem, magis celebraturos esse carminibus Hippoclem [21]), ut curae sit coaetaneis, et senioribus et virginibus. Aliorum enim animos alii amores cruciant.

(*Ant.* 4.) Cum autem, quae curat aliquis, iis potitur, habet velocem delectationem in praesentia. Quae autem in anno futura sunt, prospici non possunt.

Confido dulci amicitiae Thoracis, qui expetens meam benevolentiam, iunxit hunc currum Pieridum, amans amantem, ducens ducentem benevole. (*Ep.* 4.) Ut aurum lapide Lydio exploratur, ita et mens habet suam explorationem. Fratres eius etiam laudamus, qui augent Thessalorum statum. Nam gubernatio in patria bonis commendata est.

Ode XI.

Thrasydaeo Thebano puero victori in stadio.

(*Str.* 1.) Cadmi filiae, Semele socia coelestium, et Ino marinarum Nereidum socia, adeste cum generosa Herculis matre, ad aureorum tripodum penetrale, apud fluvium Ismenium, quod Apollo excellenter honoravit, (*Ant.* 1.) et nominavit Ismenium, veram sedem vaticiniorum. O filiae Harmoniae, huc et iam legitimum Heroidum coetum convenire iubet Apollo, ut Themin et Pythonem et umbilicum terrae sonetis initio vesperae: (*Ep.* 1.) et hoc officium praestetis Thebis, et agoni Cyrrhae, in quo Thrasydaeus paternos lares celebres reddidit, imponens eis tertius coronam in divite terra Pyladae [22]) vincens, qui fuit hospes Laconici Orestis, (*Str.* 2.) quem interfecto patre, Arsinoë nutrix ex Clytemnestrae manibus ex luctuoso dolo sustulit, quando Cassandram cum Agamemnone interfecit saeva mulier.

(*Ant.* 2.) An Iphigenia ad Euripum mactata, procul a patria, movit matrem, ut excitaret gravem iram? An vero alieno thalamo lascivientem nocturni concubitus adegerunt? quod in iuvenculis nuptiis odiosum delictum est, et occultari (*Ep.* 2.) alienis linguis non potest. Cives autem sunt maledici, et potentia habet multos invidos. Pauperes manent ignoti. Interfectus est autem Agamemnon, reversus post longum tempus ad Amyclas, (*Str.* 3.) et perdidit Cassandram, postquam propter Helenam deletis Troianis destruxit opulentas domos. Orestes vero iuvenis venit ad Strophium, qui habitavit ad Parnassi pedem. Hîc postea et matrem et Aegisthum interfecit.

(*Ant.* 3.) Certe, o amici, per [23]) deviam semitam volutatus sum, cum antea rectum iter ingressus sim. An me ventus extra viam, ceu marinam navim proiecit, o Musa? Sed si mercede vocem tuam argenteam pacta es, aliàs alia carmina movenda erunt, (*Ep.* 3.) patri victori aut Thrasydaeo, quorum laetitia et gloria splendet. Victores curribus in Olympiis claritatem habuerunt; (*Str.* 4.) et in Pythone nudi descendentes in stadium vicerunt caeteros Graecos cursu. Divinitus optarim ex bonis possibilia in vita mea. Inveniens enim in urbibus mediocria diutius florere, accuso fortunam tyrannorum. (*Ant.* 4.) Communi virtute contentus sum.

Invidi sua ipsorum peste puniuntur. Si quis pervenerit ad extremum ad metam, et effugerit iniuriam, et tandem placide moritur, is relinquit filiis suis bonam famam, quae superat omnes divitias, (*Ep.* 4.) quae Iphicli filium Iolaum ex-

---

20) Musica] sic Editt. 1558., 1563.; H. Steph., Heyne, Boeckh.: Musa (= Pind. Μοῖσα).

21) Hippoclem] sic Editt. 1558., 1563.; Heynii et Boeckhii interpr.: Hippocleam; Pind. Ἱπποκλέα.

22) Pyladae] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. Pylade.

23) per] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. qui per.

tollit, ut clarior sit, et Castorem, et Pollucem, Deorum filios, qui aliàs interdiu sunt in sedibus Therapnes [24]), aliàs intra Olympum habitant.

Ode XII.

Midae tibicini Agrigentino.

(*Str.* 1.) Quaeso te, o splendida urbs, sedes Proserpinae, in ripa Acragantis [25]). O Domina Proserpina, benigne recipito coronam Midae ex Pythone, et ipsum, qui arte sua Graecos vicit: quam artem Pallas invenit, imitans tristem lamentationem Gorgonum, (*Str.* 2.) quam Perseus audivit, sub serpentum deformibus capitibus fusam lugubri labore, quando Medusam tertiam sororem interfecit, postea marinae Seripho et populis exitium adferens, et Phorci [26]) divinum genus delevit, et triste convivium Polydectae [27]) fecit, et servitutem matris et coactum coniugium sustulit, cum formosae Medusae capita rapuisset (*Str.* 3.) filius Danaës, quem ab auro sponte fluente natum esse dicimus.

Sed postquam ex his laboribus virum liberavit Pallas, fecit tibias, quas invenit imitans [28]) cum organis sonoros luctus Euryales, ex velocibus genis editos, quod cum invenisset, dedit hominibus, et nominavit Harmoniam multorum capitum convenientem ludis, (*Str.* 4.) transeuntem per tenue aes, et calamos, qui crescunt prope urbem Charitum in luco Cephisi, fideles certantium testes.

Si qua felicitas est hominum, non est sine molestia. Deus autem perficiet aut hodie, aut postea. Fatum vero non est evitabile. Sed erit tempus illud, quod et desperantem rursus in spem erigit, et aliud quidem dabit, aliud quidem denegabit.

---

24) Therapnes] Ed. 1563. mendo typogr.: Therapens.

25) Acragantis] sic scripsi (= Pind. Ἀκράγαντος); Editt. 1558., 1563. Agragantis.

26) Phorci] sic H. Steph., Heynii et Boeckhii interprett.; Ed. 1558. Phorcys, Ed. 1563. Phorcis; Pind. Φόρκοιο.

27) Polydectae] Ed. 1563. Polidectae.

28) invenit imitans] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. corrupte: inveni, timitans.

LXXXIII. PHIL. MEL. INTERPRETATIO NEMEORUM PINDARI.

Haec Melanthonis interpretatio latina in duabus Editt. **1558.**, **1563.**, quas supra p. **187** sq. descripsi, reperitur. Stropharum, Antistropharum et Epodon numeros, quibus hae Editt. carent, ex interpretatione Boeckhii addidi. Praeter hanc Boeckhii etiam H. Stephani atque Heynii interpretationes, et textum graecum quinque Editionum supra p. **198.** in nota **5.** enumeratarum quibusdam in locis contuli.

PINDARI NEMEA
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Ode I.

Chromio Aetnaeo [1]).

(*Str.* 1.) Ortygia, in quam effunditur Alpheus, Syracusarum decus, et cubile Dianae, Deli soror, a te hymnus incipit dicere laudem velocium equorum in gratiam Iovis Aetnaei, qui currum agitat Chromii, et iungit encomium victoriae in Nemeis. (*Ant.* 1.) Initia divinarum virtutum illius viri posita sunt a Deo. Gloria est magna felicitas. Magnorum enim certaminum Musa meminisse solet. Nunc excita carmen Siciliae, quam Iupiter donavit Proserpinae, et annuit, ut ipsa domina fertilis soli (*Ep.* 1.) regat pinguem Siciliam cum divitibus urbibus. Praebuit autem ei Iupiter bellicosum populum, saepe etiam ornatum Olympicarum olearum aureis foliis. Multa attigi non falso iaciens. (*Str.* 2.) Steti in vestibulo viri hospitalis, egregia facta canens: ibi mihi coena conveniens apparata est, nec eius domus est unquam sine hospitibus. Accidit bonis, sic restinguere obtrectatores, ut si quis aquam in ignem spargat. Aliae sunt aliorum artes; oportet autem recta incedentem via, anniti pro natura. (*Ant.* 2.) Robur iuvat opus, mens consilia, cum prospicit, qualis eventus quae consilia sequatur.

O Chromi, tui mores sunt idonei ad haec et ad illa. Non expeto magnas divitias habere absconditas; sed frui praesentibus, et bene audire, et amicis suppeditans benefacere. Communia enim futura eveniunt hominibus. (*Ep.* 2.) Ego autem libenter Herculem amplector, veterem sermonem movens de magnis virtutibus: quomodo cum Iphiclo fratre ex matre in lucem editus sit, (*Str.* 3.) et non ignorante Iunone involutus textis fasciis. Sed Iuno dolens, mox dracones misit, qui apertis ianuis ad thalami angulum pervenerunt, conantes implicare genas pueris. Sed Hercules erigens caput, experiebatur primam pugnam, (*Ant.* 3.) et duabus manibus invictis duos serpentes comprehendens, strangulavit eos, et corpus exhalavit animas ex membris. Inde magnus metus concussit mulieres, quae ministrabant lecto Alcmenes: et ipsa surgens ex lecto nuda, depulit [2]) saevitiam bestiarum celeriter, (*Ep.* 3.) et duces Thebani cum armis accurrerunt. Venit et Amphitryo, cum stricto gladio, subito dolore ictus. Nam propria mala magis premunt homines; sed in alieno dolore

---

1) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563. = Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. Χρομίῳ Αἰτναίῳ; in Editt. Boeckh., Bergk. et in interpr. Heynii, Boeckhiique his nominibus addita est vox: ἵπποις, curru.

2) depulit] sic (= Pind. ἄμυνεν) Ed. 1563.; Ed. 1558. mendo typogr.: depluit.

corda minus cruciantur. (*Str.* 4.) Stetit ergo, stupens metu et laetitia. Vidit enim excellentem animum, et fortitudinem filii. Ac Dii fecerant, ut videret contraria, quam nuntiata fuerant. Vocavit autem Tiresiam vicinum vatem. Hîc, quae eventura essent Amphitryoni et caeteris, vaticinatus est: (*Ant.* 4.) quod in terra occisurus esset, et in mari, perniciosas belluas; et quendam cum obliqua superbia incedentem, inimicissimum virum, dixit periturum esse. Et quando Dii in campo Phlegrae pugnabunt cum Gigantibus, coma eius erit pulverulenta prae telorum iactu. (*Ep.* 4.) Praedixit etiam, eum in pace omni tempore continuo accepturum esse compensationem tranquillam laborum in coelo, Heben coniugem; et nuptias celebraturum esse apud Iovem, et laudaturum sanctam domum.

Ode II.

Timodemo Atheniensi, victori in pancratia.

(*Str.* 1.) Ut Homeridae plerumque sumunt initium carminum a Iove: sic iste vir fundamentum certaminum et victoriarum sumpsit in luco Iovis Nemeaei. (*Str.* 2.) Debitor autem est patriae. Si quidem in via eum aetas dedit ornamentum magnis Athenis, ut saepe decerpat fructus Isthmiorum et Pythiorum. Congruit autem, (*Str.* 3.) non procul a Pleiadibus montanis Orionem incedere. At Salamis nutrire virum bellicosum potest, in Troia Hector audivit Aiacem. Te vero laboriosa victoria pancratiae facit (*Str.* 4.) inde abusque vetustate. Acharnenses [3]) sunt viri fortes, et narrant certamina vestrae familiae; quatuor enim victorias apud Parnassum reportavit ex Corinthiis, (*Str.* 5.) in angulo Pelopis octo coronas, septem in Nemeis; domi vero plures quam ut numerari possint, in Iovis agone. Haec canite Timodemo, cum glorioso reditu: incipite dulci voce.

Ode III.

Aristoclidae Aeginetae, victori in pancratia.

(*Str.* 1.) O veneranda Musa mater, supplico, ut eas in hospitalem insulam Aeginam, hoc sacro mense, quo celebrantur Nemea: apud fluvium Asopum sunt iuvenes carminum artifices, tuam vocem quaerentes. Alius aliud negotium expetit. Victor autem maxime carmen amat, sociam coronarum et victoriarum, (*Ant.* 1.) cuius copiam tribuas mihi, o Musa. Incipe in mente mea hymnum filia coeli potentis; ego vero communicabo eum illorum sermonibus, et lyrae; et habebit dulcem laborem, simulacrum regionis Myrmidonum [4]), quorum antiquum forum non dedecoravit Aristoclides, suo loco (*Ep.* 1.) in pancratii exercitatus certamine. Habet autem victoriam, dulce remedium laboris. Si quis autem pulcher est, et facit congruentia formae, et accessit ad excellentem virtutem, non ulterius [5]) facile est traiicere mare ultra columnas Herculis, (*Str.* 2.) quas Heros extremae navigationis testes posuit, qui grandes belluas in pelago domuit, et proprio labore stagnorum fluxus scrutatus est, ubi descendit ad finem reducentem homines, et terrae metas ostendit. Sed quid ad alienum promontorium deflexisti meum cursum, anime [6])? Nunc enim volo celebrare Aeacum, et eius genus. Flos enim est iusti sermonis, laudare bonos. (*Ant.* 2.) Nec honestus amor est, alienis laudibus quemquam ornare; sed domestica quaere. Habes autem proprium decus, quod dulce est praedicare. Peleus antiquis suis victoriis laetatus est, cum secuisset hastam excellentem: qui cepit Iolcum solus sine exercitu, et marinam Thetin comprehendit cum labore. Fortis autem Telamon, commilito Iolai, vicit Laomedontem, (*Ep.* 2.) et ad exercitum Amazonum profectus est, neque unquam timor expulit ei fortitudinem animi. Naturali virtute quisque magnus est. Sed qui tantum doctrina valet, obscurus est, aliàs alia spirans, et nunquam feliciter firmo incedit pede, et imbecilli animo gustat varias virtutes. (*Str.* 3.) Achilles autem puer in domo Philyrae manens, crebro lusit magnis operibus, vibrans grave iaculum simile ventis: et pugna occidit leones et apros, corpora vero ad Saturnium centaurum anhelantia attulit, cum sexennis adhuc esset. Toto deinde tempore mi-

3) inde abusque vetustate. Acharnenses (Ed. 1558. Acarnenses)] sic Ed. 1558.; Ed. 1563 abque vetustate. Acarnenses; Heynii et Boeckhii interpr.: Acharnae autem antiquitus; Pind. Ἀχάρναι δὲ παλαίφατοι (Editt. antiquior. παλαίφατον).

4) et habebit — Myrmidonum,] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. et regi Myrmidonum habebit dulcem laborem; Heyne: Gratum vero habebit laborem (*hunc hymnum meum*) insulae decus (*Aegina*), Myrmidones ubi prisci habitarunt.

5) ulterius] sic (= Pind. πρόσω) Ed. 1558., H. Steph., Heyne, Boeckh.; Ed. 1563. alterius.

6) meum cursum, anime?] sic (= Pind. θυμέ, . . . ἐμὸν πλόον) Ed. 1563.; Ed. 1558. meum cursum animi?

rabantur eum Diana et Pallas, (*Ant.* 3.) interficientem cervos sine canibus et sine retibus. Pedibus enim valebat. Venio ad hoc vetus dictum, quod senex Chiron in saxea domo aluit Iasonem et Aesculapium, quem docuit pharmacorum artificiosam doctrinam. Deinde despondit Peleo Thetidem, et educavit filium excellentem, ornans animum omnibus virtutibus, (*Ep.* 3.) ut ad Troiam flatu ventorum profectus, pugnam Lyciorum et Dardanorum sustineret, et Phrygum: et pugnans cum Aethiopibus cogitaret, ne Memnon patruelis Heleni domum rediret. (*Str.* 4.) Inde clarum lumen est Aeacidarum, o Iupiter; tuus enim sanguis est, tuum certamen: quod hic hymnus voce iuvenum celebrat inter indigenas, et cantus victorem Aristoclidem ornat, qui huius insulae gloriam auxit, et templum reddidit splendidius. Experientia ostendit, qua quisque re excellat. (*Ant.* 4.) Inter iuvenes est iuvenis, vir inter viros, inter senes senex, tribuens singulis convenientem partem. Habet et quartam virtutem, quod praesentia recte curat [7]), et non deest praesentibus negotiis. Salve amice, hoc carmen tibi dono, melle et lacte mixtum: et ros circumdat Aeolicis tibiis potum, (*Ep.* 4.) etsi sero mitto. Sed aquila est celerrima inter volucres, quae rapit praedam procul quaerens; graculi vero clamosi depascunt humilia. Vidit lux, volente Musa Clio, te propter victoriam Nemeae, et Epidauriam, et Megarensem.

Ode IV.

Timasarcho Aeginetae victori in palaestra.

(*Str.* 1.) Laetitia optimus medicus est finiti laboris, et Musarum filiae Odae adiunctae mulcent eam. Nec aqua calida sic lenit defatigata membra, ut laus consona citharae. Sermo diutius durat opere, quem cum Gratiis lingua profundae mentis profert. (*Str.* 2.) Hoc ponere mihi liceat prooemium hymni Iovis et Nemeae, et luctae Timasarchi. Recipiat autem Aeacidarum sedes hoc commune lumen iure hospitii. Si pater tuus Timocritus adhuc viveret, saepe hunc hymnum caneret, intentus huic carmini: et caneret mittentem catenam, (*Str.* 3.) coronatum ex certamine Cleonaeo, et ab Athenis, et quia Thebis ad Amphitryonis tumulum Cadmaei eum non inviti coronaverunt, propter Aeginam. Venit enim amicus ad amicos, ad hospitalem urbem, ad aulam Herculis, (*Str.* 4.) cum quo Troiam Telamon expugnavit, et Coos, et Gigantem Alcyonea; nec tamen vicit, priusquam Herculi duodecim quadrigas contrivit, et in eis viginti quatuor milites, iacto lapide. Imperitus est bellorum, qui non intelligit dictum: Facientem aliquid oportet et pati aliquid. (*Str.* 5.) Plura me dicere prohibet lex, et Horae festinantes. Trahor autem ut fascino, ut novilunii pompam attingam. Et quamquam profunda insula tenet medium saltum, tamen resiste invidiae, ut magis videamur in luce versari, melius quam hostes. Nam invidus in tenebris inane et humile consilium volvit. (*Str.* 6.) Sed mihi quam virtutem dedit Deus, perficiet veniens tempus. Tu vero dulcis cithara, praetexe carmen Lydia harmonia Oenonae et Cypro, ubi Teucer est; Aiax vero tenet Salaminam. (*Str.* 7.) At in Euxino tenet Achilles insulam Leucen; Thetis vero tenet Phthiam, Neoptolemus vero celebratam Epirum, ubi in altis collibus pascuntur boves, incipientibus a Dodona usque ad mare Ionium. Sed ad Pelii montis radices servam Iolcum tradidit Thessalis Peleus, (*Str.* 8.) usus dolo Hippolytae [8]), coniugis Acasti. Nam Acastus machaera Daedali per insidias machinatus erat mortem Peleo; sed Chiron depulit ei fatale malum, ignem, et leonum ungues, et aciem dentium cohibens, (*Str.* 9.) duxit unam Nereidum. Vidit et sedem, in qua Dii sederunt in nuptiis, et ostenderunt ei dona et potentiam singuli iuxta suam naturam. Ultra Gades transire ad occasum, non est possibile. Reduc navim ad Europam; non possum enim omnes laudes Aeaci et posterorum eius recitare. (*Str.* 10.) Ego autem veni, ut celebrem Theandridarum certamina in Olympiis, Isthmo, Nemeis, ubi experimentum habentes, domum non sine novis coronis redierunt. Hanc tuam patriam audimus ministram esse carminum triumphalium. Sin autem iubes me Callicli avunculo (*Str.* 11.) columnam ponere candidiorem Pario lapide, hoc quoque faciam. Ut aurum coctum magis fulget, ita carmen regibus pares facit. Hic Callicles circa Acherontem habitans, inveniat meam linguam celebrantem ipsum, qui floruit apiis in agone Neptuni. (*Str.* 12.) Hunc Euphanes avus tuus canet. Alii

7) curat] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. curet.

8) Hippolytae] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. Hippolytes.

alios aequales habent. Quae autem vidit aliquis praesens, ea potest excellentissime narrare. Qualem vero laudans, Melesiam moverit litem? invictus enim est, si vocetur in certamen, placidus bonis, asper inimicis.

Ode V.

Pytheae, filio Lamponis, pancratiastae[9]).

(*Str.* 1.) Non sum statuarius, ut mobilia opera faciam in eodem solo stantia. Sed vade Musa ad omnes naves onerarias et cymbas; et nuntia Aeginetis, quod Lamponis filius vicerit in Nemeis, cum nondum genae eius ostenderint autumnum, qui gignit uvas labruscarum. (*Ant.* 1.) Decoravit autem Heroas a Saturno et Iove ortos, et a Nereidibus Aeacidas, et Aeginam, quam olim fundaverunt multitudine civium et navibus, stantes ad aram Iovis Hellenii, tendentes palmas ad coelum, filii Endeidos, et Phocus, (*Ep.* 1.) quem peperit Psamathe. Vereor dicere grande quiddam, et non iure factum, et quomodo reliquerint insulam, et quae fortuna viros fortes ex Oenone expulerit. Resistam, non dicturus sum. Interdum enim melius est, non ostendere veritatis faciem, et tacere saepe inter homines sapientissimum consilium est. (*Str.* 2.) Sin autem Aeacidarum felicitatem, aut fortitudinem, aut bella laudare visum fuerit, etiamsi longos saltus mihi aliquis fodiat, tamen habeo levia genua, ut aquilae ultra mare volitant. Libenter autem et ad Pelium montem canit chorus Musarum, et in eo Apollo tenens citharam inchoat omnes melodias. (*Ant.* 2.) Hae autem primum a Iove exordientes, laudabant Thetidem et Peleum, ut eum tenera Hippolyte interficere voluerit, suadens variis consiliis marito, et finxerit ementitum sermonem, quod tentasset sponsam Acasti. (*Ep.* 2.) Sed contrarium erat; nam ipsa supplicaverat Peleo. Sed sublimes sermones Pelei mentem eius monebant, ut recusaret concubitum, metuens iram Iovis hospitalis. Iupiter id videns, annuit, ut persuaderet Neptuno, ut daret ei marinam sponsam, (*Str.* 3.) qui ab Aegis saepe ad Doriensem Isthmum accedit, ubi turmae iuvenum excipiunt eum cum fistulis, et certant robore membrorum. Ut autem cuiusque fortuna est, ita habet exitus. Tu vero Euthymenes, cadens in Aegina, in certaminibus fortunae multos adeptus es hymnos victoriae.

(*Ant.* 3.) Iam vero rursus insequentem delectat avunculus tuus Pytheas, quia Nemea ei fortunata est, et mensis patrius, quem Apollo diligit. Vincit autem aequales, advenas et domesticos, in tumulo Nisi. Laetor autem, quod tota civitas pugnat de rebus honestis. Scito autem, quod dulcem compensationem laborum Menandri feliciter (*Ep.* 3.) acceperis. Oportet esse ab Athenis magistrum certaminum. Sin autem venis, ut celebres Themistium, ne rigeas: ede vocem, tende vela ad iugum corbis, et canito pugilem et pancratiastem habuisse tres victorias in Epidauro, et in Aeaci vestibulo, et coronas florum cum Gratiis.

Ode VI.

Alcimidae Aeginetae[10]).

(*Str.* 1.) Cognatio est Deorum et hominum. Utrique ex una matre spiramus. Distinguit autem nos separata potentia, quia nos quidem nil sumus; sed ferreum coelum semper manet tuta sedes. Qua tamen re immortalibus similes sumus? Seu mente, seu ingenio: quamquam non scientes, ad quam metam fatum nos scripserit currere diurnam aut nocturnam. (*Ant.* 1.) Ostendit autem et Alcimidas cognationem ex frugifera tellure, quae praebet aliquando fruges quotannis, aliquando vero quiescens rursus accipit vires. Venit adolescens ex iucundis Nemeae certaminibus, qui hanc nactus familiae felicitatem, nunc non expers est certaminis (*Ep.* 1.) in avi vestigiis. Hic enim cum esset victor in Olympiis, inter Aeacidas, ramis coronatus est ad Alpheum, et renovavit memoriam suorum. (*Str.* 2.) Tres enim fuerunt victoriae. Cum Deo autem labor felix est. Ac ostendit iste, nullam domum clariorem in Graecia esse victoriis. Quamquam magna dico, tamen existimo me ad scopum diri-

9) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563. = Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. *Πυθέᾳ υἱῷ Λάμπωνος, παγκρατιαστῇ*; Heynii interpr.: *Pytheae Aeginetae, filio Lamponis, Pancratiastae*; Editt. Boeckh., Bergk. *Πυθέᾳ Αἰγινήτῃ παιδὶ παγκρατιαστῇ*, *Pytheae Aeginetae puero pancratiastae*.

10) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563.; in omnibus vero Pindari Editt., quas equidem contuli, haecce legitur inscriptio: *Ἀλκιμίδῃ Αἰγινήτῃ παιδὶ παλαιστῇ*, quam Boeckhius interpretatur: *Alcimidae Aeginetae puero luctatori*.

gere sagittam. Tu vero Musa, tanquam ab arcu mittens sagittam, duc ventum secundum ad istum. (*Ant.* 2.) Nam poetae et eloquentes tradunt egregia facta eorum, qui fuerunt. Bassidis non deest celebratum genus, cui proprie vehant encomia Pieridum cultores, ac possunt praebere carmina de gloriosis factis. Nam in miranda Pythone pugil vicit Callias, cestum tenens alligatum manibus ex ea familia, (*Ep.* 2.) canens Latonae gnatis ad Castalium fontem vesperi in coetu Gratiarum; et fulsit Isthmus in trieterico sacrificio vicinorum, et honoravit Calliam per Neptuni templum, et herba leonis eum victorem coronavit sub vetustis montibus Phliuntis. (*Str.* 3.) Sunt autem latae viae laudum Aeginae, quia Aeacidae magnum decus ei addiderunt praeclaris factis. Volitat per terram et mare nomen eorum, et prosiluit usque ad Aethiopas, postquam non est reversus Memnon, quibus incidit grave certamen, cum Achilles descendens ex curru, (*Ant.* 3.) Aurorae filium interfecit hasta terribili. At veteres hanc latam viam ingrediuntur in laudationibus, quam et ego in hac meditatione sequor. Praesens cura maxime excruciat animum. Sed fluctus, qui volvitur ad navis pedem, ut dicitur, maxime turbat animum. Ego autem voluntario dorso subiens geminum onus, veni praeco, et hoc quintum decus supra viginti (*Ep.* 3.) ex certaminibus narro, quae nominant sacra, quod Alcimidas addit inclyto generi. Sors autem duabus coronis Olympicis apud Iovis lucum nos privavit; Melesiam vero similem delphino dico, saltu et manuum robore aurigantem.

Ode VII.

Sogeni Aeginetae[11]).

(*Str.* 1.) Audi Lucina, ministra Parcarum, Iunonis filia, genitrix puerorum: sine te nec lucem, nec noctem, nec Heben tuam sororem videmus. Non omnes simili modo vivimus: aliud iugum alios separat a beatitudine. Sed tecum filius Thearionis, virtute excellens, gloriosus canitur inter victores. (*Ant.* 1.) Habitat enim urbem Aeacidarum, amantem carminum, qui volunt regere animum experientem certamina. Si quis res honestas gerit, affert materiam Musis. Nam virtutes magnae sine carminibus, relinquuntur in tenebris. Unicum hoc speculum scimus egregiorum factorum: unico modo pulchrae memoriae causa celebrari carmine. (*Ep.* 1.) Sapientes norunt ventum triduo post venire; nec lucri cupiditate solvunt navim, non considerato vento. Dives et pauper simul prope sepulchrum habitant.

Ego Ulyssis sapientiam existimo maiorem factam esse carmine Homerico, quam fuit. (*Str.* 2.) Inest enim species volucri figmento mendaciorum, ac sapientia decipit sermonibus. Vulgus enim habet caecam mentem. Si veritatem sciremus, non propter arma iratus Aiax fixisset in praecordiis latum ensem, qui excepto Achille praestantissimus inter duces ad Troiam est profectus.

(*Ant.* 2.) Sed fluctus mortis communiter omnibus venit, cadunt pariter ignobiles et nobiles; illis autem honos tribuitur, quorum Deus laudes auget mortuis sociis. Venit enim Pyrrhus ad Delphos, et iacet in Pythiis campis, postquam evertit Ilium: ubi et alii Graeci magnos labores tulerunt. Pyrrhus vero discedens non rediit in Scyrum, sed venit in Ephyren, (*Ep.* 2.) et aliquamdiu in Molossia regnavit, et posteritas eius retinuit regnum. Ipse vero ad Delphos profectus est, ex Troia advehens spolia: ubi in pugna sacrificii vir quidam gladio impulit occurrentem. (*Str.* 3.) Delphi autem hospites graviter tulerunt; sed fatum hoc ei dederat. Oportebat enim regem ex Aeacidis in templo Delphico esse speculatorem in pompis sacrificiorum. Ad bonam causam tria verba sufficiunt, nec mendax testis praesidet negotiis. Difficile est mihi dicere viam virtutum filiorum tuorum, o Aegina et Iupiter, (*Ant.* 3.) quae splendent ex domo vestra. Sed requies in omni labore dulcis est, et mellis et florum Veneris satietas est. Natura autem singuli differimus, nacti alius aliam vitam. Eandem rem adipisci omnes impossibile est. Nec possum dicere, cui adepto totam beatitudinem, fatum praebuerit stabilem finem. Tibi dat convenientem felicitatem, (*Ep.* 3.) et suscipientem audaciam non destituit prudentia. Ego hospes sum, non adfero[12]) reprehensionem: laudabo

---

11) His nominibus, quibus haec Ode in Editt. 1558., 1563. est inscripta, in omnibus, quas contuli, Editt. Pindari additae sunt hae voces: παιδὶ πεντάθλῳ, quas Boeckhius vertit: *puero quinquertioni*.

12) non adfero] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. non aufero; Boeckhii interpr.: procul amovens = Pind. ἀπέχων.

virum amicum, ducens ad eum ceu aquae fluxus. Haec bonis viris merces opportuna est. (*Str.* 4.) Prope existens Achaeus, habitans ultra Ionium mare, non reprehendet me; nam et hospites honore afficio, et laetus adspicio cives, non superbus, removens a me violenta; accedat autem[13]) laeta aetas reliqua. Dicat aliquis, si quis novit, an inconcinne ulli maledicum sermonem attulerim: iuro, me non progressum esse ultra metam, nec novisse[14]) celerem linguam, ceu[15]) acutam sagittam de te, (*Ant.* 4.) qui eduxisti cervicem sine sudore ex certaminibus, priusquam solis ardorem membra sentirent. Etsi labor non est suavis, tamen victoria est dulcis. Sine me, si quid altius sono, victori gratum facere; non enim invitus victores celebro.

Incipe Musa nectere coronas: glutines[16]) aurum, aes, et ebur, et florem decerpens corallii. (*Ep.* 4.) Iovis etiam memor sis in Nemeis, placide proferas varios hymnos. Decet Iovem in eo solo celebrare voce sacra. Dicunt enim eum patrem esse Aeaci, (*Str.* 5.) qui meae patriae adiutor est, o Hercules; tuus autem amicus, et frater, et hospes. Cum homo homini prosit, quid dicemus vicinum esse vicino, amantem intento animo? certe laetitiam maximam. Quantum bonum est, cum Deus vicinus est? Tecum autem, o Hercules Gigantum domitor, ut cum patre vult habitare Sogenes, curans tenerum animum maiorum, et divitem vicum, (*Ant.* 5.) quia in tuo luco[17]) domum habet, tanquam inter quadrigas utraque[18]) manu te prehendens.

Te decet Iunonem, et Iovem, et Palladem ei placare, potes et ipse homines liberare ex difficilibus malis. Utinam eis adiungas validam senectam ad pubertatem, et clarae senectae tribuas felicitatem, et filii filiorum semper habeant honorem, quem et nunc habent; et habeant postea maiorem, imo crescat eis. Nunquam vero dicet cor meum indignos sermones de Neoptolemo. Eadem ter aut quater revolvere molestum est: sicut crebro repetitus Iovis Corinthus pueris.

Ode VIII.

Diniae, filio Megae[19]).

(*Str.* 1.) O Pulchritudo nuntia amorum Veneris, quae insidens virginum et iuvenum palpebris, alium placidis manibus coactum gestas, aliis alium. Bonum est autem, non aberrantem ab eo, quod convenit in qualibet re, meliores amores obtinere posse: (*Ant.* 1.) quales fuerunt, qui Iovis et Aeginae lectum curaverunt, datores donorum Veneris. Natus autem Aeacus filius Oenones, manu et consilio praestans. Multi eum optaverunt videre vicini Heroes sine pugna, et voluerunt eius mandatis sponte obtemperare, (*Ep.* 1.) qui in asperis Athenis exercitum, et per Spartam Pelopidae supplices ordinabant ad genua Aeaci pro urbe et civibus; propter haec gero Lydiam mitram cum cantu, ad celebrandam victoriam Diniae et patris. Nam data felicitas a Deo durabilior est, (*Str.* 2.) qui et Cinyram oneravit divitiis in Cypro. Consisto autem levibus pedibus, respirans, et cogitans quid dicam; multa enim dicta sunt. Magnum est autem periculum, invenientem nova committere examini[20]). Sunt autem nova, invidis obsonia; ac semper attingit bonos livor, nec contendit cum deterioribus. (*Ant.* 2.) Hic et Telamonis filium laceravit, ensi obiiciens, cum non loquacem, sed corde fortem dolo circumvenit in tristi lite. Magnus autem honos propositus est. In occultis enim suffragiis Ulyssem Danai praetulerunt: ideo Aiax armis spoliatus, cum nece luctatus est. (*Ep.* 2.) Atqui dissimilia vulnera proeliantes cum hostibus acceperunt in calido corpore ab hasta defensiva, et quando de corpore Achillis pugnarunt, et in aliis proeliis toto decennio. Sed deceptio nocuit Aiaci,

---

13) accedat autem] sic (= Pind. δὲ . . . ἕρποι) Ed. 1563.; Ed. 1558. accedat autem veniens.

14) novisse] sic Ed. 1563. (= H. Steph., Heyne, qui vertunt: vibrasse); Ed. 1558. movere (= Boeckh.: vibrare); Pind. ὄρσαι.

15) ceu] sic scripsi (= Pind. ἅτε, Boeckh.: tanquam); Editt. 1558., 1563. male: seu.

16) glutines] sic Ed. 1558., quasi legisset Mel. κόλλα (Editt. Francof. 1542., Basil. 1556. habent κολλᾶ); Ed. 1563. glutinans; H. Steph. et Boeckh. exhibent in textu: κολλᾷ, in interpr.: glutinat.

17) in tuo luco] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. in tuo loco; Heyne et Boeckh.: inter delubra tua; Pind. ἐν τεμένεσσι . . . τεοῖς.

18) utraque] sic Ed. 1558. (= Pind. ἀμφοτέραις); Ed. 1563. utra.

19) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563.; Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. habent inscriptionem: *Δεινίᾳ, υἱῷ Μέγα, σταδιεῖ, Diniae, filio Megae, stadii cursori*; Editt. Boeckh., Bergk. *Δεινίᾳ Αἰγινήτῃ σταδιεῖ, Diniidi Aeginetae stadii cursori*; Heynii interpr.: *Diniae filio Megae, Aeginetae. Stadii Cursori.*

20) examini] sic (= Pind. βασάνῳ) Ed. 1563., H. Steph., Heyne, Boeckh.; Ed. 1558. male: ex animo.

et blandi sermones dolosi, et maleficum convicium, quod laedit praestantes, ignobiles leviter curat. (*Str.* 3.) Non sit mihi talis mos; sed simplicibus viis vitae ingrediar, et mortuis liberis relinquam gloriam, nec mala me fama attingat. Alii aurum, alii latos campos optant; ego vero opto me placentem civibus mori, et laudantem honesta, et vituperantem turpia. (*Ant.* 3.) Crescit autem virtus exaltata iuste a sapientibus, sicut arbor viridi rore ad liquidum aerem surgit. Usus autem multiplex est amicorum; maxime vero in periculis cernere fidelitatem ob oculos dulce est.

Tuam vero animam, o Mega, reducere (*Ep.* 3.) mihi non est possibile, ac inanes spes habent stultum exitum; sed tuae patriae et Chariadis fundare Musicam columnam arduam propter victorias in cursu quatuor. Gaudeo autem, mittens conveniens ornamentum operi. Nam carmine labor fit gratus. Erant hymni et laudationes etiam olim ante Adrasti et Thebanorum bella.

Ode IX.

Chromio Aetnaeo [21]).

(*Str.* 1.) Ibimus cantatum ab Apolline Sicyonio, Musae, ad instauratam Aetnam, ubi patent fores hospitibus completae, ad domum Chromii. Exigite igitur dulcem hymnum carminum, propter victorem matri et geminis fratribus, et spectatoribus altae Pythonis. (*Str.* 2.) Est autem sermo hominum, non occultanda esse egregia facta. Sed congruit carmen honestis argumentis. Sed per vices citharam et tibiam moveamus, quae sunt fines equestrium certaminum, quae Phoebo posuit Adrastus ad Asopi fluvium: quorum ego memor, magno honore celebrabo Adrastum, (*Str.* 3.) qui regnans in Sicyone, in festis et coetu fortium virorum et curribus ornabat urbem. Fugiebat enim Amphiaraum audacem, et seditionem domesticam ex Argo; nec erant domini filii Talai seditione oppressi. Sed litem sedat vir melior, (*Str.* 4.) cui dedit Eriphylen coniugem tanquam fidele pignus amicitiae. Deinde ad Thebas duxerunt exercitum non faustis auspiciis; nec Iupiter fulgur edens impulit ex domo stultos procedere, sed potius omittere hanc profectionem. (*Str.* 5.) Ad manifestam igitur cladem festinavit hic exercitus, cum aeneis armis et equis. In ripis autem Ismeni impedito reditu pinguefecerunt fumum, quia septem pyrae robustos viros absumpserunt. Sed Iupiter Amphiarao fulmine divisit terram, ut eum cum equis hiatu absorpserit, (*Str.* 6.) priusquam hasta Periclymeni percussus pudefieret. Nam in divinis terroribus fugiunt etiam Deorum filii. Si fieri possit, Iupiter, congressum cum Phoenicibus de vita et morte quam longissime remove; tribuas autem diu tranquillam vitam Aetnaeis, (*Str.* 7.) et da populo laetitiam. Sunt enim ibi equites, et qui habent mentes, quae antecellunt divitiis. Dico rem incredibilem. Verecundia enim lucro expellitur, quae gloriam affert Chromio. Nam qui fuit miles eius in proeliis pedestribus et equestribus et navalibus, potuit iudicare magna fuisse pericula pugnarum, (*Str.* 8.) quia in bellis illa Dea Verecundia armat eius animum bellicosum, ut pugnae malum depellat. Pauci autem possunt praesente caede deliberare, quomodo avertant nubem, videlicet hostilem aciem, manibus et consilio. Dicitur Hectoris gloria floruisse ad Scamandrum; sed prope arduas ripas Helori, (*Str.* 9.) ubi nominant homines Martis traiectum, lux emicuit Chromii in prima iuventa. Dicam alio tempore alia eius facta, in terra et in mari. Ex laboribus iustis in iuventute, fit senectuti placidum aevum. Sciat se nactum esse a Deo beatitudinem, (*Str.* 10.) qui habet cum divitiis gloriam. Nam mortalibus non conceditur, aliam speculam pedibus attingere. Tranquillitatem amant convivia, et recens victoria crescit molli cantilena. Vox est in convivio confidentior.

Aliquis infundat hymni inchoatorem calicem, (*Str.* 11.) et argenteis phialis vinum circumferat, quas equi acquisiverunt Chromio, et miserunt Apollini cum coronis ex Sicyone. Iupiter facito, ut celebrem hanc virtutem cum Gratiis, et super multas victorias praedicem eam carminibus, iaculans proxime ad scopum Musarum.

Ode X.

Theaeo, filio Ulii [22]).

(*Str.* 1.) Danai urbem, quinquaginta puellarum domicilium, Argos Iunonis domum, cele-

21) Sic haec Ode in Editt. 1558., 1563. est inscripta; in omnibus autem Pindari Editt. a me collatis haec nomina subsequitur vox *ἅρματι, curru.*

22) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563.; Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. ha-

brate, o Charites. Lucet innumeris virtutibus, propter fortia facta. Longae historiae sunt Persei de Medusa et Gorgone; multae in Aegypto urbes conditae sunt Epaphi[23]) manibus. Nec Hypermnestra erravit, sola retinens in vagina gladium. (*Ant.* 1.) Diomedem Pallas Deum fecit. Terra Thebis fulmine icta, excepit Amphiaraum belli nubem; et excellit formosis mulieribus Argos, quia Iupiter veniens ad Alcmenem et Danaen[24]), huius famae autor est, et patri Adrasti Talao, et Lynceo dedit sapientiam et iustitiam. (*Ep.* 1.) Iuvit et bellum Amphitryonis Iupiter, et socius factus est generis. Cum enim ferreis armis destruxit Teleboas, tunc ei assimilatus Iupiter, intravit in aulam, afferens semen intrepidum Herculis, cuius uxor Hebe in coelo prope matrem Iunonem incedens est. (*Str.* 2.) Non est autem tanta mea facundia, ut possim enumerare omnia honesta, quae habet templum Argivum. Difficile est autem sustinere fastidium. Attamen excitato lyram, et sume curam luctarum. Certamen aeneum hortatur populum ad sacrificium Iunonis, et ad certaminum iudicium, in quibus victor filius Uliae[25]) duas habuit victorias. (*Ant.* 2.) Vicit autem et caeteros Graecos in Pythone, et in Isthmiis et Nemeis coronam dedit Musis concinnandam: ter in Isthmiis, et ter in Nemeis. O Iupiter, quid amplius optet? Omnis enim successus penes te est, nec ignavo corde afferens audaciam, petit a te hoc donum. (*Ep.* 2.) Nota Deo cano, et ipsi victori, qui certat de cacumine certaminum. Habet autem Pisa supremam Herculis legem, et suaves voces Atheniensium per intervalla bis eum in sacrificiis laudaverunt.

Fuit autem praemium victoriae, urceus igni coctus, qui venit ad Argos inter multa vasa. (*Str.* 3.) Sequitur gloria certaminum vestrum genus maternum, una cum Gratiis et Tyndaridis frequenter. Ac dignus ego existimer, non occultare laudes horum, cum cognatus sum Thrasycli et Antiae Argivorum. Quot enim victoriis illa Proeti urbs equestris floruit in Corinthi angulo, et quater in Nemeis? (*Ant.* 3.) ex Sicyone honorati argenteis phialis processerunt, ex Pellene Achaica induti mollibus filis. Aeris autem copiam non possum recitare; maioris enim est otii numerare, quid Clitor, et Tegea, et altae urbes Achaicae donaverint, et quantum dederit Lycaeum apud aram Iovis vincentibus manuum et pedum robore. (*Ep.* 3.) Cum enim Castor et Pollux fuerint hospites apud Pamphaën, generis tui autorem, non est mirum posteris insitum esse, ut fiant boni athletae, quia Castor et Pollux custodes Spartae, cum Mercurio et Hercule gubernant sortem certaminum, et convivia victorialia. Valde enim curant viros iustos, quia Deorum genus fidele est. (*Str.* 4.) Permutantes enim vices, alterum diem Iovi tribuunt, alterum in specubus terrae in cavis locis Therapnes degentes, similem conditionem habent, quia Pollux hunc vitae modum potius elegit, quam sine fratre in coelo esse[26]), cum Castor in proelio interfectus esset. Nam Idas iratus propter boves, vulneravit cuspide hastae Castorem. (*Ant.* 4.) A Taygeto enim pede speculans vidit Lynceus in trunco querno sedentes Castorem et Pollucem. Oculi enim Lyncei acutissimi erant, prae omnium hominum oculis. Velocissimis pedibus Lynceus et Idas ad Castorem et Pollucem venerunt, et magnum opus conati sunt celeriter, et gravia passi sunt. Mox enim venit Pollux, interfecto Castore; isti autem restiterunt prope tumulum patris, (*Ep.* 4.) unde acceptam Plutonis saxeam statuam proiecerunt in pectus Pollucis; sed eum non colliserunt, neque represserunt. Incitatus igitur, adegit telum in latus Lyncei. Iupiter vero deiecit in Idam fumosum fulmen. Simul autem combusti sunt Lynceus et Idas, deserti. Adeo difficile est homini, pugnare cum potentioribus. (*Str.* 5.) Celeriter autem Pollux ad fratrem rediit, et eum nondum mortuum deprehendit, sed anhelitu rigentem. Effundens autem calidas lacrymas inter gemitus, altum clamat: Quis erit finis luctuum? Mihi etiam mortem infligas, o Iupiter. Orbato enim amicis periit honos. Pauci homines in rebus adversis fideles sunt, (*Ant.* 5.) ut socii sint periculorum. Sic dixit. Iupiter autem ad eum venit, et dixit haec verba: Tu meus

---

bent inscriptionem: *Θειαίῳ παιδὶ Οὐλίου, παλαιστῇ*, et Heynii interpr.: *Thiaeo, filio Uliae. Luctatori*; at Editt. Boeckh., Bergk. *Θεαίῳ Ἀργείῳ παλαιστῇ, Theaeo Argivo luctatori.*

23) Epaphi] sic Ed. 1558. (= Pind. *Ἐπάφου*); Ed. 1563. male: Epavi.

24) Danaen] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. Danaem.

25) Uliae] sic (= Pind. *Οὐλία*) Ed. 1563., H. Steph., Heyne, Boeckh.; Ed. 1558. Ulii (ut in inscriptione).

26) esse] sic Ed. 1558., et interprett. H. Steph., Heynii, Boeckhii; Ed. 1563. esset.

filius es; hunc vero Tyndarus maritus, accedens ad matrem tuam, mortale semen stillavit. Sed tamen hanc electionem tibi tribuo, si sine morte, sine molesta senecta vis in coelo esse, cum Pallade et Marte, (*Ep.* 5.) frui hoc bono potes. Sed si pro fratre vis proeliari, et tribuere ei aequalem portionem omnium, per vices aliàs spirato sub terra, aliàs in aureis coeli sedibus. Haec cum dixisset Iupiter, non dubitavit Pollux; sed mox aperuit oculum galeati fratris, et vocem ei reddidit.

Ode XI.

Aristagorae Tenedio, filio Arcesilae[27]).

(*Str.* 1.) O Vesta, filia Rheae, Iovis et Iunonis soror, quae curiam custodis, excipito Aristagoram in thalamum tuum, et eius collegas, qui prope sunt cum sceptro, qui te honorantes custodiunt Tenedum, (*Ant.* 1.) saepe libationibus et fumis te primam Dearum venerantes, sonante cithara et cantu in sacrificio Iovis hospitalis. Tu, inquam, Vesta efficito eis magistratum anni gloriosum, et sine dolore. (*Ep.* 1.) Beatum duco patrem Arcesilam, et speciosum corpus, et Atremiam cognatum. Si quis divitias habens, et forma antecellit aliis, et victor est in certaminibus: is meminerit, se circumdatum esse mortalibus membris, et tandem terram[28]) subiturum esse. (*Str.* 2.) Sed celebratio bonorum sermonibus convenit, et dulcibus carminibus variata canere. Et ex vicinis victoriae sedecim coronarunt Aristagoram, et nobilem patriam, in lucta et pancratio. (*Ant.* 2.) Spes parentum segniores iuvenem impedierunt experiri certamina in Pythone et Olympiis. Per meum iuramentum, et per meam opinionem dico, rediturum fuisse ex Pythiis et Olympiis pulchrius, quam alii antagonistae rediissent, (*Ep.* 2.) et celebraturum fuisse quinquennale festum institutum Herculi, ligata coma purpureis ramis. Sed alios homines iactantia inanis privat bonis: alios frustratur verecundia, diffisa propriis viribus, ceu manu retro trahens. (*Str.* 3.) Facile erat coniicere, ortum eum esse ex Pisandri sanguine, ex Sparta; (ab Amyclis enim profectus est cum Oreste, huc ducens exercitum Aeolicum) et pendere genus a Melanippo materno avo, ad Ismeni fluenta. Antiquae virtutes (*Ant.* 3.) propagantur, sed mutantes robur per intervalla. Nam nec nigra arva gignunt continuo fruges, nec arbores singulis annis florem generosum ferunt divitiis similem, sed per vices: sic fata et hominum virtutem per vices reducunt. (*Ep.* 3.) Nec eventus a Iove ordinati nobis noti sunt; sed tamen superbe multa magna opera tentamus. Membra enim nostra alligata sunt impudenti spe, et providentia remota est. Oportet igitur mensuram negotiorum venari. Maior enim est insania, concupiscere impossibilia.

---

27) Sic haec Ode in Editt. 1558., 1563. inscripta est; Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. habent inscriptionem: Ἀρισταγόρᾳ πρυτάνει Τενεδίῳ, υἱῷ Ἀρκεσίλα, quacum congruit Heynii: *Aristagorae Prytani, Tenedio, filio Arcesilae*; Editt. Boeckh., Bergk. autem: Ἀρισταγόρᾳ Τενεδίῳ πρυτάνει, *Aristagorae Tenedio Prytani*.

28) terram] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. terra in.

LXXXIV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO ISTHMIORUM PINDARI.

Haec interpretatio latina Melanthonis in duabus illis Editt. 1558., 1563. supra p. 187 sq. descriptis exstat, quibuscum Pindari Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566., Boeckhii et Bergkii, atque interpretationes H. Stephani, Heynii et Boeckhii quibusdam in locis contuli. Stropharum, Antistropharum Epodonque numeros, quibus illae duae Editt. interpretationis Mel. carent, ex Boeckhii interpretatione adscripsi.

PINDARI ISTHMIA
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

Ode I.

Herodoto Thebano [1]).

(*Str.* 1.) Mater mea Thebe, tenens aureum clypeum, tuum opus anteponam aliis negotiis, ne mihi aspera Delos succenseat, in qua fudi aliquid gratum bonis parentibus. Cede insula Apollini dicata: iungam utrumque beneficium, Deo iuvante, (*Ant.* 1.) et intonsum Phoebum celebrans in circumflua Ceo cum insulanis, et iugum Isthmi, postquam sex coronas dedit exercitui Cadmi, ex certaminibus decus patriae victoriale, in qua intrepidum Alcmena filium peperit, (*Ep.* 1.) quem timuerunt Geryonae canes. Ego autem Herodoto hoc carmen apparans, donum currui, qui habenas suis manibus rexit, volo eum adiungere Castori vel Iolao. Hi enim et in Lacedaemone et Thebis aurigae praestantissimi nati sunt, (*Str.* 2.) et in certaminibus plurima nacti sunt praemia. Fulget clara virtus in stadiis et in cursibus: (*Ant.* 2.) quam fortiter manibus iaculabantur hastas, et discos iaciebant! Non enim tunc erat pentathlum, sed quaelibet certamina habebant suas coronas: propter quae saepe coronati conspecti sunt ad Dirces fluenta et ad Eurotam, (*Ep.* 2.) Iphiclis filius, civis Thebanorum, et Castor, habitans Therapnen [2]) inter Achaeos. Salvete Heroes. Ego autem Neptuno et Isthmo et Onchesti littori curans hymnum, celebrabo miram fortunam patris Asopodori, (*Str.* 3.) et Orchomeni patriam terram, quae ipsum extrusum naufragio ex immenso sale in horrida fortuna excepit. Nunc rursus eum fortuna ad priorem tranquillitatem reduxit. Fit autem cautior, qui semel adversa passus est. (*Ant.* 3.) Cum virtus omni modo his duobus constet, sumptu et labore: oportet his, qui eam habent, gloriam tribuere non invidis mentibus. Leve enim donum est sapienti, pro variis laboribus dicenti laudes celebrare commune bonum. (*Ep.* 3.) Aliis negotiis alia praemia sunt: pastori, agricolae, aucupi, piscatori: hi fructum hunc habent, ut famem depellant; sed victor in certaminibus et proeliis hoc accipit praemium, ut hymnis civium et hospitum laudetur. (*Str.* 4.) Nobis autem convenit per vices Neptunum celebrare, et tuos filios

---

1) Haec Odae inscriptio, quam Editt. 1558., 1563. exhibent. congruit cum Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566., quae habent Ἡροδότῳ Θηβαίῳ; in Editt. Boeckhii et Bergkii, atque in illius et Heynii interpr. additur vox ἅρματι, *curru*.

2) Therapnen] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. Therapnem.

Amphitryo, et angulum Minyae, et Eleusinen nemus Cereris, et Euboeam propter victorias in cursu, (*Ant.* 4.) et tuum lucum Protesilae in Thessalia annumero. Sed hymni brevitas non concedit omnes victorias Herodoti recitare. Certe saepe tacere plus affert gratiae. (*Ep.* 4.) Utinam alis Pieridum elatus, et ex Pythiis et ex Olympiis manu stipatus ramis [3]) oleae honorem Thebis afferas. Si quis intus clam divitias coacervat, et incidens in alios deridet eos, non cogitat, quod animam sine gloria Plutoni pendat.

Ode II.

Xenocrati Agrigentino [4]).

(*Str.* 1.) Veteres, qui Musarum conscenderunt currum, tenentes citharam, facile dulces pueriles hymnos miserunt, si quis formosus habuit maturam aetatem procam Veneris. (*Ant.* 1.) Tunc enim Musa non erat avara, nec mercenaria; nec vendebantur Terpsichorae cantilenae deargentatae facies. Nunc vero Musa concedit servare dictum Argivi viri, quod proxime ad veritatem accedit: (*Ep.* 1.) Pecuniae, pecuniae vir. Sic dixit facultatibus et amicis destitutus. Sed ipse sapiens es. Non ignota autem cano [5]), videlicet Isthmiam equestrem victoriam, quam Xenocrati Neptunus ex Dorico apio misit, comis eius coronam, (*Str.* 2.) honorans equestrem virum, lumen Agrigentinorum. In Crisa eum vidit Apollo, et victoriam ei dedit, et ibi accommodatis Gratiis Atticis Athenis, non accusavit aurigae laxam manum, (*Ant.* 2.) quam Nicomachus opportune agitat omnibus habenis. Hunc et praecones Olympici noverunt, sacrificuli Iovis in Elide, qui eum hospitaliter exceperunt aureis genubus, appropinquantem Victoriae (*Ep.* 2.) per suam terram, quam nominant Iovis nemus, ubi filii Aenesidemi immortalibus honoribus affecti sunt. Non enim vobis ignotae sunt aedes hymnorum et carminum, o Thrasybule. (*Str.* 3.) Non aspera via est canere laudes clarorum virorum. Ego igitur tam procul iaculari sermonem potero, quantum Xenocrates caeteros dulcedine morum superat. Est enim venerandus civibus, (*Ant.* 3.) et in Graecis conventibus equestria certamina regit, et omnes Deorum festos dies amplectitur, nec unquam vela aufert hospitibus secundo vento advenientibus. In aestate navigat ad Phasim, in hyeme ad Nilum. (*Ep.* 3.) Nec vero, quia invidia pendet in animis hominum, paternam virtutem sileat quispiam, nec hymnos, quia non tardos feci. Haec dicito, cum veneris ad meum familiarem hospitem.

3) ramis] sic Ed. 1558.; Ed. 1563. ramus.

4) Hanc Odae inscriptionem exhibent Editt. 1558., 1563.; et Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. atque Heynii interpr.; in Boeckhii autem et Bergkii Editt. addita est vox *ἅρματι*, *curru*.

5) cano] sic Ed. 1558. (= Pind. *ἀείδω*); Ed. 1563. mendo typogr.: cana.

Ode III.

Melisso Thebano [6]).

(*Str.* 1.) Si quis hominum fortunatus sive in gloriosis certaminibus, sive in divitiis, retinet in animo petulantem saturitatem [7]), dignus est civium laudibus. O Iupiter, ex te comitantur magnae virtutes, et durabilior est felicitas eorum, qui futura curant. Perversis vero mentibus non omni tempore adest florens prosperitas. (*Ant.* 1.) Decet autem bonos, honestorum operum praemia celebrare, et canentem amabilibus Gratiis afferre. Habet autem Melissus sortem duorum certaminum, qua cor ad dulcem laetitiam flectit. Accepit coronam in Isthmi valle, deinde in prato Nemeae; ornavit Thebas praeconio (*Ep.* 1.) propter victoriam equestrem, nec dedecorat generis virtutem. Scitis enim Cleonymi gloriam veterem in curru, et materno genere a Labdacidis participes divitiarum excellebant quadrigis. Aetas autem revolutione dierum alia aliàs mutat; sed Deorum filii sunt invulnerabiles.

Ode IV.

Eidem Melisso [8]).

(*Odae* III. *Str.* 2.) Sunt mihi, Deo iuvante, multae viae ubique, o Melisse. Facultatem

6) Sic haec Ode in Editt. 1558., 1563. est inscripta; in Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. addita est vox *ἵπποις*, in Heynii interpr. *quadrigis*, in Boeckhii et Bergkii Editt. *παγκρατίῳ*, *pancratio*.

7) petulantem saturitatem] sic Ed. 1563.; Ed. 1558. luxam saturitatem; Pind. *αἰανῆ κόρον*, quae verba Boeckhius interpretatur: molestam insolentiam.

8) Sic haec Ode in Editt. 1558., 1563. et in Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. atque in Heynii interpr. inscripta est; at in Boeckhii et Bergkii Editt. haec cum praecedenti in unam est coniuncta, quapropter quatuor eius Strophae cum Antistrophis Epodisque in his Editt. signatae sunt: Odae III. Strophae, Ant., Ep. 2 — 5.

enim tu mihi ostendisti, ut hymno vestras virtutes persequar, quibus perpetuo florentes Dei auxilio [9]) posteri Cleonymi mortalem vitam transigunt. Aliquando autem alius ventus surgens agitat. (*Ant.* 2.) Thebis quidem honorati ex antiqua stirpe celebrantur, et hospites vicinorum, et alieni a tumultuante iniuria. Quaecunque vero testimonia feruntur de maxima virtute virorum mortuorum, haec attigerunt isti. Domo usque ad columnas Herculis pervenerunt gloria, (*Ep.* 2.) nec ulterius extendenda est virtus. Et fuerunt equites, et aeneo Marti placuerunt; sed uno die aspera belli tempestas quatuor viris orbavit beatam domum. Nunc rursus post hybernam caliginem terra floret, velut purpureis rosis, (*Odae* III. *Str.* 3.) divino consilio. Neptunus vero habitans Onchestum, et pontem maris ante Corinthi moenia, praebens hunc hymnum generi electo, reducit veterem famam egregiorum operum. Fuerat enim sopita; sed excitata colore lucet, sicut Lucifer splendet inter alias stellas. (*Ant.* 3.) Quae fama et Athenis civilem victoriam nuntians, et in Adrasti certaminibus, praebuit illi aetati carmina. Nec retraxerunt tui maiores currus a publicis conventibus, et certantes inter Graecos sumptu equorum gaudebant. Eorum enim, qui nihil experti sunt, oblivio est; (*Ep.* 3.) sed fortuna pugnantium ante finem incerta est. Finem enim dat fortuna, et fraus deprehendens aliquando evertit fortiorem per deteriores. Scitis Aiacis necem, quam faciens suo ense, probrum reliquit omnibus Graecis apud Troiam. (*Odae* III. *Str.* 4.) Sed Homerus eum apud homines laudavit, qui omnem eius virtutem ad virgam carminum recitavit, posteris celebrandam. Fit enim carmen immortale, si quis aliquid bene et utiliter dixit, et inextinguibilis splendor factorum, transit per terram et per mare. (*Ant.* 4.) Utinam habeam benevolas Musas, ut lampada hymnorum accendere possim Melisso, filio Telesiadae. Audacia enim similis leonum in venando, consilio vero [10]) vulpes, quae iacens supina moratur impetum aquilae. Oportet enim omnia facere repellendi hostis causa. (*Ep.* 4.) Non habet Melissus Orionis corpus, sed deformi specie est; et olim Hercules brevior, sed invictus, ad Antaei domum in Libyam ex Thebis venit, ut dimicans compesceret Antaeum, qui ex hospitum craniis templum Neptuno fecerat. (*Odae* III. *Str.* 5.) Qui cum invenisset latitudinem totius terrae et maris, et pacasset mare navigationibus, ascendit in Olympum; et nunc habitat apud Iovem beatam domum, tranquillam vitam agens, honoratus et charus Diis, et Heben dedit Iupiter genero Iunonis. (*Ant.* 5.) Huic supra portas Thebanas convivium parantes cives, et novas aras augemus, sacrificia interfectorum octo fortium, quos pepererat ei Megara, filia Creontis, quibus in occasu solis flamma oriens lucet, tota nocte odorato fumo feriens aetherem; (*Ep.* 5.) et sequens dies constitutus est annuis certaminibus, ubi coronatus myrto hic vir Melissus duplicem victoriam adeptus est, cum antea ex adolescentibus tertiam nactus esset consilio aurigae gubernatoris. Cum Orsea igitur Melissum laudabo, iucundam stillans gratiam.

Ode V.

Phylacidae Aeginetae [11]).

(*Str.* 1.) Inclyta mater Solis Thia, propter te aurum existimant homines excellentius aliis metallis. Nam et naves contendentes in mari, et in curribus equi, propter tuum honorem in certaminibus mirandi sunt; (*Ant.* 1.) et in spectaculis adeptus est gloriam victor manibus et celeritate pedum, cui coronae ligarunt comam. Victoria autem a Deo est. Duo autem sunt, quae difficilem vitae florem fovent, et beatum faciunt: (*Ep.* 1.) si quis bene se habens, etiam celebretur. Nec velis Iupiter fieri. Omnia habes, si bona illa habes: mortalia mortalibus congruunt. Tibi vero in Isthmo duae victoriae contigerunt, o Phylacida, et duas in Nemeis ex Pancratio adeptus est Pytheas. Sed meum cor non sine Aeacidis hymnos de hac honesta urbe attingit. Veni cum Gratiis ad Lamponis filios, (*Str.* 2.) cum vita eorum peracta sit in puritate operum, quae Deus eis dedit. Ne invideas eis pro laboribus convenientes laudes tribui. Etiam insignes Heroes alii lucrati sunt laudes, et celebrantur citharis et tibiis (*Ant.* 2.) omni tempore. Heroes, qui coluntur, prae-

9) Dei auxilio] sic (= Pind. σὺν θεῷ) Ed. 1558.; Ed. 1563. mendo typogr.: Deo auxilio.

10) vero] sic (= Pind. δ') Ed. 1563.; in Ed. 1558. deest.

11) Huic inscriptioni, quam Editt. 1558., 1563. exhibent, in Pind. Editt. omnibus a me collatis additur παγκρατίῳ, *pancratio*. In Boeckhii et Bergkii Editt. haec Ode V. propter duas praecedentes in unam coniunctas est Ode IV.

bent poetis laborem propter Iovem. Apud Aetolos in sacrificiis Oenidae, Thebis eques Iolaus honorem habet, Perseus in Argo, Castor et Pollux ad Eurotam; (*Ep.* 2.) sed in Aegina filii Aeaci, qui bis urbem Troiam expugnarunt, primum comitati Herculem, postea Atridas. O Musa, nunc ago currus per planos campos; dic, quis Cygnum, quis Hectorem occiderit, quis Memnonem, ducem Aethiopum audacem, quis Telephum vulneraverit sua hasta, in ripa Caici. (*Str.* 3.) Illi videlicet, qui patriam habent Aeginam. Turris iam olim eis extructa est, quam altis virtutibus ascendunt. Habet et lingua mea multas sagittas, sonare circa illa tropaea. Et nunc in bello testimonium est virtutis Aeginetarum, Aiacis civitas Salamis, defensa a nautis (*Ant.* 3.) in exitiali imbre et grandine innumerabilium virorum. Sed gloriationem silentio mergito; haec et illa tribuit Iupiter, Iupiter omnium dominus. Victoriae amant, ut mella, victoriales hymnos. Pugnet et alius strenue laborans, (*Ep.* 3.) ut Cleonicus, discens genus in certaminibus. Non extinguitur magnus labor virorum, neque memoria sumptuum bonae spei acuit curam. Laudo et Pythea, inter instructores idoneum regere ictus, manibus et consilio pollentem; apprehende in coronam, et villosam mitram, et mitte recentem hymnum.

Ode VI.

Phylacidae, Pytheae, Euthymeni [12]).

(*Str.* 1.) Secundum calicem carminum, ut in convivio, ponimus, pro filiis Lamponis. In Nemeis enim primum calicem tibi, o Iupiter, posuimus, accepto flore coronali. Nunc alterum in Isthmo tibi Neptuno, et quinquaginta Nereidibus, cum vicit iunior Phylacides. Utinam et tertium calicem Iovi Servatori liceat in Aegina libare [13]) cum carminibus. (*Ant.* 1.) Si quis sumptu et labore laetatus, divinas virtutes perficit, et ei Deus amabilem gloriam serit, is ancoram iecit ad summam beatitudinem, a Deo honore donatus. Hos mores habens optat Cleonici filius, senectam et mortem. Ego autem oro Parcas, ut vota chari hominis sequantur. (*Ep.* 1.) Iam, o Aeacide, dico, mihi ius clarissimum esse, accedenti in hanc insulam, adspergere vos laude. Sunt autem multae et amplae viae laudandi honesta facta ultra Nilum, et ultra Hyperboreos. Nec ulla est tam barbarica civitas, aut peregrinae linguae, quae non audierit Pelei laudes, (*Str.* 2.) neque quae Aiacis aut patris laudes non audierit, quem Hercules cum Argivis ad Troiam duxit socium propter Laomedontis delictum. Cepit autem Pergama, et occidit Coorum gentem, et bubulcum monti aequalem Alcyonea, inventum in Phlegris; nec pepercit arcui suo. (*Ant.* 2.) Vocans autem Telamonem ad navigandum, praeconium facit omnibus convivantibus. Iubet autem Telamon Herculem, stantem in pelle leonis, incipere libationem nectaris, et tradidit ei poculum aureum. Hercules autem tendens manus invictas ad coelum, dixit haec verba: Si unquam, Iupiter, meas preces libenter audivisti, (*Ep.* 2.) nunc tibi supplico sacris precibus, ut fortem filium des huic Telamoni; ipsi vero tribuas, ut feliciter fatale tempus perficiat, et sit ei fortitudo invicta, et comitetur et maneat animus, sicut illi, quem circumdat haec pellis leonis, quem in primo certamine in Nemea occidi. Haec cum dixisset, misit ei Iupiter aquilam, ducem avium. Quare ipse valde laetatus est, (*Str.* 3.) et dixit Hercules ut vates: Erit tibi filius, quem petis, et eum a conspecta ave nominato fortem Aiacem, terribilem in proeliis. Sic fatus, consedit. Mihi vero longum esset, omnes virtutes horum narrare. Veni enim, o Musa, ut dispensator laudum Phylacidae et Pytheae et Euthymenis. Dicetur autem brevissime, Argolico more. (*Ant.* 3.) Tulerunt enim victorias ex pancratio, tres in Isthmo, et alias in Nemeis, filii et avunculi. Qualem vero sortem hymnorum reduxerunt in lucem? Et rigant familiam Psalychiadarum rore Gratiarum, et regentes domum Themistii habitant Aeginam. Lampon vero tribuens diligentiam omni negotio, maxime veneratur dictum Hesiodi, et filiis narrat, (*Ep.* 3.) ornans patriam: et charus hospitibus, mediocritatem mente sectans, et mediocritatem retinens, nec lingua extra mentem vagatur. Dixeris eum inter athletas esse, ut inter lapides cotem Naxiam. Po-

---

12) Sic haec Ode in Editt. 1558., 1563. inscripta est; in Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556.; H. Steph. 1566. et in Heynii interpr. tertio nomini additur *μάτρῳ*, *avunculo*; at in Editt. Boeckh., Bergk. legitur haecce inscriptio: *Φυλακίδᾳ Αἰγινήτῃ παγκρατίῳ*, *Phylacidae Aeginetae pancratio.* Haec Ode VI. in his duabus Editt. signatur: Ode V.

13) libare] sic Ed. 1563. et Boeckhii interpr.; Ed. 1558. libari.

tabo eos pura aqua Dirces, quam filiae Mnemosynes produxerunt apud Cadmi portas.

Ode VII.

Strepsiadae Thebano [14]).

(*Str.* 1.) Quo viro, aut facto honesto veteri, Thebe praecipue laetaris? an quod peperisti Bacchum, Cereris comitem? an quod excepisti media nocte Iovem ningentem aurum, (*Ant.* 1.) quando ad Amphitryonis uxorem accessit, ut Herculem gigneret? aut quod Tiresiam vatem habuisti, aut Iolaum equitem? aut propter bellicosos Spartos, ex draconis dentibus natos? aut quod Adrastum, ex pugna orbatum (*Ep.* 1.) magno exercitu, remisisti ad Argos? aut quod Heraclidis addidisti Aegidas, coloniam ducentibus ad Lacedaemonem, cum Aegidae ceperunt Amyclas? Sed vetus gratia dormit, et homines sunt immemores, (*Str.* 2.) quando non accedit flos sapientiae cum carminum flumine. Canito deinde dulcem hymnum cum Strepsiade. Nam ex Isthmo victoriam pancratii habet robore admirandus, et specie et forma, virtutem ostendit non indecoram pulchritudini corporis. (*Ant.* 2.) Et nunc fulget Musarum honore; et avunculo eiusdem nominis dat commune decus, qui in proelio mortuus est. Honos autem pro benefactis reponitur. Qui in tali nebula grandinem sanguinis a patria repellit, (*Ep.* 2.) hostibus reddens contrarium exitium, is sciat se apud cives augere gloriam, sive vivat, sive occubuerit. Tu vero Diodoti fili, referens Meleagrum et Hectorem et Amphiaraum, exspirasti (*Str.* 3.) in acie, ubi praestantissimi proeliati sunt, et extrema spe sustinuerunt mortem. Sed nunc Neptunus dedit serenitatem [15]), post tempestatem. Canam igitur sumpta corona, nec mihi Dii invideant; (*Ant.* 3.) sed quaerens quotidie vitam dulcem, tranquillus [16]) veniam ad senectam et ad fatale tempus. Omnes enim morimur, et fortuna incerta est. Si quis autem longinqua spectat, minor est, quam ut in coelum ascendat, quia alatus Pegasus excussit dominum Bellerophontem, (*Ep.* 3.) volentem in coeli stationem ingredi, ad colloquium Iovis. Nam voluptatem iniustam amarus exitus sequitur. Tu autem Apollo nobis tradito et in Pythio certamine coronam.

Ode VIII.

Cleandro Aeginetae [17]).

(*Str.* 1.) Cleandro quispiam, et iuventuti eius, emat laborum praemium, accedens ad vestibulum patris eius, et colligat laudes victoriarum in Isthmiis et Nemeis, quia victoriis potitus est: et ego, quamquam lugeo mortem patris eius, tamen Musam posco. Soluti enim magno luctu, non maneamus sine coronis, neque luctui indulgeas. Omisso enim inutili dolore, hilaritatem in publico ostendamus post laborem, cum Deus Tantalium lapidem nobis super caput advolverit: (*Str.* 2.) videlicet bellum Graeciae. Sed mihi praeteritum dolorem finivit praesens victoria. Semper enim res praesens magis movet animum. Fortuna enim incerta est, volvens vitae cursum, et salva libertate haec mala sananda sunt. Ac oportet viros retinere spem bonam. Oportet autem me Thebis educatum tribuere gratum munus Aeginae, propter patrem. Fuerunt enim geminae Asopi filiae, Thebe et Aegina, minores natu, quae Iovi placuerunt, quando Asopum ducem constituit ad Dircen. (*Str.* 3.) Aeginam vero transferens in Oenopiam, ubi peperit venerandum Aeacum Tonanti, qui et iudicia Deorum administravit; cuius filii fuerunt praestantissimi viri, et filii filiorum fortitudine proelia facere periti fuerunt, et fuerunt sapientes. Haec meminerunt et Dii, quando Iupiter et Neptunus contenderunt de nuptiis Thetidos [18]); amore enim tenebantur. Sed Dii non concesserunt eis hunc thalamum, (*Str.* 4.) postquam fata consuluerunt. Dixit enim Themis, fatum esse, ut Thetis pariat filium fortiorem patre: si ex Iove concipiat, telum fulmine fortius missurum esse; tridentem vero invictum, si ex Neptuno concipiat. Desinite ergo contendere. Sed nacta mortalem virum, videat mortalem

14) Huic inscriptioni, quam Editt. 1558, 1563. exhibent, in omnibus, quas contuli, Editt. Pind. additur παγκρατίῳ, *pancratio*. In Editt. Boeckh. et Bergk. haec Ode VII. est Ode VI.

15) serenitatem] sic (= Pind. εὐδίαν) Ed. 1558., H. Steph., Heyne, Boeckh.; Ed. 1563. severitatem.

16) tranquillus] sic (= Pind. ἕκαλος) Ed. 1558., Heyne, Boeckh.; Ed. 1563. tranquillius.

17) Sic haec Ode inscripta est in Editt. 1558., 1563. et in Pind. Editt. Francof. 1542., Basil. 1556., H. Steph. 1566. atque in Heynii interpr.; at in Boeckhii et Bergkii Editt. additur παγκρατίῳ, *pancratio*. In his duabus Editt. haec Ode est septima.

18) Thetidos] sic scripsi (Heyne, Boeckh: Thetidis); Editt. 1558., 1563. Thetios.

filium similem Marti in pugnis, et similem fulguri robore pedum. Meum est, dare eam Peleo Aeacidae [19]) coniugem, quem ferunt iustissimum ali in campo Iolci. (*Str.* 5.) Eant autem nuntii mox in antrum Chironis, nec filia Nerei nobis rursus certamina praebeat. Vespere autem plenilunii, solvat frenum virginitatis apud Heroem. Sic locuta est Themis ad Saturni filios; illi vero palpebris annuerunt; nec periit fructus sermonis. Dicunt enim, regem iunxisse nuptias Thetidos, et docti viri celebrarunt novam virtutem Achillis, ipsis ignorantibus: quod et Mysium nigra caede, vitiferum campum conspergens, vulnerato Telepho cruentarit, (*Str.* 6.) et construxerit reditum Atridis, et Helenam solverit, nervos Troiae excindens, qui ipsam Troiam defenderant proeliantes in pugnis: videlicet Memnonem, Hectorem, et alios duces, quibus denuntians mortem Achilles, Aeginam suam admirandam ostendit: quem nec mortuum destituerunt carmina, sed ei ad rogum adstiterunt virgines Heliconiae, et fuderunt celebrem lamentationem. Visum est igitur Diis, virum praestantem etiam mortuum tradere hymnis Dearum. (*Str.* 7.) Ideo et nunc Musarum currus celebrat, et promptus est sonare pugilis memoriam, et eum honorare, qui nactus est Doricam coronam ex apio in Isthmiis, quia vicinos vicit, invicta manu fugans, nec dedecorat genus patruelis. Aliquis etiam iuvenum ex myrto nectat coronam Cleandro, quia et nunc in Alcathoi agone felix fuit, et eum prius in Epidauro iuventus excepit, et praebet eum laudandum bonis. Adolescentiam enim non ignavam in palaestra honestorum iuvenum exercuit.

19) Aeacidae] Ed. 1563. Aeacide.

LXXXV. PHIL. MEL. INTERPRETATIO ALIQUOT LOCORUM EMPEDOCLIS, ARATI ET OPPIANI.

A *melicis* poetis graecis ad *didacticos* transimus, ex quibus in tabula supra Vol. XVIII. p. 119 sq. proposita commemoravimus hosce tres: 1. Empedoclem, 2. Aratum, 3. Oppianum, quorum locos nonnullos Melanthon latinos reddidit.

A. Empedoclis duo loci a Melanthone latine versi sunt:

1. Quatuor versus ex eius libro primo Physicorum (*Empedoclis* Carminum vss. 94. 95. 98. 99. Ed. Karsten. *), sive vss. 40. 41. 43. 44. Ed. Sturz. **)).

Horum versuum interpretatio latina, contextu graeco addito, invenitur

a. in Grathusii collectione Epigramm. Mel. fol. L 7[b];

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 2[b], ubi aeque ac apud Grathusium sic est inscripta: „Elementa contrarias habent qualitates, et pugnant inter se, ex Empedocle."

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 665. nr. 376. inscripta: „De elementis, ex Empedocle."

2. Versus *Empedoclis*: *Φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελαχυῖα* ***), quem in Editt. Sturz. et Karsten. non inveni.

Huius versus interpretatio latina Mel., verbis graecis praemissis, inscripta: „Versus Empedoclis." exstat

a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. M 1[a];

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 4[a];

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 663. nr. 371.

---

*) Philosophorum Graecorum veterum praesertim qui ante Platonem floruerunt operum reliquiae. Recensuit et illustravit Simon Karsten. Volumen II. Empedocles. Amstelodami 1838. 8. p. 98.

**) Empedocles Agrigentinus. De vita et philosophia eius exposuit carminum reliquias — collegit recensuit illustravit — Frid. Guil. Sturz. 2 Tomi. Lips. 1805. 8. T. II. p. 515.

***) *λελαχυῖα*] sic apud Grathus. et Vincent.; in Corp. Reform. l. l. male legitur: *λελαχόνια*.

DUO LOCI EMPEDOCLIS
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. Empedoclis Carm. vss. 94. 95. 98. 99.

Iungit amor quandoque elementa et semina rerum,
Dissiliunt odiis eadem certantia rursus,
Sic res gignit amor, sed non durabile quidquam
Nascitur, inque vices mutantur cuncta subinde.

2. Empedoclis versus.

Vana[1]) sonans adfert saevas discordia caedes.

vel sic:

Incedit passim mala lis et inania garrit[2]).

---

1) Vana] sic Vincent.; Grathus. Vano; Corp. Ref. Vane.
2) Haec altera interpretatio apud Vincent. et in Corp. Ref. priorem subsequitur praemissis verbis: *vel sic*; a Grathusio non affertur.

B. Arati quoque duos locos Melanthon in latinum sermonem convertit:

1. *Arati Διοσημεῖα* vss. 36—40. (vel Arati Carminum omnium vss. 768—772.) Ed. Buhle.
Huius loci interpretatio latina Mel. exstat
a. in Grathusii collectione Epigramm. Mel. fol. M 7[b];
b. in Vincentii Ed. eorum fol. M 2[b];
c. in Scriptis publ. Acad. Witeb. Tom. III.*) fol. Kk 2[a], ubi aeque ac in duobus prioribus libris sic est inscripta: „Arati carmen, a Philippo Melanth. redditum" (sine contextu graeco);
d. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 604 sq. nr. 248. sic inscripta: „Versus ex Arato Latinis versibus redditi a Philippo Melanthone." textu graeco subiuncto.

2. *Arati Διοσημεῖα* vss. 358—361. (vel *Arati* Carminum omnium vss. 1090—1093.) Ed. Buhle.
Horum versuum interpretatio latina Mel., textu graeco praefixo, exhibetur inscripta: „Ex Arato de Cometis."
a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. M 1[a];
b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 4[a];
c. in huius Corp. Ref. Vol. X. p. 544. nr. 124.

*) Scriptorum publice propositorum a Gubernatoribus studiorum in Academia Wittebergensi. Tomus tertius. Complectens annum 1556. et tres sequentes. Witebergae excusus in officina Laurentii Schuuenck. 1568. 8.

DUO LOCI EX ARATO
PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. Arati *Διοσημεῖα* vss. 36—40.

Mortales nondum deprendimus omnia signa,
Quae Deus impressit, naturae conditor, arte;
Sed nos multa latent, quae nondum comperit usus.
Quorum aliqua ostendet venturis Iuppiter annis,
Qui genus humanum cum vere diligat, augens
Muneribus variis toto se monstrat in orbe,
Ut, quoties oculis incurrunt undique nostris,
Esse Deum doceant vestigia talia, nosque
Esse ipsi curae monitos testentur, et ipsum
Agnoscant nostrae mentes, lucemque sequantur
Iustitiae, quam nostra opifex in pectora sparsit.

2. Arati *Διοσημεῖα* vss. 358—361.

Fertilis agricolae votis contingat ut annus,
Nunquam crinitum videatur in aëre sidus.
Non unus geminive micent pluresve cometae;
Apparere solent nam[3]) sicco tempore crebri.

3) nam] sic (= Arat. γάρ) Grathus., Vincent.; Corp. Ref. male: non.

C. Oppiani etiam duos locos Melanthon latinos reddidit:

1. *Oppiani* de venatione lib. II. vss. 200. 201. Ed. Lehrs †).
Horum versuum interpretatio latina, graecis verbis praefixis, inscripta: „Versus Oppiani de ardore inter cervum et cervam." exhibetur
a. in Grathusii collectione Epigramm. Mel. fol. L 6[b];
b. in Vincentii Ed. eorum fol. L. 1[a];
c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 663. nr. 372.

2. *Oppiani* de venatione lib. IV. vss. 230 sqq. 320—353. Ed. Lehrs.
Hic locus a Melanthone liberrime translatus est; alia enim mutata, alia omissa, alia ex aliis locis, ubi de pardis dicitur (lib. III, 63 sqq. 130 sqq.) admixta sunt, iisque deinceps admonitio adiecta. Hoc carmen lat. inscriptum: „Ex Oppiano de venatione pardorum." reperitur
a. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. M 4.;
b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 663 sq. nr. 373.

†) Poetae bucolici et didactici. Theocritus, Bion, Moschus, recognovit et praefatione critica instruxit C. Fr. Ameis. Nicander, Oppianus, Marcellus Sideta de piscibus, poeta de herbis, recognovit F. S. Lehrs. Praefatus est K. Lehrs. Phile iambi de proprietate animalium, ex codicibus emendarunt F. S. Lehrs et Fr. Dübner. Graece et latine cum scholiis et indice locupletissimo. Parisiis, M DCCC XLVI. 8. max. Alia Ed. auctior prodiit ibid. M DCCC LI. 8.

DUO LOCI EX OPPIANO

PHILIPPO MELANTHONE INTERPRETE.

1. **Oppiani** de venatione II. vss. 200. 201.

Ipse quidem cervus pedibus velocibus ipsam,
Cum fugit, assequitur [4]), sistitque amplexus amatam.

2. **Oppiani** de venatione IV. vss. 230 sqq. 320—353.

Retia nigrantes late cingentia saltus
Acer odoratis venator tendere pardis
Extimet, et stricto propius contingere ferro.
Tam tristes iras violento in corpore versant,
Infracti ut telis concurrere fortibus ausint.
Saepe etiam superant non aequis viribus hostem,
Dum vafer [5]) extremis sese concredidit armis,
Et nimis insano venabula perdidit ictu.
Ergo dolo tantum celeres vincuntur, et ante
Insidiis frenandus erit, qui robore vinci
Nesciat, et vires quem debellare ferocem
Non aliae possunt, prudens solertia frangit.
Mirandum pardis vini fragrantis amorem
Esse senex vario venator comperit usu,
Idcirco observans anima non flante latebras
Illorum, calido perfundit nectare terram
Impiger, et tacito spumantia cymbia gressu
Ordine disponens, hinc atque hinc antra [6]) coronat.
Nec mora, laetus odor, vinique nociva cupido
Elicit insanos, et in atra pericula mittit,
Tum vero ingeminant haustus laticemque Lyaeum
Exorbent, et Bassaridum trieterica vivunt:
Languida quin etiam furioso corpora cursu,
In Venerem solvunt, vino faciente soporem:
Mox citus assurgit venator, et opprimit arte,
Robore quos nunquam poterat, praedaque potitur.
Heu mihi quam multos nimia virtute superbos
Invenias pardis similes, qui nomina factis
Extendunt nitido pulsantes vertice coelum,
Hos tamen infandae vel flamma libidinis urit,
Vel mala luxuries mistoque insania Baccho.
Adspice pelleum pardum, quo pulchrior alter
Non fuit in pulchro, quem vicerat, orbe nec unquam
Res similes gessit quisquam brevioribus annis.
Confectos aetate senes bellique labore
Consiliis vicit cunctos, in flore iuventae.
Ergo illi nocuere nihil nec tela nec hostes,
Sed foeda ebrietas et desidiosa voluptas.
Qui [7]) sapis, invictaeque decus servare laboras
Virtutis, semper fuge desidis otia vitae.
Ac memor esto, Deum, cum sit castissimus idem,
Plectere pollutos et tandem extollere castos.

4) assequitur] sic (= Oppian. μάρπτει) Vincent. et Corp. Ref.; Grathus.: insequitur.

5) vafer] sic Corp. Ref.; Vincent. mendo typogr.: faver.

6) antra] sic Corp. Ref.; Vincent.: contra.

7) Qui] sic Corp. Ref.; Vincent. mendo typogr.: Quu (pro: Quum?).

LXXXVI. PHIL. MEL. INTERPRETATIO ALIQUOT EPIGRAMMATUM ALIORUMQUE CARMINUM VETERUM, QUORUM AUCTORES IGNOTI SUNT.

Praeter carmina praecedentia Melanthon plura alia, quae a veteribus scriptoribus graecis passim laudantur, quorum auctores autem ignoti sunt, e graeco sermone in latinum convertit, quae nunc ordine alphabetico scriptorum, apud quos graeca occurrunt, disposita deinceps afferemus:

1. *Epigrammata quatuor ex* Aeschinis *oratione contra Ctesiphontem.*

In hac oratione epigrammata trium statuarum ad Strymonem fluvium positarum civibus Atticis, qui Medos represserant, et epigramma, quod inscriptum est iis, qui pulsos cives in patriam restituerunt, laudantur, quae Melanthon latine reddidit. Haec interpretatio invenitur

a. in Melanthonis Opp. Basil. Tom. V. p. 334., inscripta: „Ex oratione Aeschinis *κατὰ Κτησιφῶντος*" et „Epigramma ex Aeschine", (verbis graecis praefixis);

b. in Vincentii Ed. Epigrammatum Mel. fol. P 1^b—2^a;

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 660. nr. 365., ubi aeque ac apud Vincentium sic inscripta est: „Epigrammata trium statuarum ad Strymonem fluvium positarum civibus Atticis, qui Medos represserant, ex Aeschinis orat. contra Ctesiphontem" et „De civica corona, ex Aeschine" (apud Vincent.: „De civica corona quibus dari solita, ex eodem Aeschine");

d. in Mel. interpretatione huius orationis Aeschinis, in huius Corp. Reform. Vol. XVII. p. 923. 925., quapropter haec interpretatio h. l. omittitur (conf. huius Corp. Vol. XVIII. p. 121. nota **)).

---

2. *Rhadamanthi lex talionis ex* Aristotelis *Ethicorum Nicom. libro V. cap.* 5. §. 3. *Ed. Zell.*

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Huius loci interpretatio exstat

a. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. M 6^b, inscripta: „Rhadamanti Lex Talionis ex V. *ἠθικῶν* Aristotelis";

b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 551. nr. 140., iisdem verbis inscripta.

Iusta malis haec admisso pro crimine poena est:
Si, quae fecerunt, eadem patiantur et ipsi.

---

3. *Epigramma ex* Athenaeo *).

Huius epigrammatis interpretatio Mel. inscripta: „Apud Athenaeum *γλαὺξ ἐν τάφῳ*. De Sophocle sene habente vetulam." legitur

a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. M 7^b—8^a;

b. in Vincentii Ed. eorum fol. M 2^b;

---

*) Athenaeus lib. XIII. cap. LXI. in fine (Ed. Schweighaeuser. Tom. V. p. 141.) haec habet: *Ὅτε δὲ γηραιῷ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ συνῆν ἡ Ἀρχίππη, ὁ πρότερος αὐτῆς ἐραστὴς Σμικρίνης, ἐρωτώμενος ὑπό τινος τί πράττει Ἀρχίππη, χαριέντως ἔφη· „Ὥσπερ αἱ γλαῦκες, ἐπὶ τάφων κάθηται.*

c. in Scriptis publicis Acad. Witeb. Tom. III. fol. Kk 7[b];
d. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 668. nr. 383.

Noctua ut in gelido cum nidum forte sepulchro
Construit, et coecum foeda cubile tenet:
Talis erit thalamus vetulae mulieris, egenti
Et deliranti quae male nupta seni est.

---

4. *Epigramma ex* Demosthenis *oratione de corona.*

Epigramma civium Atticorum monumento inscriptum, quod Demosthenes in hac oratione p. 322. Ed. Reisk. laudat, Melanthon bis latine reddidit. Altera interpretatio, a verbis „Haec monumenta tegunt cives" incipiens legitur

a. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. P 2.;
b. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 551. nr. 141., ubi aeque ac apud Vincent. sic inscripta est: „Ex Demosthenis oratione *περὶ στεφάνου* Epitaphium civium Atticorum";
c. in Mel. interpretatione huius orationis, in huius Corp. Reform. Vol. XVII. p. 859., quapropter h. l. praetermittitur.

Altera interpretatio sic exordiens: „Hi pia dum patriis", inscripta: „Ex oratione Demosthenis *περὶ στεφάνου.*" exhibetur

a. in Mel. Opp. Basil. Tom. V. p. 334.;
b. in Vincentii Ed. Epigramm. Mel. fol. O 5[a];
c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 552. nr. 142.

Hi pia dum patriis arcent a finibus hostem,
Pro tectis cives arma tulere suis;
Invictisque animis ausi decernere ferro,
Et conferre pedem, nec timuere mori,
Servitio patriam premeret ne turpiter hostis,
Cogeret et domitam tristia multa pati.
Felices nunc in patria quorum*) ossa teguntur,
Postquam ipsos divi sic voluere mori.
Nulla adversa pati, nusquam peccare Deorum est,
Nemo hominum fati vim queat effugere.

Qui solas carminum inscriptiones respicit, facile putet, etiam alterum quendam eiusdem orationis locum a Melanthone latino carmine esse translatum. Inveniuntur enim in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 552. nr. 143. novem versus inscripti: „*Ex* Demosthenis *oratione* de corona."; at qui hos perlegit, illico cognoscet, eos potius *in* hanc Dem. *orationem* a Melanthone esse scriptos; itaque a Vincentio l. l. fol. Q 6[b], ubi eosdem refert, recte inscripti sunt: „In Demosthenem *περὶ στεφάνου.*" In Mel. Opp. Basil. Tom. V. p. 354. iidem habent inscriptionem: „Aliud."

---

5. *Oracula duo ex* Pausania.

Oraculorum a Pausania laudatorum duo Melanthon vertit:

A. *Oraculum in eius Achaicis c.* 8.

Huius interpretatio invenitur

a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. L 8[b];
b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 3., ubi aeque ac apud Grathusium sic est inscripta: „Oraculum in Achaicis Pausaniae, in quo duo describuntur Philippi, quorum priorem ait fore felicem regem, posteriorem vero, videlicet illum, qui cum Romanis bellum gessit, regni eversorem."

*) Fel. nunc in patria quorum] sic Vincent. et Corp. Ref.; Opp. Basil.: Fel., tum in patria quoque.

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 612. nr. 259. inscripta: „Oraculum in Achaicis Pausaniae de duobus Philippis*), altero felici, altero regni eversore."

In Macedum populis clarissima regna tenebunt,
Argiva de stirpe, bonum, damnumque Philippi.
Horum qui prior est, gentes urbesque domabit,
Sed veteris regni perdet decus omne secundus
A populis victus, quos mittent vesper et ortus.

B. *Oraculum in eius Boeoticis c.* 14.

Huius oraculi interpretatio exstat

a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. L 3.;

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 3 a, in utroque libro sic inscripta: „Oraculum ex Pausania, quo poena Lacedaemoniis ob duas filias Scedasi vi stupratas et in puteum abiectas**) in Leuctris denuntiata fuit."

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 621. nr. 275. inscripta: „Oraculum ex Pausania de filiabus Scedasi."

Leuctra mihi sunt curae, et mors tristissima gnatae
Occisae Scedasi quae periere duae.
Hic atrox fiet pugna, et saevissima caedes,
Fatalis quando venerit illa dies.
Quam prius haud quisquam norit, quam Dorica pubes
Amittet robur, militiaeque duces.

---

6. *Inscriptio clypei Titi Flaminii, quem templo Delphico dicavit, ex* Plutarchi *vita Flaminii c.* 12.

Huius inscriptionis interpretatio latina Mel., quae illis in huius Corp. Reform. Vol. XVII. p. 1135 sq. allatis addenda est, invenitur

a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. M 1 a;

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 4 a;

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 666. nr. 379., in quibus libris sic est inscripta: „Clypeus Titi Flaminii suspensus in templo Delphico cum hac inscriptione."

Tyndaridae fratres, quorum fuit inclyta virtus,
Custodes inter quos modo Sparta colit.
Leges, Libertas, et Pax sunt optima dona,
Haec Graecae genti dat Titus Aeneades.

---

7. *Distichon ex veteri poemate:*

*Οὐδ' ἀγρία γὰρ ὄρνις ἦν***) πλάσῃ δόμον*
ἄλλῃ νεοσσοὺς ἐντεκεῖν ἠξίωσεν.

Huius loci interpretatio, disticho graeco praefixo, exstat

a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. M 5 a;

b. in Vincentii Ed. eorum fol. L 7 a, ubi aeque ac apud Grathusium sic inscripta est: „Volucres potius mortem oppetunt quam nidos deserunt, ex veteri poemate."

c. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. 667 sq. nr. 382., inscripta: „Ex veteri poemate."

---

*) Conf. quae de duobus Philippis Melanthon in epistolis scripsit, in huius Corp. Reform. Vol. VII. p. 962.

**) Hanc historiam enarravit Plutarchus in amator. narratt. III.; brevius huius sceleris mentio facta est in eiusd. vita Pelopidae c. 20. et in Diodori lib. XV. c. 54. Commemoratur etiam a Melanthone in Theognidis sententiarum explicatione supra p. 70. et in epistola ad Chytraeum d. 29. Oct. 1553. in huius Corp. Reform. Vol. VIII. p. 165 sq. recusa.

***) ἦν] sic Grathus., Vincent.; Corp. Reform. ἦν.

Non quem sibi nidum volucris struxerat
Relinquit, atque cedit alteri fugax,
Ovis ut alia ibi incubet recentibus.

---

8. *Vetus (?) poema contra curiositatem.*

Ἀπραγμόνως ζῆν ἡδὺ μακάριος βίος
καὶ σεμνὸς, ἐὰν ᾖ μεθ' ἑτέρων ἀπραγμόνων,
ἐν θηρίοις δὲ καὶ πιθήκοις ὄντα δεῖ
εἶναι πίθηκον· ὦ ταλαιπώρου βίου.

Hoc poema inscriptum „Contra curiositatem" graece cum Melanthonis interpretatione reperitur
a. in Grathusii collect. Epigramm. Mel. fol. M 8.;
b. in Vincentii Ed. eorum fol. M 2^b—3^a.

Non curiose vivere est ingens bonum,
Si modo nec inter curiosos vivere
Cogaris, et inter factiosos complices.
Sed quando vivis inter beluas malas,
Et simias, oportet fieri simiam.
Heu vita quantis miseriis obnoxia est!

A graecis poetis a Melanthone partim in latinum sermonem translatis partim enarratis progredimur ad

PHIL. MELANTHONIS ENARRATIONES POETARUM LATINORUM

quorum tres: Virgilium, Ovidium et Terentium scholiis argumentisque, tres: eundem Terentium, atque Plautum et Senecam aliquot prologis illustravit. Praeter hos fortasse etiam eius in Horatii *artem poeticam* enarrationem exspectes, quippe quam ab eo a. 1544. iterumque 1546. et 1548. enarratam esse in libro I. Intimationum fol. 98 b. 161. 200. et a Mylio in Chronologia Scriptorum Mel. ad hos annos refertur*); at haec, quantum equidem scio, nunquam prodiit. Illos autem poetas hoc ordine digeremus, ut

primo loco Virgilium afferamus,
secundo Ovidium,
tertio Terentium,
quarto Plautum,
quinto Senecam.

---

*) Hic locus ansam praebuisse videtur ad hanc enarrationem inter eius libros referendam. Inter hos enim refertur in Zedleri l.: Grosses vollständiges Universal-Lexicon aller Wissenschaften u. Künste Vol. XX. (Halle u. Leipz. 1739. Fol.) p. 435., ubi ad a. 1544. praeter septem alios libros etiam hic affertur: „8. Enarratio libri Horatii de re poetica."

LXXXVII. PHIL. MEL. ENARRATIO BUCOLICON VIRGILII.

Virgilii tria opera maiora: ***Bucolica***, ***Georgica*** et ***Aeneis*** a Melanthone aut scholiis, aut argumentis, aut utrisque illustrata sunt, ex quibus primo loco ea afferemus, quae ad ***Bucolica*** pertinent. Haec enim et ***scholiis*** et ***argumentis*** seu ***dispositionibus rhetoricis*** explicavit, quae autem, quod scio, in nulla editione coniuncta inveniuntur.

A. ***Scholia***, maxima ex parte artificium rhetoricum explicantia, a quibus initium faciemus, tribus modis prodierunt:

1) cum textu operum Virgilii et cum Melanthonis (aut solius aut etiam aliorum) scholiis in Georgicorum et Aeneidos libros coniuncta;

2) cum Mel. scholiis in Georgica et Aeneida connexa sine textu;

3) cum textu Bucolicorum coniuncta.

Primae classis editiones hae sunt:

Virgilius cum Phil. Melanchthonis scholiis. Haganoae per Ioh. Secerium MDXXX mense Martio. 8. *).

Publii Virgilii Maronis Opera cum Philipp. Melanchthonis adnotatiunculis. Et Virgilii alia opuscula cum Priapeiis. Venundantur Parisiis sub Lilio in via ad divum Iacobum MDXXXI. Mense Augusto. 8. **).

Publ. Vergilius Phil. Melanchthonis Scholijs ut breuissimis ita doctiss. ubique exactissime adornatus. Access. insuper in omnia eiusdem opera index locupletiss. Basileae, ex officina Io. Hervagii mense Martio 1533. 8. $43^1/_2$ plagg. litt. Aa—Cc ($^1/_2$ pl.), a—z, A—S sign., 24 foll. non num., 655 pagg., ult. pag. vacat (fol. Aa 1^b Catalogus operum hoc vol. content.; fol. Aa 2^a—a 1^b Index; pag. 3—4 [fol. a 2] Ph. Melanchthonis praefat. ad lectorem; p. 5—489. Virgilii Bucolica, Georgica, Aeneis c. scholl. margin. Melanchthonis; p. 490—513. Maphaei Vegii Laudensis liber [libri XII. Aeneidos supplementum] c. scholl. marg. Melanchthonis, praemisso argumento; p. 514—655. Epigrammata, Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa, Priapus, in quorum fine Clausula est adiecta.) ***).

Virgilius. Phil. Melanchthonis scholiis ut breuissimis ita doctissimis ubique exacte adnotatus. Accessere noua scholia Christoph. Hegendor. in libros Georg. Io. Gymnicus excudebat Coloniae Anno M. D. XXXIIII. 8. †).

Pub. Verg. Maro Philippi Melanchthonis Scholijs, ut breuissimis, ita doctissimis, ubique exactissime adornatus. Accessit insuper in omnia eiusdem opera Index locupletissimus. (Infra haec Insigne typogr.) ***Basileae in officina Io. Hervagii mense Septembri. Anno M. D. XXXV.*** — (In fine:) ***Basileae apud Io. Hervag. Anno M. D. XXXV.*** 8. 43 plagg. litt. Aa, Bb, a—z,

---

*) Hanc Ed. afferunt Panzer in Annal. typogr. Vol. VII. p. 105. nr. 311., Schweiger in: Handb. d. class. Bibliogr. Tom. II. P. 2. p. 1158., Wagner in libro: P. Virgilius Maro — illustratus a Chr. Gottl. Heyne Ed. IV. cur. Ge. Ph. Eb. Wagner. Vol. IV. (Lips. 1832. 8.) p. 692., et Bretschneider in Prolegg. praefationis Mel. in hunc librum, in huius Corp. Reform. Vol. II. p. 22.

**) Haec Ed., quae in Biblioth. acad. Erlang. asservatur, a Panzero l. l. Vol. VIII. p. 151. nr. 2099., Schweigero l. l. p. 1158. et Heynio in Virg. Ed. modo laudata Vol. IV. p. 692. commemoratur.

***) Hanc Ed., quae in Biblioth. acad. Vratislav. et ducali Guelferbyt. asservatur, ex quarum priori eam in manibus habeo, Schweiger l. l. memorat (Heynius et Wagnerus eius nullam faciunt mentionem).

†) Hanc Ed. afferunt Panzer l. l. Vol. VI. p. 428. nr. 744., Schweiger l. l. p. 1159., Wagner l. l. p. 695. et brevissime Bretschneider l. l.

A—S sign., **16** foll. non num., **655** pagg., ult. pag. non num. (fol. A a **1** b Catal. operum hoc vol. content.; fol. A a **2** a — a **1** b Index; pag. **3**—**4**. [fol. a **2**] Ph. Mel. praefat.; p. **5**—**489**. Virg. Bucolica, Georgica, Aeneis c. scholl. margin. Mel.; p. **490**—**513**. Maphaei Vegii liber, c. scholl. marg. Mel., praemisso argumento; p. **514** — **655**. Epigrammata, Culex etc., in quorum fine Clausula; ult. pag. Insigne typogr. cont.) *).

Virgilius. Phil. Melanchthonis adnotatiunculis illustratus. Parisiis apud Io. Parvum. **1535**. **12**.**).

— *Opera Phil. Melanchthonis scholiis illustr. Acc. Culex ex P. Bembi recognitione. Lugduni* **1537**. 8.***).

— *Opera Phil. Melanchthonis illustrata scholiis. Eiusdem Opuscula, Culex insuper, a P. Bembo recognita. Parisiis, excudebat Io. Lodoicus* **1538**. 8. †).

P. Vergilii Maronis Opera omnia. Cum scholiis Philippi Melanchthonis, ut breuissimis, ita doctissimis. Additae sunt his castigationes quaedam, super Vergilio adnotatae, docti cuiusdam uiri, studiosis non inutiles. Halae Suevorum ex officina Petri Brubacchij, Anno Domini M. D. XL. Mense Martio. 8. **42** plagg. litt. a a , A—, A A—S S sign., **336** foll. non num. (fol. a a **1** b—**2** a Ph. Melanchthonis praefat. ad lectorem; fol. a a **2** b—A **3** b Castigationes Vergilianae; fol. A **4** a—K K **1** b Virgilii Bucolica, Georgica et Aeneis cum scholiis margin. Melanchthonis; fol. K K **2** a —L L **6** a Maphaei Vegii liber, cum scholl. margin. Mel., praemisso argumento; fol. L L **6** a—S S **7** b Epigrammata, Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa; SS 8 vacat (?) [deest in hoc exemplari].) ††).

Publii Vergilii Maronis Opera, duobus tomis distincta, et accuratissime cum accessione haud parua excusa, quorum omnium catalogos etiam uersa pagina statim docebit. Autoris denique vitam, et in calce Indicem locupletissimum addidimus. (Infra haec Insigne typogr.) *Basileae, apud Nicolaum Bryling. Anno M. D. XLIII.* 8. **50** plagg., quarum prima asterisco, ceterae litt. a—z, A—Z, Aaa—Ccc sign. sunt, 8 foll. non num., **724** pagg., **29** foll. non num., ult. fol. album. (fol. ***1** b Catalogus Tomi I. et II.; fol. ***2** a—**8** b P. Vergilii M. vita per Aelium Donatum aedita; pag. **1** [fol. a **1** a] —**34**. Vergil. Bucolica cum Annotatt. et castigat. Helii Hessi, Phil. Melanchthonis et Leon. Culmani, et cum Christoph. Hegendorphini, Steph. Doleti aliorumque scholiis, argumento praemisso; p. **34**—**114**. Verg. Georgica cum argumentis Herennii Modestini, et annotatt. Phil. Melanchthonis, Chrph. Hegendorphini, Steph. Doleti aliorumque; p. **115**—**118**. Argumenta XII librorum Aeneidos incerto autore; p. **118**—**119**. Octavii Augusti versus de Aeneide Verg.; p. **119**—**483**. Vergil. Aeneis cum argumentis Herennii Modestini, annotatt. Phil. Melanchthonis et varietate lectionis Ioann. Pierii Valeriani; p. **484**—**507**. Maphaei Vegii liber c. scholl. marg.; p. **507**—**508**. Cornelii Galli, Sulpitii Carthaginensis et incerti autoris Epigrammata; p. **509**. Index Tomi II.: Opuscula et varii lusus Pub. Vergilii Maronis; p. **510**. Catalogus huius Tomi; p. **511**—**647**. Opuscula et varii lusus Vergilii: Culex, Dirae, Aetna, Cyris, Moretum, Copa, Elegia in Mecoenatis obitum, Epigrammata varia, Priapeia; p. **647**—**650**. Epitaphia in Vergilium per illustres viros; p. **651**—**666**. Chrph. Hegendorfini Annotationes in Georgica; p. **667**—**724** [fol. Z **2** b]. Ex Steph. Doleti commentariis annotatiunculae in omnia Vergilii opera; fol. Z **3** a—Ccc **7** a Index rerum ac verborum; fol. Ccc **7** b et ult. fol. vacant.).

Virgilius Philippi Melanchthonis scholiis illustratus. Coloniae **1545**. 8. †††).

P. Virgilii Maronis Opera cum Maphei Suppl. et Phil. Melanchthonis annotatt. Basileae per Nic. Brylinger. **1546**. (Alia exemplaria a. **1545**. prae se ferre videntur.) **12**.

Pub. Vergilii Maronis Opera. Vna cum Annotatiunculis Philippi Melanchthonis. Omnia studiosae iuuentuti ad excipiendum accommodatissima. (Infra haec Insigne typogr.: Arbor cum ranis, et taenia, in qua leguntur verba: Christof Froschover zuo Zurich.) *Tiguri apud Froschouerum. M. D. XLVII.* 4. **64** plagg. litt. a—z, A—Z, aa—ss sign., **256** foll. num. (fol. **1** b Frisii Tigurini epist. ad studiosos adolescentes; fol. **2** a Phil. Melanchthon ad lectorem; fol. **2** b In lapide antiquissimo in Sicilia repertum [epigramma]; Argumenta in Bucolica, Georgica et Aeneida Verg.; fol. **3** a—**19** a Verg.

*) Hanc Ed., quae in Biblioth. acad. Gotting. et in meis libris est, Schweiger l. l. p. 1160. et Heyne l. l. p. 695. memorant.

**) Haec Ed. memoratur a Panzero l. l. Vol. VIII. p. 183. nr. 2421., Schweigero l. l. p. 1160. et Heynio l. l. p. 695.

***) Sic hanc Ed. affert Schweiger l. l. p. 1160.; Heynius autem l. l. p. 696. his verbis: *P. V. M. cum scholiis Melanchthonis et Culice ex P. Bembi recognitione. Lugduni* 1537. 8.

†) Haec Ed. memoratur a Schweigero l. l. p. 1160. et Heynio l. l. p. 696.

††) Haec Ed., quam ex Biblioth. regia Stuttgard., et subsequens, quam ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo, Schweigero, Heynio et Wagnero latuerunt.

†††) Hanc Ed. et subsequentem Schweiger l. l. p. 1161. et Heynius l. l. p. 701. memorant.

Bucolica cum scholiis marginalibus Melanthonis; fol. 19^b—62^a Verg. Georgica c. scholl. marg. Mel.; fol. 62^b—256^a Verg. Aeneis c. scholl. marg. Mel. et praemissis argumentis breviss. in XII Aeneid. libros et Modestini in singulos eius libros; fol. 256^b vacat) *).

Publii Vergilii Maronis opera. Caetera quae adiecta sunt, sequens pagella docebit. (Infra haec Insigne typogr.) *Basileae per Nicolaum Bryling. Anno M. D. LI.* 8. **46** plagg. litt. a—z, A—Z, sign., 8 foll. non num., **983** pagg., $18^1/_2$ foll. non num. (fol. a 1^b Catalogus Tomi I.; fol. a 2^a—8^a P. Vergil. M. vita, per Ael. Donatum; fol. a 8^b et p. 1—**46**. Vergilii Bucolica cum annotatt. et castigat. Eob. Hessi, Ph. Melanchthonis, L. Culmanni, Chr. Hegendorphini, Iodoci Willichii, aliorumque; p. **47**—**139**. Verg. Georgica cum argumentis Her. Modestini et annotatt. Phil. Melanchthonis, Chr. Hegendorphini, Iod. Willichii, aliorumque; p. **139**—**142** Incerti auctoris Argumenta XII librorum Aeneidos; p. **142**—**144**. Octavii Augusti versus de Aeneide Verg.; p. **144**—**508**. Verg. Aeneis cum argumentis Her. Modestini, annotatt. Ph. Melanchthonis et varietate lectionis Io. Pierii Valeriani; p. **509**—**531**. Maphaei Vegii liber c. scholl. margin., praemisso argumento; p. **531**—**532**. Cornelii Galli, Sulpitii Carthag. et incerti autoris epigrammata; p. **533**. Index Tomi II: Opuscula et varii lusus P. Vergilii M.; p. **534**. Catalogus huius Tomi; p. **535**—**680**. Opuscula et varii lusus Vergilii: Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa, Elegia in Mecoenatis obitum, Epigrammata, Priapeia; p. **680**—**683** [fol. X 6^a]. Diversorum poetarum in Vergilium Epitaphia; fol. X 6^b—7^a Iod. Willichius de discrimine pastorum; fol. X 7^b vacat; fol. X 8^a—Z 8^a Index [rerum et verbor.]; ult. pag. vacat) **).

P. Virgilii Maronis opera cum notis Melanchthonis et Hegendorphini. Moguntiae 1554. 8. ***).

— *opera cum scholiis Phil. Melanchthonis. Parisiis, apud Richardum* 1558. 4.

— *opera cum scholiis Phil. Melanchthonis.* (*Accesserunt annotatiunculae Hegendorphini.*) *Francof.* 1559. 8. †).

— *opera cum scholiis Phil. Melanchthonis. Basileae* 1559. 8. ††).

— *poemata quae extant omnia: D. Philippi Melanchthonis Scholijs illustrata. Adiectis figuris egregie depictis, una in Bucolica, singulis uero in singulos Georgicorum et Aeneidos libros. Et doctissimorum uirorum Scholijs ac Annotationibus, partim antehac, partim nunc primum publicatis, ut sequens pagella enumerabit. Cum rerum et uerborum indice.* (Infra haec Insigne typogr.: Arbor cum ranis) *Tiguri apud Christoph. Froschouerum, Anno M. D. LXI.* 8. **51** plagg., quarum prima asterisco, ceterae litt. a—z, A—Z, Aa—Dd signatae sunt, 8 foll. non num., **778** pagg., **10** foll. non num., ult. fol. album. (fol. *1^b Catalogus eorum, quae huic operi accesserunt; fol. *2 Ph. Melanchthonis praefatio ad lectorem; fol. *3^a—4^a Io. Frisii Tigurini epist. ad Chrph. Froschouerum iun., Cal. Mart. **1561**. scripta; fol. *4^b—7^b Iodoci Badii Ascensii in opera Vergil. Prolegomena; fol. *8^a Phil. Valentinii epigramma; fol. *8^b et pag. **1**—**33**. Vergilii Bucolica cum figura et Ph. Melanchthonis scholl. margin. ab erudito quodam uiro auctis; p. **33**—**122**. Verg. Georgica c. figuris, Herennii Modestini argumentis, et Melanchthonis scholl. margin. a quodam auctis; p. **123**—**508**. Verg. Aeneis c. figg. et Melanchthonis scholl. marg. a quodam auctis; p. **509**—**534**. Maphaei Vegii liber c. fig. et Melanchthonis scholl. marg. a quodam auctis, praemisso argum.; p. **534**—**537**. Alcinoi de Vergilio iudicium, Corn. Galli epigramma in Vergil., Octavii Augusti versus, Sulpitii Carthag. et incerti autoris epigrammata in Vergil.; p. **537**—**654**. Vergilii Epigrammata, quibus inserta sunt argumenta in Bucolica, Georgica et in XII libros Aeneidos, et Elegia in Mecoenatis obitum, Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa; p. **655**—**770**. Io. Frisii annotatt. ex variis interpr. et vocabulorum interpretatt. Germanicae in Bucolica et Georgica; p. **771**—**778** [fol. Cc 5^b]. Chrph. Hegendorph. annotatiunculae ex Doleti commentar. de ling. lat.; fol. Cc 6^a—Dd 7^a Rerum ac verborum index; ult. **3** pagg. non num. vacant) †††).

P. Vergilii Maronis opera D. Phil. Melanchthonis et aliorum doctissimorum virorum scholiis, annotationibus et novis argumentis illustrata, partim antehac partim nunc primum publicatis etc. *Cum figuris. Tiguri, excudebat Chr. Froschouerus iun.* **1564**. 8. ††††).

---

*) Haec Ed., quam Schweiger l. l. p. 1161. et Heynius l. l. p. 702. memorant, in meis libris est.

**) Haec Ed., quae in meis libris est, Schweigerum, Heynium et Wagnerum fugit.

***) Hanc Ed. et subsequentem Schweiger l. l. p. 1162. et Heynius l. l. p. 704. 706. afferunt.

†) Hanc quoque Ed., quae in Biblioth. acad. Erlangensi asservatur, Schweiger l. l. p. 1162. et Heynius l. l. p. 706. memorant (Hegendorphii annotationum nullam mentionem facientes), ille autem de ea subdubitat, addit enim: (?).

††) Haec Ed., quae in Biblioth. ducali Guelferbyt. invenitur, illis viris latuit.

†††) Haec Ed., quae in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est, etiam a Schweigero p. 1163. et Heynio l. l. p. 707. memoratur.

††††) Sic haec Ed. affertur in indice librorum a Fr. Tob. Loeffler relictorum d. 4. Nov. 1850. in auctione venalium; a Heynio l. l. p. 708. affertur his verbis: *P. V. M. Opera cum Phil. Melanchthonis et aliorum virorum doctiss. scholiis. Tiguri* 1564. 8., a Schweigero l. l. p. 1163. brevius sic: — (Index ut Tigur. 1561.) 8. *Tiguri* 1564. (?).

P. Vergilii Maronis poemata quae extant omnia, adiectis figuris egregie depictis et doctiss. virorum scholiis ac anotatt. Francofurti ad Moen., apud. Ge. Coruinum Feyerabend et hered. Wigandi Galli 1567. 8. *). Haec Ed. est repetitio Ed. Tigurinae 1561.

— — (Index ut Ed. Tigur. 1561.) *Tiguri, typis Chrph. Froschover* 1567. 8. **).

— *opera. D. Philippi Melanchthonis et aliorum doctissimorum virorum Scholijs, Annotationibus et nouis Argumentis illustrata, partim antehac, partim nunc primum publicatis, vt sequens pagella enumerabit. Adiectis etiam Figuris egregie depictis, vna in Bucolica, singulis vero in singulos Georgicorum et Aeneidos libros: denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium, quam diligentissime omnia restituta. Cum Rerum et Verborum Indice.* (Infra haec Insigne typogr.: Arbor cum ranis) *Tiguri. M. D. LXX.* — (In fine:) *Tiguri excudebat Christophorus Froschouerus, Anno M. D. LXX.* 8. 48½ plagg., quarum prima asterisco, ceterae litt. a—z, A—Z, Aa, Bb (½ pl.) signatae sunt, 8 foll. non num., 740 pagg., 10 foll. non num., ult. pag. vacat ***). Haec Ed. maxima quidem parte est repetitio Ed. Tigurinae 1561., ab ea autem differt fere hisce 1) inter Alcinoi iudicium et Galli epigramma, insertum est: „Ad Venerem votum Vergilii pro suscepta Aeneide", et in Verg. Epigrammatis inter Epigramma „XII Signa coelestia" et „Argumenta in Bucolica, Georgica et Aeneida Vergilii": Epigramma: „In lapide antiquissimo in Sicilia repertum"; 2) in Annotatt. brevibus in Verg. Bucolica et Georgica ex variis interpretibus a Io. Frisio collectis, annotationibus in singulas Eclogas et Georgicorum libros argumenta sunt praefixa. 3) inter Io. Frisii Difficilium vocabulorum interpretationem Germanicam et Chrph. Hegendorphini Annotatiunculas in libros Aeneidos ex Doleti commentariis de ling. lat. inserta sunt: Argumenta in duodecim Aeneidos libros.

P. Verg. M. poemata quae extant omnia. Adiectis figuris egregie depictis et doctiss. virorum scholiis ac annotatt. Francofurt. ad Moen. apud Ge. Corvinum et haeredes Wigandi Galli. 1572. 8. ****). Haec Ed., quippe quae Ed. Tigurinae repetitio esse videtur, etiam Melanchthonis scholia continet.

— — (Index ut Ed. Tigur. 1570.) *Tiguri* 1573. 8. †).

Opera P. Vergilii Maronis D. Philippi Melanchtonis et aliorum doctissimorum virorum Scholijs, Annotationibus et nouis Argumentis illustrata, partim antehac, partim nunc primum publicatis, vt sequens pagella enumerabit. Adiectis etiam Figuris egregie depictis, vna in Bucolica, singulis vero in singulos Georgicorum et Aeneidos libros: denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium, quam diligentissime omnia restituta. Cum Rerum et Verborum, necnon Adagiorum ex ipso Vergilio collectorum Indice duplici. Quibus versuum prouerbialium ex Erasmi Chiliadibus explicationem inseruimus. (Infra haec Insigne: Arbor cum ranis) *Tiguri excudebat Christ. Frosch.* 1577. 8. 50 plagg., quarum prima asterisco, ceterae litt. a—z, A—Z, Aa—Cc signatae sunt, 8 foll. non num., 740 pagg., 22 foll. non num., ult. pag. vacat ††). Haec Ed. est repetitio Tigurinae 1570., cui autem post Indicem rerum ac verborum haec addita sunt: 1) Adagiorum apud Vergilium centuriae VII. a Georgio Fabricio collectae [fol. Bb 4ᵃ—Cc 2ᵃ], 2) Versuum quorundam proverbialium explicatio, ex Erasmi Chiliadibus [fol. Cc 2ᵇ—8ᵃ]; ult. pag. vacat.

P. Verg. M. poemata, quae extant, omnia. Adiectis figuris egregie depictis et doctiss. viror. scholiis ac annotatt., partim antehac, partim nunc primum publicatis. Francof. apud Ge. Corvinum, impensis Io. Feyerabendii 1579. 8. †††). Hanc quoque editionem Tigurinae repetitionem esse, et Melanthonis scholia ab erudito quodam viro aucta continere, ex eius descriptione in l. Die Merkwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu Dresden Tom. II. p. 242 sq. nr. 319. [ubi in Indice huius Ed. errore typogr. 1578., loco 1579. legitur] apparet.

— — (Index ut Ed. Tigur. 1577.) *Tiguri apud Christ. Frosch. Impensis Roberti Camberi.* 1581. 8. 50 plagg., quarum prima asterisco, ceterae litt. a—z, A—Z, Aa—Cc. signatae sunt, 8 foll. non num., 740 pagg., 22 foll. non num., ult. pag. vacat. Haec Ed. est repetitio Ed. Tigurinae 1577 ††††).

---

*) Hanc Ed., quae in Biblioth. regia Berolinensi asservatur, Schweiger l. l. p. 1164. et Heynius l. l. p. 710. memorant.

**) Haec Ed., quae in Biblioth. acad. Erlang. est, ab utroque iisdem locis affertur.

***) Hanc Ed., quam ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo, etiam Heynius l. l. p. 711. memorat.

****) Haec Ed. a Wagnero l. l. p. 712. memorata, in Biblioth. regia Dresd. asservatur.

†) Haec Ed., quam Schweiger l. l. p. 1164. et Heynius l. l. p. 712. memorant, in Biblioth. acad. Erlang. est.

††) Haec Ed., quam ex Biblioth. magniduc. Wimar. in manibus teneo, Schweigero, Heynio et Wagnero latuit.

†††) Hanc Ed., quae in Biblioth. reg. Dresd. invenitur, Schweiger l. l. p. 1165. et Heynius l. l. p. 714. afferunt.

††††) Haec Ed., quae in meis libris est, a Schweigero l. l. p. 1165. et Heynio l. l. p. 714. memoratur.

P. Verg. M. poemata etc. (Index ut Ed. Francof. 1579.) *Francof. ad Moen. apud Ge. Coruinum et haeredes Wigandi Galli* 1582. 8. *). Haec Ed. ex Editt. 1567., 1572., 1579. repetita est.

— *opera cum figg. notis varior. et praefat. Phil. Melanchthonis. Coloniae* 1585. 8. **).

— — (Index ut Ed. Tigur. 1577.) *Tiguri in Officina Froschoviana. M. D. LXXXVII.* 8. 50 plagg., quarum prima asterisco, ceterae litt. a—z, A—Z, Aa—Cc signatae sunt, 8 foll. non num., 740 pagg., 22 foll. non num., ult. pag. vacat. ***). Haec Ed. ex Ed. Tigurina 1577. repetita est.

— *opera omnia adjectis figuris egregie depictis et doctissimorum virorum scholiis, annotationibus ac novis argumentis ex variis interpretibus congestis. Coloniae, apud P. Horst* 1591. 8. ****). Haec Ed. quae breves annotatt. et var. lectt. in margine habet, praeterea annotatt. Io. Frisii et ex Doleto in Aeneidem, ergo Ed. Tigurinae repetitio esse videtur, illaeque annotatt. marg. sine dubio partim Melanthonis sunt.

— *opera cum figg. notis varior. et praef. Phil. Melanchthonis* (suppresso eius nomine). *Coloniae, per Groswinum Culenium* 1597. 8. Ed. ex Ed. Colon. 1585. repetita †).

Opera P. Vergilii Ph. Melanchthonis et alior. doctiss. viror. scholiis et argumentis omnibus tam Eclogis quam Georgicorum et Aeneidos libris praefixis illustrata una cum versuum proverbialium ex Erasmi Chiliadibus ad calcem eorundem explicatione: adiectis etiam figuris egregie depictis — denuoque ad fidem castigatiss. exemplarium quam diligentissime omnia restituta. Witebergae, ex officina typogr. Ioh. Cratonis 1598. 8. 6 foll. non num. et 611 pagg. ††).

Pub. Virgilii Maronis opera cum figuris, lectionum varietatibus, et doctissimorum Virorum Scholijs, ex varijs interpretibus congestis, in gratiam studiosae iuventutis, denuo edita. 15 99. (interposito Insigni typogr.) *Francofurti ad Oderam, Impensis Iohannis Hartmanni Bibliopolae.* 8. 47 plagg., quarum prima signo (:), ceterae litt. A—Z, Aa—Zz signatae sunt, 8 foll. non num., 370 foll. num. (fol. (:) 2. Melanchthonis praefatio ad lectorem; fol. (:) 3. Vitae Virgilii ex Probo grammatico fragmentum; fol. (:) 4—8 Iod. Badii Ascensii in Opera Vergil. prolegomena, fol. 1—16. Verg. Bucolica c. scholl. marg., praemissa figura; fol. 17—56. Verg. Georgica c. scholl. marg. et figg.; fol. 57—232. Verg. Aeneis c. scholl. marg. et figg.; fol. 233—244. Maphaei Vegii liber c. scholl. marg., praemissa fig. et argumento; fol. 244ᵇ—245ᵇ Alcinoi de Virgilio iudicium; Ad Augustum Caesarem, Cornelii Galli; Veteris scholastici Poetae sub nomine Octavii Augusti carmen; Sulpitii Carthag. in Aeneida; Incerti auctoris de Virgilio, c. scholl. marg.; fol. 246—249ᵃ Virg. Epigrammata c. scholl. marg.; fol. 249ᵃ—260ᵃ Argumenta [poet.] XII. librorum Aeneidos et alia epigrammata c. scholl. marg.; fol. 260—264. Argumenta [poet.] in Bucolica, Georgica et Aeneida Virg. et alia epigrammata c. scholl. marg.; fol. 265—297. Virg. Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa, c. scholl. marg.; fol. 298—366. Annotatt. breves in Virg. Bucolica et Georgica, ex variis interpretibus a Ioanne Frisio collectae. Item difficilium vocabulorum interpretatio Germanica, per eundem; fol. 366—370. Ex Doleti commentariis de lingua Lat. annotatiunculae succinctae in libros Aeneidos Christophori Hegendorphini.) †††).

— *opera cum Phil. Melanchthonis et aliorum scholiis. Wittebergae* 1623. 8. ††††).

Vergilius Philippi Melanchthonis, scholiis doctissimis illustratus. Adiecimus doctas et perbreues Christophori Hegendorphini in IIII. Georg. Annotationes. Adiunximus item in omnia Vergilij opera, ex Stephani Doleti de lingua Latina commentarijs, annotatiunculas, obscuriora loca, enarrantes, quae uicem iusti commentarij subire possunt. Cum uerborum et rerum Indice copiosissimo. (Haec subsequitur insigne typogr.) *Moguntiae, Excudebat Ivo Schoeffer.* s. a. 8. 50½ plagg., litt. A—Z, Aa—Zz, Aaa—Eee (½ pl.) sign., 707 pagg., 50½ foll. non num., ult. pag. vac. (p. 2. Catalogus operum huius Vol.; p. 3—4. Ph. Melanchthonis praefatio; p. 5—524. Vergilii Bucolica, Georgica, Aeneis cum figuris et Melanchth. scholl. marg.; p. 525—550. Maphaei Vegii liber c. fig. et Mel. scholl. marg., praemisso argumento; p. 551—553. Corn. Galli epigramma in Verg., Octavii Augusti versus, Sulpitii Carthag. et incerti autoris epigrammata in Verg.; p. 554—707 [fol. Yy 2ᵃ]. Vergilii Epigrammata, Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Priapus et Catalecta; fol. Yy 2ᵇ—Zz 3ᵃ] An-

*) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 1165. et Heynius l. l. p. 715. afferunt.

**) Sic haec Ed. ab Heynio l. l. p. 716. memoratur; Schweiger l. l. p. 1165. in titulo „figg." omisit.

***) Haec Ed., quae in Biblioth. acad. Halensi et Erlang. asservatur, Schweigero, Heynio et Wagnero latuit.

****) Hanc Ed., quae in Biblioth. acad. Gotting. invenitur, Schweiger l. l. p. 1166. et Heynius l. l. p. 718. memorant.

†) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 1166. et Heynius l. l. p. 720. afferunt.

††) Haec Ed., quae in Biblioth. ducali Guelferbyt. asservatur, a solo Schweigero l. l. p. 1166. affertur.

†††) Haec Ed., quae neque a Heynio neque a Schweigero memoratur, in meis libris est.

††††) Hanc Ed. Schweigerus l. l. p. 1168. memorat.

notatt. aliquot illustrium virorum in aliquot loca Verg. et Annotatiunculae in Verg. opera; fol. Bbb 8ᵇ — Eee 3ᵃ Rerum ac verborum index; fol. Eee 3ᵇ — 4ᵃ Epigrammata; fol. Eee 4ᵇ vacat *).

Secundae classis editio haec una est:

Phil. Melanchthonis annotatiunculae in Virgilii opera. Haganoae 1534. 8. **).

Tertiae classis editiones sunt hae:

Bucolica P. Vergilii Maronis. Adiectis Scholijs Phil. Mel. Norimbergae apud Io. Petreium (Hic Index figuris xylograph. cinctus est.). — (In fine:) *Norimbergae apud Iohan. Petreium.* s. a. 8. 2½ plagg. litt. A — C (½ pl.) sign., 20 foll. non num. (fol. A 2ᵃ — C 2ᵇ Verg. Eclogae decem cum Melanthonis scholiis margin.; fol. C 3ᵃ — 4ᵃ Verg. Epigrammata tria: De litera Pythagorae Y., De ludo, Vir bonus, quibus in calce subscripta est Clausula typogr.; fol. C 4ᵇ vacat.) ***).

Bucolica cum scholiis Phil. Melanchthonis, Willichii, Eobani Hessi, Leon. Kulmanni. Antwerpiae apud Io. Loe. 1543. 8. ****).

— — *Augustae Vindelicorum* 1580. 8. †).

B. *Argumenta s. dispositiones rhetoricae* Mel. in Virgilii Eclogas non ab ipso Melanthone, sed a Steph. Riccio editae prodierunt hisce editionibus:

Questiunculae in Eglogas Virgilii — autore St. Riccio. Item argumenta seu dispositiones Ph. Melanchthonis in Eclogas easdem. Item Eclogae separatim adiectae. Francofurti, ex officina P. Brubachii. 1546. 8. ††).

In hoc libello continentur Argumenta seu dispositiones rhetoricae in Eclogas Virgilii autore Philip. Melanth. Item, Accesserunt Paraphrases, Ecphrases, et succinctae quaestiones in easdem Eclogas autore M. Stephano Riccio. Item, Adiecta sunt in fine Miscellanea eiusdem Riccii, in quibus de uarijs rebus tractatur. Anno M. D. LXV. — (In fine:) *Leucopetrae excudebat, Georgius Hantzsch, Anno M. D. LXV.* 8. 27 plagg. litt. A — Z, a — d sign., 216 foll. non num. (fol. A 1ᵇ Io. Stigelii epigramma ad Lectorem 1561.; fol. A 2ᵃ — 8ᵇ St. Riccii epist. dedicatoria ad Principem Iohannem Fridericum III. Ducem Saxoniae etc.; fol. B 1ᵃ Stigelii carmen de viva imagine Phil. Melanthonis 1555.; fol. B 1ᵇ — G 2ᵇ Argumenta s. dispositiones rhetoricae Ph. Melanthonis in Eclogas Virg. cum earum textu; fol. G 3. Stigelii tetrasticha in aliquot Eclogas Virg.; fol. G 4ᵃ — M 3ᵃ St. Riccii paraphrastica interpretatio in easdem Eclogas Virg.; fol. M 3ᵇ — 5ᵇ In Bucolica Virg. προλεγόμενα διδασκαλικὰ Riccii; fol. M 6ᵃ — Q 8ᵇ Riccii erotemata in singulas Eclogas; fol. R 1ᵃ — d 5ᵇ Eiusd. Miscellanea; fol. d 6ᵃ Eiusd. admonitio ad lectorem, subscripta Clausula typogr.; fol. d 6ᵇ — 8ᵃ Errata; fol. d 8ᵇ vacat) †††).

In hoc libello continentur Argumenta seu Dispositiones rhetoricae in Eclogas Virgilii Authore Philip. Melanch. Item, Accesserunt Paraphrases, Ecphrases, succinctae quaestiones, et breuia Scholia Textus in easdem Eclogas Authore M. Stephano Riccio. Omnia recognita et aucta. (Infra haec Insigne typogr.: Iacob cum angelo luctans.) *M. D. LXVIII.* — (In fine:) *Gerlicij excudebat Ambrosius Fritsch. Impensis Iacobi Apelij Bibliopolae Lipsensis. Anno M. D. LXVIII.* 8. 39 plagg. litt. A — Z, a — q sign., 312 foll. non num. (fol. A 2ᵃ — 4ᵇ St. Riccii epist. nuncupatoria ad Principem Georgium Fridericum, Marchionem Brandeburgensem; fol. A 5ᵃ — 6ᵃ Io. Stigelii epigramma ad lectorem 1561., Epigramma M. Frid. Widebrandi in annotata Eclogarum Virg. edita a St. Riccio 1568., Io. Stigelii carmen de viua imagine Ph. Melanchthonis a. 1555.; fol. A 6ᵃ —

---

*) Haec Ed. ex Biblioth. senat. Lips. mihi ad manus est.

**) Haec Ed. a Schweigero l. l. Tom. II. P. 1. p. 266. et Orellio in ipsius et Baiteri Onomastici Tulliani Parte I. p. 459. inter scripta Ciceronem illustrantia memoratur, quia praeter Mel. in Virg. Opp. annotatiunculas etiam eiusdem explicationem locorum quorundam difficilium in perfecto oratore Cic. continet. Equidem eam nondum vidi.

***) Hanc Ed., quae Schweigero!, Heynio et Wagnero latuisse videtur, ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo.

****) Hanc Ed. Schweiger l. l. Tom. II. P. 2. p. 1191. et Heynius l. l. p. 699. memorant.

†) Haec Ed., quae Schweigerum, Heynium et Wagnerum fugit, in Biblioth. acad. Erlang. est.

††) Hanc Ed., quae olim in Biblioth. Orphanotrophei Halensis erat [nunc autem desideratur], solus Schweigerus inter scripta Virgilium illustrantia l. l. p. 1246. affert.

†††) Haec Ed., quam ex Biblioth. acad. Halensi in manibus habeo, a Schweigero l. l. p. 1246. et Heynio l. l. p. 709. memoratur.

8 b Excerptum ex epist. dedicatoria prioris editionis; fol. B 1 a — G 8 a Argumenta s. Dispositiones rhetor. Ph. Melanthonis in Eclogas Virg.; fol. G 8 b — H 1 a Stigelii tetrasticha in aliquot Eclogas Virg.; fol. H 1 b — N 1 b Riccii paraphrast. interpretatio in easdem Eclogas Virg.; fol. N 2 a — 4 b In Bucolica Virg. προλεγόμενα διδασκαλικὰ Riccii; fol. N 5 a — V 1 b Eiusd. erotemata in singulas Eclogas; fol. V 2 a — q 5 b Eiusd. scholia in Eclogas, praefixo hoc proprio indice: *Brevia et erudita scholia in omnes Eclogas Virgilii ex praelectionibus tam publicis, quam priuatis aliquot doctiss. virorum collecta, et nunc primum propter vsum scholasticae iuuentutis in ordinem redacta et edita a M. Stephano Riccio. M. D. LXVIII.*; fol. 96 a Clausula typogr.; fol. 96 b — 8. vacant) *).

In P. Virgilij Maronis Eclogas argumenta seu dispositiones Rhetoricae. Authore Philip. Melanth. Accesserunt item Paraphrases, Ecphrases, succinctae quaestiones, et breuia Scholia Textus in easdem Eclogas, Authore M. Stephano Riccio. Omnia denuo recognita et aucta. (Infra haec Insigne typogr.: Iacob cum angelo luctans) *M. D. XCIII.* — (In fine:) *Witebergae, Typis M. Simonis Gronenbergij, sumptum impendente Iacobo Apelio, Bibliopola Lipsensi.* 8. 39 plagg. litt. A — Z, a — q sign., 312 foll. non num. Haec Ed. repetitio est proxime praecedentis. Riccii scholiis etiam in hac Ed. idem proprius Index praefixus est tantum anni numero ꟾↄ. Iↄ. XCIII. ab illo diversus; fol. q 6 a Clausula typogr.; foll. q 6 b — 8. vacant **).

---

1. IN VIRGILII BUCOLICA
SCHOLIA PHILIPPI MELANTHONIS.

Ex Prolegomenis apparet, haec scholia 41 Editionibus prodiisse, quarum Editionum hae 14 in nostris manibus sunt: 1) *Basil.* 1533., 2) *Basil.* 1535., 3) *Halae Suev.* 1540., 4) *Basil.* 1543., 5) *Tigur.* 1547., 6) *Basil.* 1551., 7) *Tigur.* 1561., 8) *Tigur.* 1570., 9) *Tigur.* 1577., 10) *Tigur.* 1581., 11) *Tigur.* 1587., 12) *Francof. ad Od.* 1599., 13) *Mogunt.* s. a., 14) *Norimberg.* s. a., quarum (duodecim) priores solis annorum, quibus prodierunt, numeris significabimus, duas posteriores autem locorum nominibus sic: *Mog.*, *Nor.*

Hae Editiones in duas classes sunt distribuendae, quarum altera eas complectitur, quae Melanthonis scholia marginalia *integra* eaque in margine quidem *sola* continent; altera vero eas, quae illa scholia Mel. *partim mutata* et cum *aliorum* scholiis in margine *permixta* exhibent, illorumque *haud pauca omittunt.* Ex priori classe sunt Editt. *Mog.*, *Nor.*, 1533., 1535., 1540., 1547.; ex altera autem Editt. 1543., 1551., 1561., 1570., 1577., 1581., 1587., 1599. Quam ob causam in notis criticis tantummodo illas sex afferemus, has octo autem, quae itidem nobis ad manus sunt, plane omittemus.

Melanthonis in Virgilium praefationem, quam Editt. Mog., 1533., 1535., 1540., 1547., 1561., 1570., 1577., 1581., 1587., 1599. exhibent, h. l. adscribere eam ob causam supersedemus, quod iam in huius Corp. Reform. Vol. II. p. 23. est recusa. Sufficiat igitur h. l. monere, duobus in locis omnes illas Editt., in uno autem quatuor Editt. a verbis, quae in hoc Corp. l. l. leguntur, differre. In lin. 3. illius praefationis enim hoc Corp. exhibet *iudicandis* et lin. 6. *ex oratione Ciceronis*, omnes vero Editt. habent *diiudicandis* et *ex oratione aliqua Ciceronis*; praeterea lin. 14. in hoc Corp. et Editt. Mog., 1561 — 1599. legitur *ratione*, *consilio*, in Editt. 1533., 1535., 1540., 1547. *ratione et consilio*.

---

*) Hanc Ed., quam Schweiger l. l. p. 1246. et Heynius l. l. p. 709. 711. memorant, ex Biblioth. regia Dresdensi in manibus habeo.

**) Haec Ed., quae in Biblioth. reg. Berol. et Dresd., acad. Vratisl. et Erlang., senat. Norimb. et in meis libris est, etiam a Schweigero l. l. p. 1246. et Heynio l. l. p. 709. affertur.

Ecloga I.

Vss. 1 sqq.[1]) *Tityre tu* etc.[2])] Propositio[3]).

Vs. 14. *Gemellos*] Gemelli, spes gregis[4]).

Vss. 16 sq. *Saepe malum* etc.] Amplificatio ab omine.

Vs. 23. *Sic canibus* etc.] Collatio bucolica.

Vs. 31. *Amaryllis — Galatea*] Amaryllis Roma; Galatea Mantua.

Vss. 39 sq. *ipsae te Tityre* etc.] πάθος[5]) a ruris amoenitate.

Vss. 46. *Pascite, ut ante,* etc.] Gratulatur tam laetos successus.

Vss. 47 sqq. *Fortunate senex* etc.] Descriptio ruris Virgiliani et commendationes.

Vss. 60 sqq. *Ante leves* etc.] Gratia, quam rependit pro restitutis agris et libertate.

Vs. 66. *Oaxem*] Oaxem. Vide Angelum Politianum in Miscellaneis cap. 37.[6]).

Vs. 71. *Impius haec* etc.] Exclamatio adversus bellum civile.

Ecloga II.

Videtur haec Ecloga continere poetae querimoniam, quod parum gratiosus apud Augustum esset.

Vs. 6. *O crudelis Alexi* etc.] Propositio.

Vss. 8 sq. *Nunc etiam* etc.] πάθος a tempore.

Vss. 14 sqq. *Nonne fuit satius* etc.] Increpatio, quod satius fuisset prioribus amoribus perfrui.

Vs. 20. *Quam dives* etc.] Ab opibus.

Vs. 24. *Amphion*] Amphion poeta fuit, qui concinit saxa, ut in moenia coirent[7]), ita Thebas conditas esse.

Vs. 32. *Pan primus* etc.] Amplificat studium musicae, et pastorum conditionem exemplo Panos.

Vs. 43. *Iam pridem* etc.] πάθος.

Vss. 46 sqq. *Ecce ferunt* etc.] Coacervatio.

Vss. 56 sq. *Alexis — Iolas*] Non dubium est, quin Alexim Augustum velit intelligi, Iolam bonum civem.

Vss. 63 sq. *Torva leaena* etc.] Rursus hortatur Alexim, ut se redamet ab exemplo.

Vs. 68. *Me tamen urit* etc.] ἐπιφώνημα[8]).

Vs. 69. *Ah Corydon* etc.] Castigatio.

Vs. 71. *quorum indiget usus*] Argumentum ab utili.

Ecloga III.

Ex Theocrito sumpta, et ad imitationem Graecam scripta est haec Ecloga[9]).

Vs. 17. *Non ego te* etc.] Iurgia[10]).

Vss. 19 sq. *Et cum clamarem* etc.] In eos convenit, qui aliquid dicunt, quod nihil ad rem facit[11]).

Vss. 26 sq. *non tu in triviis indocte solebas* etc.] In eos convenit, barbaros nimirum et indoctos, qui, quicquid faciunt, intempestive agunt.

Vss. 28 sq. *Vis ergo inter nos* etc.] Certamen[12]).

Vs. 41. *Descripsit radio* etc.] Archimedes.

Vs. 45. *acantho*] Acanthus, genus spinarum semper frondentium.

Vs. 59. *Camoenae*] Camoenae dictae a canendo.

Vss. 64 sq. *Malo me* etc.] Amores.

---

1) Versuum numeros, quibus illae Editt. carent, ex Ed. Wagneri (P. Virgilius Maro varietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Christ. Gottl. Heyne. Editio IV. curavit Ge. Phil. Eber. Wagner. 5 Voll. Lipsiae 1830—1841. 8.) adscripsi.

2) Haec et sequentia Virgilii verba, ad quae Melanthonis scholia marginalia pertinent, ipse addidi. Saepe autem Editiones, quas contuli, eo differunt, quod eadem scholia in aliis Editt. aliis versibus sunt apposita. Inter hos versus eos elegi, ad quos scholia vere spectare cognovi.

3) Hoc schol. et duo seqq., quae in Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1547. leguntur, in Ed. 1540. desunt.

4) gregis] Ed. Nor.: gregi.

5) De huius vocis et aliarum graecarum, quae in sequentibus scholiis occurrunt, usu in arte rhetorica conf. Io. Chr. Theoph. Ernesti Lexicon technologiae Graecorum rhetoricae s. hh. vv.

6) In hoc cap. Politianus demonstrat „lapsum foede Servium super Oaxe fluvio et Creta." — Hoc scholion in solis Editt. Mog. et 1547. legitur.

7) ut in moenia coirent] sic Editt. Mog., 1533., 1535., 1540., 1547.; Ed. Nor.: ut coirent in moenia.

8) Hoc schol. legitur in Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1547.; in Ed. 1540. deest.

9) Fulvius Ursinus in libro: Virgilius collatione scriptorum Graecorum illustratus. (Antverp. 1568. 8.) p. 24. dicit, huius totius Eclogae argumentum videri posse sumptum e Theocriti Batto et Bucoliastis.

10) Hoc schol. Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1540. exhibent; in Ed. 1547. deest.

11) Hoc schol. in Editt. Mog., Nor., 1540., 1547. legitur; in Editt. 1533., 1535. deest.

12) Certamen] hoc schol., quod in Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1540. exstat, in Ed. 1547. deest.

Vs. 68. *meae Veneri*] Per ἀντονομασίαν suam Galateam Venerem appellat.

Vs. 76. *Phyllida mitte* etc.] Petitio.

Vs. 87. *Pollio et ipse* etc.] Pollionis encomium.

Vs. 90. *Qui Bavium* etc.] Taxat poetam quendam, qui carpere ausus fuit Pollionem.

Vs. 97. *Ipse, ubi tempus* etc.] Apostrophe ad tempus.

Vs. 103. *fascinat*] Fascinare magicum verbum [13]).

Vs. 105. *Treis pateat*] Treis pateat. Vide Petrum Crinitum libro 3. de honesta disciplina cap. 8.[14]).

Vs. 111. *Claudite iam* etc.] Clausula rustica [15]).

Ecloga IV.

Vs. 1. *Sicelides Musae* etc.] Propositio.

Vs. 4. *Ultima Cumaei* etc.] Orditur a descriptione temporis, veluti publica voce testatum faciat, Augustum novi seculi autorem esse.

Vs. 18. *At tibi prima* etc.] Aurei seculi incrementa confert cum incrementis pueri.

Vss. 26 sq. *At simul Heroum* etc.] Adolescentia.

Vs. 37. *Hinc ubi* etc.] Iuventus.

Vs. 46. *Talia saecla* etc.] Peroratio.

Vs. 48. *Aggredere o magnos* etc.] Apostrophe ad Augustum.

Vs. 62. *cui non risere*] Cui non risere. Vide Angel. Politianum in Miscellan. cap. 89.[16]).

Ecloga V.

Deflet poeta mortem Daphnidis [17]). Non Daphnis Augustus Caesar est, sed Iulius.

Vs. 9. *Quid si idem* etc.] In arrogantes.

Vs. 19. *Sed tu desine* etc.] Propositio.

Vs. 21. *Flebant: vos* etc.] Amplificatio ab eventu.

Vs. 27. *Daphni tuum* etc. Incrementum.

Vss. 29 sq. *Daphnis — Baccho*] Iulius enim Caesar Bacchanalia Romae instituit.

Vs. 40. *Spargite humum* etc.] Exclamatio.

Vs. 43 sq. *Daphnis ego* etc.] Epitaphium.

Vs. 46. *Quale sopor* etc.] Rusticae comparationes.

Vss. 56 sqq. *Candidus insuetum* etc.] Altera pars Eclogae, qua canitur post complorationem divinitas [18]) Daphnidos. Est enim Iulius inter Deos relatus [19]).

Vs. 63 sqq. *ipsae iam carmina* etc.] Precatio [20]).

Vss. 65 sqq. *en quatuor aras* etc.] Observa descriptiones rustici cultus.

Vs. 89. *Antigenes*] Hunc Antigenem choraulem fuisse perhibent.

Ecloga VI.

Vss. 1 sqq. *Prima Syracusio* etc.] Praefatio est, cur canat Bucolicum carmen.

Vs. 8. *Agrestem tenui* etc.] Extenuatio.

Vss. 9 sqq. *Si quis tamen* etc.] Amplificatio.

Vss. 13 sqq. *Chromis et Mnasylus* etc.] ὑποτύπωσις [21]).

Vs. 18. *Aggressi* etc.] Narratio.

Vss. 29 sqq. *Nec tantum Phoebo* etc.] Amplificatio ab exemplis.

Vss. 43 sqq. *His adiungit* etc.] Alludit [22]) ad ludos in honorem Herculis institutos.

Vs. 46. *Pasiphaën* etc.] Amplificat ab exemplo Pasiphaës [23]).

Vs. 52. *Ah virgo infelix* etc.] Exclamatio.

Vs. 62. *Tum Phaëthontiadas* etc.] Canit Phaëthontiades mutatas in alnos.

Vss. 64 sqq. *Tum canit errantem* etc.] Laus Galli poetae [24]).

---

13) Hoc schol. in Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1540. exhibetur, in Ed. 1547. deest.

14) Hoc. schol. in Editt. Mog. et 1547. invenitur. — In Ed. Mog. pro cap. 8. male legitur cap. 3.

15) Hoc schol., quod Editt. Nor., 1533., 1535., 1540., 1547. exhibent, in Ed. Mog. deest.

16) Hoc schol. in Editt. Mog., 1547. legitur.

17) Daphnidis] sic Editt. Mog., Nor., 1540., 1547.; Editt. 1533., 1535. Daphnis.

18) divinitas] Ed. Nor. male: divinitatis.

19) Sic hoc schol. legitur in Editt. Mog., 1540., 1547.; in Editt. Nor., 1533., 1535. in duo est disiunctum, quorum alterum: „Est enim — relatus." versui 61. s. 62. s. 65. appositum est.

20) Hoc schol. in solis Editt. Mog., 1540. invenitur.

21) ὑποτύπωσις] sic Editt. Mog., Nor., 1533., 1535.; Ed. 1540. Amplificatio; in Ed. 1547. neutrum Schol. h. l. legitur.

22) Alludit] sic Editt. Nor., 1533., 1535., 1540., 1547.; Ed. Mog.: Allusit.

23) Pasiphaës] sic Ed. Mog.; Ed. 1540. Pasiphaae; Editt. Nor., 1533., 1535., 1547. Pasiphae.

24) L. Galli poetae.] sic Editt. Mog., 1533., 1535.; Editt. Nor., 1540., 1547. (in qua hoc schol. cum praecedente in unum est coniunctum): L. Galli filiorum poetae.

Ecloga VII.

Vss. 1 sqq. *Forte sub arguta* etc.] Exemplum copiae nobis exhibet poeta, perinde ac in tertia fecit.

Vs. 6. *Huc mihi, dum* etc.] Amplificatio a circumstantiis.

Vs. 21. *Nymphae, noster* etc.] Invocatio [25]).

Vs. 25 sq. *Pastores hedera* etc.] Amplificatio a maiori [26]).

Vss. 33 sq. *Sinum lactis* etc.] Amplificatum [27]) a simili.

Vs. 37. *Nerine Galatea* etc.] Amores.

Vss. 45 sqq. *Muscosi fontes* etc.] Precatio a tempestate.

Vss. 55 sq. *at si formosus* etc.] De absentia pueri [28]).

Vss. 61 sqq. *Populus Alcidae* etc.] Collatio arborum.

Ecloga VIII.

Vss. 1 sqq. *Pastorum Musam* etc.] Propositio.

Vs. 4. *Et mutata suos* etc.] ὑπερβολή.

Vss. 19 sqq. *Dum queror* etc.] Fingit Damonem mane primum lamentari et querelam ordiri carmine, ut qui per totam noctem cruciarit se recordatione calamitatis, ac tandem in has erumpat lamentationes.

Vs. 30. *Sparge, marite,* etc.] A veteri consuetudine.

Vs. 31.[29]) *Incipe Maenalios* etc.] Exclamatio γνωμική.

Vs. 44. *Ismarus*[30])] Pet. Bembus legit: *Aut Tmarus*, in lib. de Culice V. erg.[31]).

Vs. 49. *Crudelis mater* etc.] Dubitatio.

25) Hoc schol. in Editt. Mog., 1533., 1535., 1547. exstat; in Editt. Nor., 1540. deest.

26) a maiori] sic Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1547.; Ed. 1540. a simili.

27) Amplificatum] sic Editt. Mog., 1533., 1535., 1547.; Editt. Nor., 1540. Amplificatio.

28) Hoc schol., quod Editt. Mog., 1533., 1535., 1540., 1547. exhibent, in Ed. Nor. deest.

29) Huic vs. hoc scholion appositum est in Editt. 1533., 1535.; in Ed. Mog. versui 41., in Editt. Nor., 1540., 1547. vs. 46., qui ab iisdem verbis incipiunt.

30) *Ismarus*] sic h. l. in omnibus Editt. supra p. 298. enumeratis legitur; lectio nunc recepta est: *Aut Tmaros*. Conf. Wagneri annot. crit. ad h. l.

31) Haec annot. in sola Ed. Mog. invenitur.

Vs. 50. *Improbus ille* etc.] Conclusio [32]).

Vss. 52 sqq. *Nunc et oves* etc.] Optat omnium rerum naturas mutari, posteaquam res tam aliena accidit.

Vs. 64. *et molli cinge haec altaria vitta*] Omnes hostiae solebant vitta circumdari. Hic altare transfertur ad victimas.

Vs. 76. *Ducite ab* etc.] Versus intercalaris [33]).

Vs. 85. *Talis amor* etc.] Precatio.

Vs. 102. *Transque caput* etc.] Indignatio.

Vs. 107. *Nescio quid* etc.] Eventus.

Ecloga IX.

Vss. 1 sqq. *Quo te* etc.] Occasio fingitur. Is enim, qui praediis Virgilii praeerat Arrio, in urbem illam tuam [34]) munus affert.

Vss. 7 sq. *Certe equidem* etc.] Admiratio [35]).

Vss. 11 sq. *sed carmina* etc.] Non esse locum honestati apud Mavortios.

V. 17. *Heu cadit* etc.] Admiratio.

Vss. 30 sqq. *Sic tua Cyrneas* etc.] Quia Moeris bene precatus fuerat Virgilio, vicissim Lycida bene precatur Moeri, et provocat ad recitandum carmen aliquod.

Vss. 46 sqq. *Daphni, quid* etc.] Aliud canticum de Iulio Caesare.

Vs. 51. *Omnia fert aetas* etc.] Tempus [36]).

Vs. 53 sq. *vox quoque* etc.] Iocus [37]).

Vs. 55. *Sed tamen* etc.] Interrumpit.

Ecloga X.

Vs. 1. *Extremum hunc* etc.] Invocatio.

Vss. 2 sqq. *Pauca meo Gallo* etc.] Propositio. Gallus, Asinii Pollionis filius, poeta fuit. Hunc increpat poeta hic, quod se nimium discruciet,

32) Hoc schol. in Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1540. legitur; in Ed. 1547. deest.

33) Hoc schol. in Editt. 1533., 1535., 1540. huic vs. appositum, in Ed. Mog. iuxta vs. 77., in Ed. Nor. iuxta vs. 78. legitur; in Ed. 1547., eius loco, voci *nodos* vs. 78. adscripta est varietas lectionis: Ald. *modo*.

34) tuam] sic Editt. Mog., 1533., 1535., 1540., 1547.; Ed. Nor.: tuum.

35) Hoc schol., quod in Editt. Mog., Nor., 1533., 1535., 1547. legitur, in Ed. 1540. deest.

36) Hoc schol., quod Editt. Mog., Nor., 1533., 1540., 1547. exhibent, in Ed. 1535. deest.

37) Iocus] sic Editt. Nor., 1533., 1535., 1547.; Editt. Mog., 1540. Locus.

quod a se sit alienata puella. Est autem civilis increpatio.

Vs. 18. *Et formosus* etc.] Adonis formosus[38]) iuvenis, quem amavit Venus.

Vs. 19. *bubulci*] alii *subulci*[39]).

Vs. 28 sq. *Et quis erit* etc.] Amplificatio.

38) formosus] Ed. Nor., in qua haec annot. cum praeced. in unam est coniuncta, male: formosis.

39) Haec varietas lectionis in solis Editt. Mog., 1547. est adscripta.

Vss. 31 sqq. *Tristis at* etc.] Fingit Gallum respondentem, ut magis ob oculos ponat hominis insaniam.

Vs. 50. *Ibo, et Chalcidico* etc.] Disceptat, quorsum se conferat, amorem evitaturus.

Vs. 62. *Iam neque* etc.] Mutat superius consilium[40]).

Vs. 69. *Omnia vincit* etc.] ἐπιφώνημα.

Vs. 70. *Haec sat erit* etc.] Epilogus.

Vss. 75 sqq. *Surgamus: solet* etc.] Periodus bucolica.

40) consilium] Ed. 1547. errore typogr.: concilium.

2. IN VIRGILII BUCOLICA

ARGUMENTA SEU DISPOSITIONES RHETORICAE PHIL. MELANTHONIS.

Haec argumenta, seu dispositiones rhetoricas, quas Melanthon quondam M. Ioanni Marcello Regiomontano, et M. Ioanni Stigelio et aliis, tanquam publicis professoribus bonarum artium in Academia Wittebergensi diversis temporibus dictandas proposuit *) (id quod Riccius in epistola dedicatoria refert), non ipse auctor, sed Steph. Riccius edidit. Ex quatuor eorum Editionibus, quas in Prolegomenis commemoravi, hae tres mihi ad manus sunt: 1) *Leucopetr.* 1565., 2) *Gorlic.* 1568., 3) *Witeb.* 1593., quas solis annorum numeris significabo.

Ex iis, quae editor in his tribus Editt. argumentis Melanthonis praemisit, tantummodo hocce Stigelii epigramma exhibemus:

D. Iohannes Stigelius de viva imagine D. Philippi Melanthonis, Anno M. D. LV.

Sicut apis vario sugens e flore liquorem
    Subtili pressum nectare fingit opus,
Sic selecta etiam tibi mens arguta Melanthon,
    Et veris gignit scripta referta bonis.
Quid strepitis fuci? qui quantum in pectore succi
    Fertis, ab hac una surripuistis ape.
Haec apis officii memor, in commune laborans,
    Esse Deo gratum, quod facit, omne cupit.
Qui mundo potius fuci inservire laborant,
    His sua conveniens praemia meta feret.
Cedite degeneres fucato pectore fuci,
    Haec apis est ipso vindice tuta Deo.
Quod si adeo caeco iuvat insanire furore,
    Si fatum impietas non videt ista suum,
Hei quantum Christi alveolis examen ab ipsis,
    In vestram armabit spicula prompta necem.
Cedite degeneres fucato pectore fuci,
    Haec apis est ipso vindice tuta Deo.

*) Ex his intelligitur, unde tanta horum argumentorum Mel. varietas orta sit.

Quo consilio scripta sunt initio Bucolica?

Supervacaneum est quaerere, quae sit origo Bucolici carminis. Semper enim fuerunt cantilenae, et rusticis figuris alias res ac personas cantilenis significare mos fuit, ut canticum Salomonis magna ex parte Bucolicum est, quo tamen describitur status regni Israel. Hoc igitur initio discant adolescentes, pastorum personis et figuris significari alias magnas res in vita, et scribi haec figurata poemata vel ad oblectationem, vel ad consolationem, vel ad deplorationem, vel ad affectus animi quoscunque significandos, vel ad commonefaciendos homines, ac docendos de ali-

qua re[1]) utili. Quare plerumque aliqui loci communes assumuntur, ut apud Virgilium statim in prima Ecloga deploratur bellum civile. Apud Theocritum vituperantur venustissime divites avari, qui nolunt honesta studia iuvare, cum recitat fuisse quendam pastoris ministrum, qui quotidie sacrificare Musis unam ovem solitus sit, ut reliquum gregem Musae servarent. Crescebant igitur oves domini, cum grex non periret pestilentia aut aliis morbis, per aliquot annos. Sed tandem audit dominus quotidie mactari unam ovem Musis. Hanc iacturam tanti fecit, ut ministrum puniendum duxerit, qui exposita causa, cum dixisset gregem a Musis servatum esse, Experiar, inquit, an Musae hactenus servaverint gregem te amoto. Includit igitur ministrum in cavam arborem, ut eum fame interficeret. Aliquanto post totus grex pestilentia moritur. Hic avarus pastor agnoscere suum scelus incipit, et priorem ministrum desiderat. Forte igitur ad arborem venit, in quam servum incluserat, et comperit ministrum adhuc vivere, ac interim a Musis alitum esse, quae apum examen in arborem miserant, ut ibi mel facerent, quo interim inclusus ille poeta victitarit. Hinc facile intelligi potest, quid significetur. Ita passim allegoriae in Bucolicis sparguntur. Haec de ipso genere carminis et consilio scribentium carmina Bucolica observanda sunt.

Ecloga I.

Argumentum in primam Eclogam.

Prima Ecloga continet gratiarum actionem. Orditur autem a gratulatione alterius rustici, ut esset occasio narrationis, qua paulo altius repetita rusticorum more commemorat beneficium Caesaris. Postea, ut fieri solet, amplificat istud beneficium ab effectu seu a consequentibus, videlicet, quod nunc domi rebus suis tuto frui liceat, et sit beatus; item collatione: Alii eiecti possessionibus exulant. Et hic adsperguntur quaedam πάθη[2]); item epiphonema a causa malorum: Bellum civile tales calamitates affert. Conclusio habet ἀδύνατον: Ergo prius rerum natura mutabitur, quam obliviscar huius beneficii. Erit igitur adolescentibus haec Ecloga commodum exemplum tractandae gratiarum actionis, quae constat enthymemate: Magno beneficio a Caesare sum affectus: ergo nunquam illius obliviscar. Antecedens, ut dixi, est amplificatum propemodum tribus schematis: ab effectibus seu a consequentibus, collatione et affectu. Nam caetera, ut in poemate, sunt dialogica, et inserviunt decoro.

Alia dispositio eiusdem in eandem Eclogam.

Haec Ecloga seu tota haec oratio generis demonstrativi est. Nam praeterquam quod hic Caesari Augusto sub Tityri persona gratias agit, qui totius Eclogae status est, multae sunt hic urbium atque locorum laudes et descriptiones, de Italiae et veterum colonorum, qui agris pellebantur, miseriis et calamitatibus querelae, civilium bellorum vituperatio et execratio. Maxime autem in laudando Augusto versatur poeta. Et ut orationis seriem ac dispositionem facilius videre ac complecti in animo adolescentes possint, indicabo paulo prolixius carminis ordinem. Propositio est: Nos misere habemus pulsi sedibus nostris. Hanc propositionem figuravit contentione et antithesi: At tu interim, qui meliori fortuna uteris, securus cantando sub patula arbore te oblectas. Est quoque schemate, expolitione, illustrata propositio, ac affectu. Observabis autem Meliboei orationem perpetuam quandam esse querimoniam calamitatum, et miseriarum deplorationem; Tityri vero gratulatoriam, qui ubique Augusti laudes, et illius erga se beneficia pleno, quod aiunt, ore praedicat. Deinde propositioni statim mutata persona benevolentiae captationem subiicit, quae tracta est a Caesaris persona, dum illum Deum appellat, et eius in se beneficia recenset.

Porro, ne Tityrus suspicetur Meliboeum invidere sibi illud otium, cum suam fortunam cum illius felicitate confert, mox illud occupat, non ideo se illius fortunam praedicare, et suam deplorare, quod id sibi doleat, sed ait se mirari, quod in istis tantis motibus, et veterum colonorum exturbatione, solus Tityrus suos agros obtineat, et otio illo fruatur, cum tamen ad neminem non istius mali labes pervenerit. Atque ut suum infortunium magis testatum faciat et declaret Tityro, δεικτικῶς ei capellas, quas aeger patria et suis bonis pulsus ducebat, coram ostendit: quam calamitatem auget etiam affectu, cum per hypotyposin ait se vix ducere capellam, quae

1) de aliqua re] sic Editt. 1568., 1598.; Ed. 1565. de aliqua de re.

2) Conf. supra p. 299. nota 5.

iam in nuda silice enixa gemellos relinquere cogatur. Postremo amplificavit hunc locum a prodigiorum mentione, et cupit certior fieri a Tityro Meliboeus, quis Deus istius otii ei sit autor.

Tityrus autem orditur narrationem suam a loci descriptione egregie servato decoro. Nam non mox Meliboeo respondet, per quem istud otium ac securitatem sit consecutus, sed per ambages quasdam, quibus in narrando plerumque solent uti rustici. Primum eam urbem describit, in qua ille viderit suum Deum. Continetur autem urbis Romae laus in his comparationibus a dissimili ductis, quae mirabiliter sunt simplices et plane Bucolicae. Porro data per Meliboeum occasione exponitur hic quoque causa, cur se Romam, relicta Mantua, Virgilius contulerit, ut narratio sit et prolixior et illustrior, libertatis scilicet consequendae gratiae. Fingit autem se servum fuisse (quamquam re vera liber fuit Virgilius), ut Augusti beneficia magis et copiosius praedicet, ac versatur hic totus locus in prosopopoeia quadam. Nam tum se primum liberiorem vivendi rationem, et prosperiorem fortunae statum [3]) nactum ait, cum veteri amica Mantua patria relicta, Romam ad Amaryllida venerit, atque hunc locum amplificavit collatione pristini status, nullam sibi gratiam a Mantua esse relatam, quamquam multa in eam contulerit beneficia, Romae autem haberi honorem virtuti.

Postea Meliboeus gratulatur Tityro illam felicitatem, et laudat rus eius ab amoenitate. Sed quia Tityri persona tota versatur in agendis gratiis Caesari Augusto, quem dixi Eclogae esse statum, ideo absoluta narratione, ab impossibili argumento ducto ait, nunquam futurum, ut illius in se meritorum obliviscatur. Meliboei autem oratio est perpetua quaedam de praesenti rerum statu querela. Quare postquam iam Tityri felicitatem satis praedicavit Meliboeus, redit per collationem et antithesin, ut in principio coeperat, ad suam et aliorum, qui agris suis pellebantur, miseriam. Est autem variis figuris et affectibus illustratus hic postremus locus.

Alia dispositio eiusdem in eandem Eclogam.

Solebant Romani imperatores in municipalibus agris, eiectis veteribus colonis, milites, ut eorum animos sibi demererentur, collocare. Proinde cum Transpadanos agros Augustus divideret (nam Transpadani adiuverant Antonium in civili bello contra Augustum), amisit et suum Virgilius. Is postquam Augusto Romae innotuit intercedentibus Pollione, Maecenate et aliis, ingenio meruit, ut ager sibi paternus restitueretur. Hic Augusti beneficium praedicat poeta. Imitatur carmen genus demonstrativum. Nam ordine recensetur factum a Tityro, qui Virgilium repraesentat. Meliboei persona adiecta est, ut contentione ornaretur et amplificaretur carmen. Nam hic alias deplorat eorum sortem, qui e suis possessionibus eiecti erant, alias bene precatur Virgilio. Si eximas Meliboei personam, sermo Tityri perpetua quaedam narratio fuerit, quae qua ratione, quo ordine constet, quibus sit ornata figuris, ita demum intelliget adolescens, si soluta oratione carmen exposuerit.

Aliud eiusdem.

Nomen Eclogae non est a capris factum, sed simpliciter significat lectionem seu enarrationem seu adnotationem. Sunt autem in aliis continuae expositiones, in aliis colloquia distincta personarum, et in utroque quid deceat, et quomodo ingeniose utramque formam tractaverint, observandum est. Nunc de prima Ecloga Virgilii dicam. Ut autem antea monui, significari res magnas figuratis narrationibus, quaerendum est argumentum ex temporum illorum historiis. Duae sunt personae in prima Ecloga, quarum altera agit gratias pro reddito praedio [4]); altera deplorat bella civilia, et calamitatem civium, qui ex possessionibus suis propter civile bellum expulsi erant. Hunc locum communem assumit Ecloga, qui praecipue hic observandus est. Monet enim deprecanda et vitanda esse dissidia civilia. Historia autem, quae praebuit occasionem huic carmini, haec est: Non facile sedantur civiles tumultus, ut haec ipsa historia ostendit.

Cum Octavius Augustus et M. Antonius oppressissent Brutum et Cassium, Antonius in Asiam traiecit, Octavius Romam rediit, ut res urbanas constitueret, et veteranis daret promissos agros. Sed quia crudele est expellere possessores, haec ipsa res novum bellum Augusto excitavit. Nam Lucius Antonius, frater M. Anto-

3) statum] Ed. 1568. mendo typogr.: flatum.

4) praedio] Ed. 1568. mendo typogr.: praelio.

nii, consul, opponebat se Octavio, et collecto exercitu circa Perusiam et Cremonam impedire Octavium conatus est. Sed paulo post fame coactus Octavio sese dedidit [5]). Ibi Octavius Augustus victor iam veteranis agros attribuit. Erant autem Cremonenses agro mulctati, quod cum L. Antonio sensissent, cumque horum ager divideretur, nec fufficeret militibus [6]), accidit (ut dici solet) malum vicinis Mantuanis propter vicinum malum, pars Mantuani agri etiam attributa est militibus. Hic Virgilius suum praedium amisit. Profectus igitur Romam, venit in notitiam et familiaritatem Cornelii Galli, qui cum praedicaret Augusto ingenium, eruditionem et mores Virgilii, impetravit, ut praedium ei restitueretur. Id Augusti beneficium celebrat in hac Ecloga. Sed ut beneficii commemoratio esset illustrior, addita est contraria querela expulsi patrisfamilias ex suis laribus, et haec pars eo addita est, ut in narratione alioqui agresti, tamen aliquis gravis locus adspergeretur, et lectori sapienti gratus. Est igitur argumenti summa, gratiarum actio de redditis agris, et querela civium expulsorum ex agris. Haec [7]) de re monuisse satis est.

Nunc de genere orationis dicendum est. Nam haec scripta ideo proponuntur, ut adolescentes recte iudicare de oratione, et recte loqui ac scribere discant. Sermo est proprius et tenuis, et membra in sua cuiusque personae oratione apte cohaerent. Tityrus proponit, sibi redditos esse agros, exaggerat beneficium, et in fine addit, se perpetuo memorem et gratum futurum esse. Meliboeus vero querelam orditur, et constituta propositione eam exaggerat. Propositio eius est propriis verbis explicata: (Vs. 3.) *Nos patriae fines* etc. Deinde exaggerat per hypotyposin: (Vs. 12.) *Usque adeo turbatur agris* etc. In fine amplificatur narratio addita causa calamitatum: Haec mala (inquit) orta sunt ex discordiis civilibus: (Vs. 72.) *En quo discordia cives perduxit miseros.* Maxime autem prodest studiosis diligenter considerare proprietatem sermonis, et ordinem membrorum, ut haec exempla imitantes se quoque ipsi ad proprietatem in sermone assuefaciant, et apte cohaerentia dicere et scribere discant. Haec praecipua utilitas ex his exemplis petenda est.

5) dedidit] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565.: dedit.

6) sufficeret militibus] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. militibus sufficeret.

Aliud eiusdem.

Locus primae Eclogae praecipuus est, quod Tityrus repraesentat ipsum poetam, cui concessu et munere Augusti facultates erant in tuto. Meliboeus est imago exulum, qui pulsi suis sedibus vagari et errare cogebantur, iuxta versiculos Tyrtaei [8]), qui omnibus noti sunt: Nam miserum est procul a patria laribusque vagari, Non exul curae ducitur esse Deo.

Agit igitur Virgilius Augusto gratias pro hoc tanto beneficio, quod in mediis fluctibus et procellis civilium motuum conservatus sit, nec ullum detrimentum rei familiaris ceperit. Contra Meliboeus deplorat pressis et flebilibus modis suam calamitatem. Estque haec tota Ecloga pictura horum temporum, in quibus multi boni suis fundis et [9]) facultatibus spoliantur. Pauci vero singulari dispensatione et clementia bellatorum suas facultates retinuerunt.

Aliud eiusdem.

Haec prima [10]) Ecloga continet querelam pastorum, qui [11]) coacti sunt magna difficultate [12]), post bellum civile gestum inter Caesarem et Pompeium, Augustum ac Antonium [13]), deserere suas possessiones. Augustus enim victor Cremonensium agros, qui pro Antonio senserint, et Augusti hostes fuerint, eripuit, deditque suis militibus. Et quia Cremonensium agri militibus non sufficerent, in partitione iussit etiam Mantuanis suos eripi, non quidem propter culpam civium, sed propter vicinitatem Cremonensium, unde et ipse in nona Ecloga (Vs. 28.) inquit: *Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!* sicque fit, quemadmodum dicitur, aliquid mali propter vicinum malum, inter Mantuanorum agros et Virgilii agri paterni erepti sunt. Romam igitur accedens, Maecenatis, qui gloria et au-

7) Haec] sic Editt. 1565., 1568.; Ed. 1593. Hac.

8) Haec spectant ad Tyrtaei Carm. I. vss. 3 sqq.

9) et] sic Editt. 1565., 1593.; in Ed. 1568. deest.

10) Haec prima] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. Prima.

11) qui] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. siquidem.

12) magna difficultate,] sic Editt. 1568., 1593.; in Ed. 1565. desunt.

13) inter Caesarem et Pompeium, Augustum ac Antonium] sic scripsi; Editt. 1568., 1593. inter Caesarem Augustum, et Pompeium ac Antonium; Ed. 1565. inter Caesarem et Pompeium.

toritate apud Augustum plurimum valebat, precibus usus, recuperavit agros suos et retinuit. Pro illo igitur beneficio recuperatorum agrorum gratias hic agit, et haec est causa scribendorum Bucolicorum. Est ergo haec prima Ecloga quaedam gratiarum actio pro restitutis agris paternis. Est autem haec Ecloga mixta, quia est ex parte *αἰπολικὴ*, ex parte *βουκολική* [14]).

Aliud eiusdem.

Poemata Virgilii alia rationem morum tradunt, alia physiologiam, alia simpliciter pro exercitio scripta sunt. Exemplum morum Aeneis continet. Georgica habent physiologiam. Bucolica tantum ingenii exercitium ostendunt. Habent tamen et haec adspersa quaedam praecepta morum. Fieri enim non potest, ut sit aliquod scriptum, in quo nihil sit, quod ad mores faciat. Caeterum, Bucolicum hoc carmen, quantumvis in speciem videatur humile, valde carum esse debet studiosae iuventuti. Habet enim praeter dicendi rationem multos iucundos et utiles locos.

Primae Eclogae duplex est argumentum. Meliboeus de sua calamitate et infortunio queritur [15]). Tityrus recenset beneficia accepta ab Augusto Caesare. Cum enim ager Mantuanus Romano militi assignatus esset, et veteres coloni pellerentur, Virgilio suae res incolumes manserunt. Id beneficium hac Ecloga narrat ac praedicat. Duplex est propositio: Tuae res omnino sunt salvae; meae vero graviter periclitantur. Prima propositio de felicitate copiosius repetitur. Repetitioni subiecta est narratio, qua exponit alteram propositionem de infelicitate. Additur amplificatiuncula sumpta ab omnibus. Sequitur altera narratio propositionis de felicitate, qua exponit ordine, quomodo consecutus sit otium. Hanc orditur a descriptione Romae, quae est figurata per collationem. Inserta est et apostrophe ad Amaryllida, quae est sumpta ex admiratione felicitatis. Narrationi subiecta est gratulatio, quae habet descriptionem praedii Virgiliani, et enumerationem multorum commodorum ex praedio. Conclusio continet gratiarum actionem et querimoniam propter duplicem propositionem. In fine est addita suavis et iucunda invitatio.

Ecloga II.

Argumentum in secundam Eclogam.

Secunda Ecloga constat etiam perpetuo argumento. Corydon enim ambit amicitiam Alexidis, et recitat causas, quare non sit aspernandus. Haec summa est argumenti. Sed figura est Bucolica, et significat Virgilium ambire amicitiam seu Augusti, seu alterius cuiuspiam, et certe simile quiddam. Talibus enim figuris solent involvi alia argumenta, ut apud nos cantilenae extant figuratae, in quibus rusticarum personarum imagine aliae personae significantur. Est autem generis deliberativi, quia est petitio, qua rogat Corydon se non despici ab Alexide. Priores quinque versus sunt argumentum Eclogae. Deinde sequitur propositio: (Vs. 6.) *O crudelis Alexi* etc., et amplificat eam querela [16]) per collationem: Omnia alia habent, quo recreentur [17]), et levent suos labores; ego solus non possum acquiescere. Rationes propositionis inchoat ab occupatione: Quamquam formosus es, tamen etiam oppone [18]) alia plura bona illi fragili et caduco bono. Primum igitur argumentum sumitur a divitiis; secundum ab arte; tertium a forma; quartum ab utilitatibus, ubi obiter ruris commoda laudat. Deinde dona promittit, et intertexit venustissimos affectus zelotypiae. Quinto sequitur correctio, quod Alexis non capiatur muneribus. Sexto diluit obiectionem de indignitate, et argumentatur ab exemplo: Habitarunt Dii quoque sylvas [19]). Septimo amplificatio addita est per similitudinem: Alii aliud amant, Corydon Alexin. Deinde addit correctionem totius querelae, qua ad sanitatem redit, et se ipsum obiurgat, et commonefacit, ut suas res agat, seque ab hoc furore revocet. Oratio est mollissima et propria, sed conspersa quibus-

14) Augustus enim victor Crem. — ex parte *βουκολική*.] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. Augustus enim cum agri Cremonensium non sufficerent suis militibus, iussit etiam Mantuanis adimi suos agros. Itaque Virgilius Romam concedens summorum virorum, qui gratia et autoritate apud Augustum plurimum valebant, precibus usus suos agros iterum recuperavit.

15) queritur] Ed. 1565. quaeritur.

16) querela] sic Editt. 1565., 1568.; Ed. 1593. querelam.

17) recreentur] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. recreantur.

18) oppone] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. oppono.

19) sylvas.] Ed. 1565. addit: etc.

dam figuris, quae Bucolico generi conveniunt. Inprimis est pulchra hypotyposis, cum ait Corydon, se velut in speculo suam faciem in mari conspexisse. Deinde sunt duae elegantissimae coacervationes, altera de hortensibus donis, sertis, poenis; altera, quae continet collationem et gnomen, quod alii aliis rebus capiantur, estque ornata gradatione.

Aliud eiusdem.

In omnibus Eclogis duo potissimum spectanda sunt, locus communis et imitatio poetae. Nam omnes Eclogae involucris verborum insignem aliquem locum, sumptum ex consideratione vitae humanae, explicant. Deinde cum Virgilius se composuerit ad imitationem Theocriti, videndum est, cum quibus Idylliis [20]) aut totae Eclogae, aut partes earum congruant [21]). Quod igitur ad locum communem huius Eclogae attinet, non dubium est, eam continere querelam de mobilitate et inconstantia favoris aularum. Etsi enim in omnium hominum pectoribus tantae sunt latebrae, ut eas nemo satis perspicere possit, iuxta illud Hieremiae [22]): Perversum est cor hominis aerumnosum et inscrutabile [23]): tamen aularum favore nihil obscurius, nihil incertius, nihil fallacius est. Plena est omnis historia exemplorum. Sed nos duobus exemplis Euripidis et Arati Sicyonii contenti erimus. Euripides poeta valde familiaris fuit regi Macedonico Archelao. In eius aula aliquamdiu vixit, et magnis honoribus a rege ornatus est. Sed cum aulici inviderent homini scholastico hanc praerogativam gratiae, qua apud regem valebat, insidias vitae ipsius struxerunt. Cum enim noctu ex aula domum rediret Euripides, aulici canes, incitati ab invidis ac aemulis, bonum poetam dilaniarunt. De Arato Plutarchus [24]) scribit, eum fuisse in magna gratia apud postremos reges Macedonicos successores Alexandri, Philippum et Persea. Sed huic optimo viro ab aulicis regum Macedonicorum lentum venenum, quod eum paulatim absumpsit, datum est. Quare cum finem suae vitae instare videret, et causam morbi non ignoraret, hac ratione usus est, qua omnes bonos revocare potest a stulto amore aularum: Haec (inquit) sunt praemia regiae amicitiae [24a]). Denique venustissime apud Graecos dicitur: Hominem philosophum versantem in aulis non dissimilem esse asino versanti inter simias. Haec, quae in genere dicta sunt de thesi, nunc ad hypothesin transferamus. Consentaneum est, ut sunt vices in aulis, Virgilium, qui Maecenatis intercessione et commendatione in notitiam Augusti venit, calumnia deformatum esse, aut aliqua suspicione futili animum Augusti ab aulicis occupatum, et a Virgilio abalienatum fuisse. Hoc animadvertens Virgilius, ut homo sagax in gustandis hominum sensibus, deplorat suam infelicitatem, quod relicto philosophico vivendi genere, quod intelligit appellatione pastoralis vitae, cuius praecipuum condimentum est musica, sese contulerit et converterit ad aulam. Etsi autem offensum Augusti animum, et sauciatum calumniosa oratione invidorum, sibi conciliare et sanare studet: tamen ita est animo confirmatus, ut, si omnino carendum sit aulica benevolentia, non gravatim ad pristinum genus vitae tranquillius rediturus sit. Haec est, quantum ego existimare possum, summa loci praecipui in hac Ecloga. Quod vero ad imitationem attinet, sciendum est, Virgilium ad tria Idyllia Theocriti potissimum respexisse, videlicet ad undecimum et tertium et postremum.

Aliud eiusdem.

Erat Virgilius parum adhuc notus et familiaris Augusto Caesari. Quare conatur hic eum in sui amorem pellicere. Versatur autem oratio in perpetua querela fere, se negligi ab Augusto. Quamquam sint, qui per Alexin Alexandrum puerum, a Pollione Virgilio donatum, intelligere malint; et quamquam non omnino constet et appareat, quid in consilio fuerit Virgilio, quidve in hac Ecloga voluerit: certum tamen est repexisse poetam ad Graecam imitationem Theocriti, cuius pleraque Idyllia in hac Ecloga, quemadmodum in aliis quoque imitatur. Maxime autem sumpsit locos in hac Ecloga ex Theocriti Cyclope, et tertio, et postremo. Oratio vero est generis deliberativi. Utitur enim hic locis

20) Idylliis] sic h. l. et in seqq. Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. Eidylliis.

21) congruant] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. congruunt.

22) ut eas nemo — Hieremiae:] sic Ed. 1565.; in Editt. 1568., 1593. haec desunt.

23) Haec verba leguntur Ierem. 17, 9.

24) Plutarch. vita Arati c. 43. 46—48.

24a) Plutarch. l. l. c. 52.

suasoriis, dum ad amorem Alexin invitare conatur, hoc est, in gratiam Augusti se insinuat, qui est Eclogae status. Nam suas opes, suam formam, suas artes, sua dona praedicat. Si quid praeterea male convenit huic argumento, figurandae Eclogae et orationis gratia a poeta iudicemus additum esse. Alii autem hanc Eclogam flectunt ad thesin, videlicet ad dissimilitudinem morum studiorumque male cohaerentis amicitiae. Qua de re vide Erasmum in libello de instituendis liberis.

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga continet querimoniam poetae, eo quod parum gratiosus [25]) sit apud Augustum. Apparet autem scriptam esse hanc Eclogam, cum Virgilii negotium videretur magis magisque extrahi, sicut ipse queritur Ecloga prima (Vs. 30.): *Respexit tamen et longo post tempore venit.* Porro haec querimonia figurata est parabola amoris, qui tantum hoc agit, ut multis argumentis probet se contemni, quamquam interim indigne [26]) fiat illa iniuria.

Aliud eiusdem.

Argumentum secundae Eclogae est, quod Corydon indigne fert contemni se ab Alexide. Estque in hac Ecloga simulachrum quoddam propositum amicitiae male cohaerentis, in qua omnia sunt dissimilia. Fingit enim Corydonem rusticum, Alexin vero urbanum; Corydonem pastorem, Alexin aulicum; Corydonem indoctum, Alexin eruditum; Corydonem aetate provectum, Alexin adolescentem; Corydonem deformem, Alexin formosum; et similia. Porro continet haec Ecloga perpetuam querelam de infelici amore. Primo loco est propositio seu summa querelae, quae deinde copiosius exponitur. Hanc amplificat a descriptione temporis. Subiicitur increpatio sui ipsius. Deinde est apostrophe ad Alexin, continens generalem sententiam, non esse nimium fidendum pulchritudini. Postea fit repetitio querelae. Huic subiiciuntur loci suasorii ad [mutuum] amorem. Primus locus est ab opibus rusticis; secundus a peritia musices; tertius a forma. Interseritur votum, quo repetit superiores locos de [27]) opibus rusticis et peritia musices. Quartus locus continet commemorationem donorum. Ultimus locus suasorius habet invitationem a commendatione ruris. Additur correctio per increpationem, frustra invitari Alexin ad amorem muneribus, et commendatione ruris. Amplificatur correctio per exclamationem: Putabam commemoratione rusticarum opum te posse persuaderi, ut me ames. Verum eo nomine magis [28]) me fugis, et prorsus odisti rus. Additur increpatio ab exemplis, quod Alexis sit inhumanus [29]), qui contemnat rura. Postea repetitur instituta querela de infelici amore. Haec amplificatur quadam gradatione de diversis voluptatibus animalium. Additur et admiratio nimii amoris ad Alexin. Conclusio habet reprehensionem invitando se ipsum ad laborem.

Ecloga III.

Argumentum in tertiam Eclogam.

Tertia Ecloga dissimilis est superioribus. Nam superiores sunt magis oratoriae. Constant enim perpetua quadam unius propositionis expolitione, cui adduntur confirmationes et amplificationes, ut fit in integris oratorum causis. Propterea sunt exempla admodum utilia scripturis unum aliquod continuum argumentum. Sed tertia Ecloga non constat uno perpetuo argumento. Est enim contentio pastorum, qui inter se certant variis dictis, similibus, contrariis, aut aliis allusionibus. In his plurimum est figurarum, argutiarum et aculeorum, quibus aut venuste notantur aemuli, aut amici honorifice ornantur encomiis. Denique salse et argute dicta multa sunt in hac Ecloga, quae ad communem usum [30]), tanquam proverbia transferre possumus, qualia sunt ista: (Vs. 90.) *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi.* Hic salse ridentur inepti poetae. De fucatis amicis et insidiosis: (Vs. 93.) *Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* Est igitur haec Ecloga exemplum venustae et figuratae altercationis, qualis in dialogis, et saepe in congressibus incidit, ubi brevi aculeo aliquem notamus aut referimus, aut aliquid retorquemus. Ad

25) gratiosus] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. gratiosius.

26) indigne] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. indigno.

27) de] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. ab.

28) me] sic Ed. 1565.; in Editt. 1568., 1593. deest.

29) inhumanus] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. humanus.

30) usum] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. sensum.

hanc urbanitatem prodest meminisse exemplum huius Eclogae.

Secunda utilitas est, ipsos proverbiales versus excerpere, et transferre ad nostra negotia, ut de scriptis Coclei [31]) et Wicelii dici possit: *Qui Bavium non odit* etc. De lividis et virulentis ingeniis: (V. 15.) *Et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.* De insulsis scriptoribus: (Vs. 27.) *Stridenti miserum stipula disperdere carmen.* Et quidem praecipue altercatio pastorum instituta est, ut significet eruditos de ingenii laude certantes, et interim alios ineptos Thrasones derideat [32]), qui et ipsi congredi cum doctoribus [33]) conantur.

Aliud eiusdem.

Generis iudicialis est haec Ecloga. Continet enim rixas, iurgia, et duorum pastorum rusticum certamen, uter cantando praestet et antecellat. Porro est tota ad Graecam imitationem conscripta a Virgilio. Nam ex quarto et quinto Theocriti Idyllio haec fere omnia mutuatus est poeta, quamquam etiam ex aliis pleraque sumpserit, quae suis locis indicavit H. Eobanus Hessus [33a]), piae memoriae, ut videant pueri, quae sit recta ratio vertendi Graecos scriptores. Apparet autem hoc fuisse in consilio poetae, dum hanc scriberet, ut vertendo Graeco carmine per ludum copiam exerceret [34]), et attingit leviter Pollionis laudes, cuius opera quoque suos agros ab Augusto impetraverit. Caeterum haec Ecloga habet tres partes. Prima pars est exordium, in quo contendunt inter se pastores et verba commutant, alter alteri crimina obiiciens. Secunda est provocatio ad certamen canendi. Tertia pars [35]) est ipsum certamen, in quo Deorum laudes, amores, encomia clarorum virorum, insectatio aemulorum et indoctorum texitur.

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga primum iurgia et contentiones inter pastores continet, mox certamen canendi propositis pignoribus, cuius certaminis iudex constituitur Palaemon, unde nomen est Eclogae, qui tamen non pronuntiat, sed relinquit sententiam in ambiguo. Etsi autem certo sciri non potest, quid hac Ecloga Virgilius sibi velit, tamen apparet eum significare voluisse, duorum poetarum vel potentum civium Romanorum aemulationem, quorum alter alteri non voluerit cedere. Tales aemulationes sunt fere in omni genere vitae, et praesertim inter doctos. Omnes enim nos primas appetimus, et prae aliis nos extolli cupimus, quod vitium a Graecis φιλαυτία, hoc est, amor sui ipsius dicitur, et ut est foedum, ita perniciosum, et summo studio fugiendum.

Aliud eiusdem.

Tertia Ecloga habet duas partes, convicia mutua pastorum, et contentionem. Initium conviciorum sumitur ab accusatione heri Aegonis et servi Damoetae. Aegonem accusat indiligentiae, quod plus colat amicam, quam pecus. Servum vero accusat infidelitatis ac furti. Porro convicia sunt facta ex obiectionibus et confutationibus. Post convicia ponitur occasio contentionis, et additur descriptio seu commendatio pignoris utriusque deponendi pro victoriae praemio. Additur et electio iudicis cum admonitione de officio vero iudicis. Contentioni praemittitur brevis invitatio iudicis electi ad canendum, quae sumpta est a descriptione temporis. Additur item modus, quem inter canendum servare debent. Principium contentionis habet invocationem. Deinde sequitur catalogus carminum, quibus inter se contendunt pastores. Carmina Menalcae habent quandam irrisionem omnium eorum, quae dicuntur a Damoeta, ita ut responsio Menalcae omnino sit aut maior, aut contraria. Concluditur contentio contrariis aenigmatis. Ultimo loco ponitur sententia iudicis, qua dirimit et componit universam contentionem.

Aliud eiusdem.

Principio hic disces, cur Eclogae nomen inditum sit his versiculis, nempe, quod Ecloga cum alia cohaereat, sed singulae habeant singularia argumenta. Ideoque Ecloga vocatur separatum carmen. Prima Ecloga beneficia Augusti commemorat. Altera querelam continet Virgilii eo, quod negotia de re sua familiari occupanda

31) Ioh. Cochlaeus.

32) derideat] sic. Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. derideret.

33) doctioribus] sic Editt. 1565., 1568.; Ed. 1593. doctoribus.

33a) Scil. in hocce libro: P. Virgilii Maronis Bucolicorum, post omnes omnium aliorum non contemnenda explicatio, perscripta de commentatione Ioach. Camerarij Pabep., cum indicatione et interpretatione locorum Theocriti, cuius autor est H. Eobanus Hessus. M. D. LVI. (In fine:) Argentorati excudebat Blasius Fabricius Chem. 13½ plagg. 8.

34) exerceret] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. exerceat.

35) pars] sic Ed. 1565.; in Editt. 1568., 1593. deest.

subinde extrahantur. Tertia haec copiae et contentionum pastoralium exemplum est. Est autem exemplum contentionum inter poetas, qui mutuo se aemulantur. Apud Hesiodum est duplex aemulatio, altera utilis mortalibus, perniciosa altera. Verba Hesiodi sunt: Aemulatur vicinum vicinus studiosum in re facienda. Haec contentio bona est mortalibus, cum figulus figulum odit, et artificem artifex, et mendicus mendicum, dulcisque poeta poetam. Et M. Cicero ad Atticum lib. 14. epist. 20.[36]): Quare sine, quaeso, quemquam sibi scribere[37]). Suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum[38]). Item, Satis nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem quam se arbitraretur. Hoc etiam malis contingit. Exordium huius Eclogae est plenum conviciorum, quibus se mutuo ad cantandum provocant. Principio quaerit *εἰρονικῶς*, quid sit, ut habeant ridendi materiam. Ridet autem Menalcas Damoetam tanquam mercenarium et furem, propter quod crimen et hodie male audiunt pastores ovium.

Aliud eiusdem[39]).

Quod de Euripide quidam facetus dixit, quaerere eum in lente unguentum, hoc est, nonnunquam intempestive philosophari, id ne nobis accidat in explicatione Bucolici carminis, diligenter praevidendum est. Etsi enim aliquae Eclogae ita scriptae sunt, ut non obscure locum communem tractent: tamen fugienda est superstitio et inanis curiositas, quae ubique singularem philosophiam investigare conatur. Omissa igitur subtiliore inquisitione loci communis in hac Ecloga, grammatice eam percurramus, et tamen sciamus in ea pingi imaginem inepti certaminis et diiudicationis seu conciliationis partium inter se discrepantium non minus ineptae et ridiculae. Ut enim hoc loco pastores, Menalcas et Damoetas, de excellentia artis musicae pueriliter contendunt: ita philosophi magna autoritate, ut de Democrito Cicero inquit, maximas nugas docent, et de rebus levissimis saepenumero atrociter dimicant. Talis est disputatio, quae agitatur inter Stoicos et Aristotelicos de rebus externis, ut verbi causa de bona valetudine, de forma, de opulentia, an sint hae res bona appellandae[40]), an vero *προηγμένα*, hoc est, praelata. Hanc esse inanem et otiosam *λογομαχίαν* quis non videt? Sed non minus inepti sunt quidam fatui conciliatores philosophorum, qualis est apud Ciceronem 1. de Legibus L. Gellius[41]), et apud Platonem in Pythagora Hippias. Non ignota sunt exempla similia quarundam controversiarum ecclesiasticarum, quae magis oriuntur ab ingeniorum petulantia et levitate, quam a studio veritatis patefaciendae. Saepe etiam cum necessariis et gravibus de causis inter se dimicant vere pii et hypocritae, ut hoc tempore nobis acerrima contentio disceptatioque est cum Papistis de praecipuis articulis doctrinae Christianae, multos videre insulsos licet conciliatores proxime accedentes ad imaginem Palaemonis, qui inquit (Vs. 109.): *Et vitula tu dignus, et hic* etc. Quodsi in vitam hominum intueberis, magis aliquanto intelligas, quo consilio haec Ecloga scripta sit. Nihil enim in vita usitatius est, quam de paupere regno litigare, et adhibere arbitros, quorum nihil, nisi insulsitas videtur. Caeterum haec tertia Ecloga ad imitationem duorum Idylliorum Theocriti scripta, videlicet quarti et octavi.

Ecloga IV.

Argumentum in quartam Eclogam.

Extant epistolae Asinii ad Ciceronem eleganter scriptae[42]). Fuit autem praecipua eius autoritas apud Iulium, et deinde apud Augustum, et quia doctrina excelluit, Virgilium et alios multos doctos viros complexus est. Huic natus est et filius Pollio, qui postea etiam clarus orator et magnae autoritatis sub Tiberio fuit, ac reliquit

36) epist. 20.] sic scripsi, leguntur enim haec verba in epist. 20. §. 3. Ed. Orell.; Ed. 1565. epist. 21.; Editt. 1568., 1593. cap. 21.

37) quemquam sibi scribere.] sic Editt. 1565., 1568., 1593.; Ed. Orell.: sibi quemque scribere.

38) Suam cuique — meum] hic versus h. l. a Cicerone allatus Attilii est.

39) Hoc argumentum in Editt. 1568., 1593. exstat, in Ed. 1565. deest.

40) appellandae] sic Ed. 1593.; Ed. 1568. appellanda.

41) L. Gellius Poplicola, familiaris Ciceronis, vide Cic. de Legg. I, 20, 53.

42) C. Asinius Pollio (natus a. u. c. 679.) a Caesare in bellum Parthicum profecturo Hispaniae ulteriori fuerat praefectus, bellum ibi contra Sex. Pompeium Cnei filium gesturus, ex qua epistolas 31. 32. 33. libri X. ad Fam. ad Ciceronem dedit. Conf. de eo Orellii et Baiteri Onomast. Tullian. P. II. p. 76 sq.

librum de collatione Ciceronis et patris Asinii. Cum igitur Virgilius esset amicus patri Asinio, gratulatur ei natum filium Pollionem. Estque haec Ecloga generis demonstrativi. Praedicat enim felicitatem temporum, et narrat filium Asinio natum esse felicissimis temporibus, cui multa prospera contingent, et significat fore, ut temporum felicitas novis bonis cumuletur nato tali principe. Et ut oratio cresceret, rhetorica amplificatione distribuit illa prospera in gradus aetatis. In fine addit apostrophen vel ad puerum, vel figurate ad Augustum. Principium narrationis de felicitate temporum pertinet ad Augustum. Repetit enim quaedam vaticinia Sibyllae, quae de pulcherrimo statu Romanae monarchiae prodita erant, quia omnia imperia habuerunt aliqua vaticinia. Estque propemodum tota Ecloga perpetua narratio.

Aliud eiusdem [43]).

Miro artificio transtulit poeta argumentum a Pollionis filio ad laudem temporum, seu imperii Augusti. Nam cum bene precatur puero nascenti, omen felicioris partus accipit ab eo, quod Augusti temporibus nasceretur, quo imperante plane rediret aureum quoddam seculum, cum eius autoritate moderationeque parta orbi pax esset, cum quiescerent a bellis undique omnia, florerent optimae artes, esset honos ingeniis, plurimum possent et apud principem et in republica qui optimi erant. Porro hanc seculi conditionem figura texit poeta, ut decoro serviret, rusticanis usus exemplis, laudibus, oratione: incrementa seculi aurei retulit ad incrementa aetatis pueri.

Aliud eiusdem.

Argumentum Eclogae quartae hoc est. Sub Augusto Caesare insignis fuit orator Asinius Pollio in ducem Germanici exercitus propter singulares dotes electus. Is post triumphum ad consulatum est evectus, quo tempore filium genuit, quem a captis Salonis Saloninum nominavit. Huius tanti viri gratia et autoritate motus Virgilius genethliacum, hoc est, carmen natalitium hac Ecloga decantat, simul complexus Augusti, Pollionis et pueri Salonini laudationes. Caeterum ordo is est. Primo loco excusatio ponitur summa cum modestia gravitatis argumenti, quod sublimius est, quam permittat pastoralium sermonum simplicitas. Sequitur propositio: (Vs. 4.) *Ultima Cumaei* etc. Estque haec sententia, quod felicissima sub hoc puero sint ventura tempora. Propositio est figurata poetico, sed admodum grato ornamento de Sibyllae oraculis. Addita est expositio specialis eorum, quae Sibylla praedixerat. Ponitur et precatio cum descriptione certi temporis [44]), quo futura sunt antea praedicta. Deinde ponitur integra descriptio carminis genethliaci, quae consumitur in enumeratione graduum aetatis, ut significet, quaenam commoda unaquaeque aetas sit allatura. Primum describitur pueritia, quae est abundatura omni genere voluptatum. Reliquae duae aetates, adolescentia et iuventus, habent descriptionem multorum commodorum, et magnae tranquillitatis. Additur amplificatio a voto. In fine ((Vs. 62.) *Incipe, parve puer*) est precatio longioris vitae et magnae felicitatis.

Aliud eiusdem.

Valde memorabilis locus est in hac Ecloga de quatuor aetatibus, quae aetates sicut in singulis hominibus, ita etiam rerum usus docet esse eas in mutationibus seculorum et temporum. Nam nullum fuit imperium tantum sub sole, quod non invenerit haec aetatum mala. Nam omnia imperia, maxime Romanorum, a parvis creverunt initiis, donec sic [45]) exaltata et elata fuerint, mole ut laborent sua. Porro poeta transtulit aetatum illarum rationem et ad tempora Augusti Caesaris et ad aetatem Salonini, filii Asinii Pollionis.

Aliud eiusdem.

Asinius Pollio fuit proconsul tempore Virgilii in Hispaniis, potens in Romana republica, gratiosus apud Augustum, et fautor hominum doctorum. Huic natus est filius Saloninus, cuius nativitas hîc celebratur. Laudat autem Virgilius non tam ipsam nativitatem pueri, sed magis illa tempora et illud imperium, quo ipse natus erat, et per consequens etiam laudat Caesarem Augu-

---

43) Aliud eiusdem.] in Ed. 1565. addita sunt verba: in eandem Eclogam.

44) certi temporis] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. temporis certi.

45) sic] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. si.

stum, qui tunc regnavit illo tempore, quo natus est Christus, et fuerant pacatissima tempora. Imitatus est 17. Idyllion Theocriti, de encomio Ptolemaei Philadelphi.

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga generis est demonstrativi. Cum enim Asinius Pollio, orator valde eloquens, apud Augustum potens esset, et cum primis poetae ingenium admiraretur et foveret, voluit Virgilius in hac Ecloga Pollionis filio recens nato decantare genethliacon, quo ei bene precetur [46]). Continet autem expositionem et amplificationem felicitatis aurei seculi, quod iterum futurum poeta vaticinatur aetate filii Pollionis. Porro etiam multa tunc ad Augustum referenda sunt, cuius subinde laudes commiscet. Exordium habet propositionem cum invocatione, in qua argumenti gravitatem excusat, quod eo paulo sublimiori hîc uti coactus sit, quam permittat pastoralium sermonum [47]) simplicitas. Sequitur propositionis *αἰτιολογία* [48]): Quia non omnes tenui genere orationis delectantur. Deinde res magnae etiam splendidis verbis describendae sunt, ut observetur decorum, quod poetis in personis laudandis cum primis est observandum.

Aliud eiusdem [49]).

Quarta Ecloga dedicata est Asinio Pollioni, qui fuit consul populi Romani anno quarto gubernationis Augusti. Fuit etiam diligens imitator Ciceronis, et historias ac tragoedias scripsit. Qualis autem vir fuerit, et quo genere dicendi usus sit, aliquot eius epistolae, quae extant in X. lib. Famil. Ciceronis [50]) declarant. Nam diligens lector harum epistolarum animadvertit, fuisse in Pollione naturam pacis et libertatis cupidissimam, et patriae amantissimam. Potest etiam ex illis ipsis epistolis intelligi, fuisse eum Augusto maxima familiaritate coniunctum. Haec enim sunt eius verba: Caesarem (Augustum) quod me in tanta fortuna modo cognitum vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide [51]). Celebratur autem in hac Ecloga felicitas temporum Augusti, quae extinctis bellis civilibus, quibus iam pridem universus fere orbis conflagraverat, tranquilliora et laetiora erant. Estque haec laudatio temporum Augusti directa ad imitationem Hesiodi, qui in poemate de opere et die quatuor aetates constituit, et inter has auream quandam aetatem [52]), omnibus poetarum carminibus laudatam, inprimisque ab Ovidio illustratam lib. 1. Metam [53]).

Ecloga V.

Argumentum in quintam Eclogam.

Elegans cum primis est quinta Ecloga, cum quia lenium affectuum, quos ἤθη vocant, plena est propter colloquium pastorum amanter et familiariter se complectentium, tum etiam quod argumentum est perpetuum et expolitum multis egregiis luminibus ac figuris verborum ac sententiarum. Deplorat autem poeta sub Daphnidis persona mortem vel fratris, vel, quod magis consentaneum est, Iulii Caesaris. Dixi enim supra, quod saepe Bucolicis figuris seria argumenta involvantur. Pertinet igitur haec Ecloga partim ad genus demonstrativum, partim deliberativum. Finguntur enim hîc duae cantilenae, quarum prior laudationem personae Daphnidis continet, est enim epicedion; altera gratulationem, quod sit receptus in numerum Divorum, et precationem, ut sit propitius. Principium Eclogae est plane dialogicum, ut sit occasio carminis. Postea sequuntur cantilenae, in quarum priore propositio est amplificata distributione, omnia videlicet moerere extincto Daphnide. Primum argumentum ducitur a laude personae, quae sumitur a rebus gestis. Accedit rustica collatio, qua dignitatem personae amplificat. Secundum argumentum petitum est a consequentibus seu utili: Postquam Daphnidem amisimus, Dii etiam nos deseruisse videntur, et omnia nunc infelicius proveniunt. Clauditur haec pars epitaphio. In altera cantilena exordium constat gratulatione, quae explicatur etiam distributione, totum videlicet mundum laetari Daphuide in coelum sublato.

46) precetur] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. precatur.

47) sermonum] sic Editt. 1565., 1568.; in Ed. 1593. deest.

48) propositionis *αἰτιολογία*] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. *αἰτιολογία* propositionis.

49) Hoc argumentum ab Editt. 1568., 1593. exhibetur, in Ed. 1565. deest.

50) Vide supra p. 322. notam 42.

51) Haec verba leguntur in Cic. epist. ad Fam. X, 31, 3.

52) Hesiodi Opp. et Dies 109. Ed. Goettling.

53) Ovid. Metam. I, 89 sqq.

Subiicitur precatio: Ergo sis propitius nobis, (Vs. 65.) *Sis bonus o felixque tuis* etc. Adduntur rationes ab utili, quas exponit enumeratione earum rerum, quae ad divinum cultum pertinent. Ait[54]) enim se daturum lac, oleum, vinum, item hymnis celebraturum. Postremo pollicetur perpetuum honorem.

Aliud eiusdem.

Quinta Ecloga continet duorum amicorum pastorum alternas laudationes, ex quibus deinde sumitur occasio scribendi epitaphii seu epicedii. Omnino autem allegorice accipiendum est hoc epitaphium, quo deflet obitum Daphnidis. Estque citra omnem controversiam intelligendus Iulius Caesar, quem crudeli funere interemptum hîc dicit, et Armenias tigres[55]) curru iunxisse, hoc est, instituisse sacra Bacchi, decernuntur etiam illi divini honores, quae omnia nulli verius, quam Caesari tribui possunt. Porro orationis series totius Eclogae est. Principio ponitur amica et verecunda invitatio ad canendum, quae sumpta est a descriptione loci. Intersertum est invitationi ἦθος, quo alter alterum sibi praefert, et superiorem existimat. Postea subiicitur integra descriptio epicedii seu funebris orationis, quae duabus constat partibus, querela scilicet[56]) et gratulatione. Principium epicedii ((Vs. 20.) *Extinctum Nymphae*) habet congeriem figuratam poeticis figuris, quod multi fleverunt propter[57]) extinctum Daphnidem, estque hic totus locus quaedam querela de morte Daphnidis. Additur commemoratio rerum gestarum, quod scilicet promoverit religionem. Item, quod omnia conservaverit in tranquillo, quo vivente nihil non fuerit felicissimum. In fine querelae ponitur adhortatio ad iusta funebria persolvenda, et ut nunquam obliviscantur Daphnidis. Altera pars epicedii habet gratulationem felicitatis, quod ex tot impendentibus malis nunc ereptus sit in summo gaudio, ac securam agat inter Deos quietem. Sequitur amplificatio felicitatis ab enumeratione multorum commodorum, quibus iam fruatur mortuus. Additur apostrophe, qua votum Daphnidi tanquam Deo facit. Conclusio gratulationis habet clausulam figuratam collatione, qualis et supra fuit in prima Ecloga. In fine ponitur descriptio pastoralium donorum.

Aliud eiusdem.

Generis est demonstrativi. Defletur enim[58]), qui Eclogae status est, hic in Augusti gratiam sub Daphnidis persona, C. Iulii a Bruto et Cassio caesi miserabilis[59]) mors, quod carmen Caesaris laudes continet. Sunt autem tres Eclogae partes. Prima est exordium, quod continet occasionem epicedii, in qua alter alterum ad canendum invitat, nunc a personarum facultate, nunc ab opportunitate et amoenitate loci, et utitur egregiis enthymematis: Ambo sumus periti musici, ergo canamus. Item, In tempore convenimus ambo, ergo studiis nostris dignum aliquid proferendum est. Item, Nunc est amoenissimum tempus, ergo fruamur ista amoenitate temporis et loci. Altera pars est Mopsi epicedion in Caesaris mortem. Tertia pars Eclogae est ἀποθέωσις, qua gratulatur poeta Daphnidi divinitatem. Est enim Iulius Caesar a populo Romano in numerum Deorum relatus, suntque illi divini decreti honores. Porro tota Ecloga conscripta est ad imitationem primi Idyllii Theocriti. Alii sub Daphnide intelligendum putant Quintilium, de quo Horatius ait: Nulli flebilior quam tibi, Virgili[60]). Alii vero Flaccum fratrem intelligunt, qui ante aetatem obiit. Primae tamen sententiae assentiendum esse duco, ubi Iulius Caesar sub Daphnide potius, quam quivis alius intelligendus existimatur.

Aliud eiusdem.

Daphnis titulus est huic Eclogae, quia hic mors et interitus Daphnidis deploratur. Sumptum autem est nomen ex Theocrito, et significat poeta per Daphnidem Iulium Caesarem, qui cum paulo ante in Senatu esset interfectus, et cum eius nepos Augustus successisset, deplorat eius mortem. Continet autem haec Ecloga duas partes. Prior pars est epicedium, sive deploratio mortis. Posterior habet descriptionem, quomodo inter Deos et in coelum sit translatus.

---

54) Ait] Ed. 1593. mendo typogr.: At.

55) tigres] Ed. 1568. mendo typogr.: tigros.

56) scilicet] sic Ed. 1565.; in Editt. 1568., 1593. deest.

57) propter] sic Ed. 1565.; in Editt. 1568., 1593. deest.

58) enim] sic Editt. 1565., 1593.; Ed. 1568. eum.

59) miserabilis] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. mirabilis.

60) Horat. Carm. I, 24, 10.

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga ad imitationem primi Idyllii Theocriti scripta est. Praeterquam enim, quod continet pastoralem concertationem, pro more carminis Bucolici, complectitur etiam gravissimam sententiam de moribus retinendam in toto genere vitae. Nam in hac Ecloga quinta sunt occasiones a contentione duorum pastorum. Poeta deflet mortem Iulii Caesaris, a Cassio et Bruto vulneribus 23[61]) in Senatu confossi. Nam quamquam occisores Iulii putassent eo interfecto rempublicam recuperare posse et[62]) pristinam libertatem; tamen re ipsa experti sunt, nihil tam nocere reipublicae quam rerum mutationem, et iuxta proverbium: Nota mala esse tolerabiliora[63]). Infinita enim bella fere consecuta sunt caedem Caesaris. Praeterea Augustus ad imperium ubi pervenit, non tantum Iulio Caesare factus est crudelior, adeo etiam ut[64]) M. Ciceronem, cuius consiliis atque autoritate ad[65]) imperium ascenderat, passus sit proscribi et misere occidi ab Antonio; sed pro Iulio vere domino nacta est respublica Romana servum, hoc est, hominem servili ingenio praeditum,' quemadmodum extat miserabilis querela Ciceronis ad Octavium[65a]). Verba Ciceronis sunt: Nam, ut ordiar ab initio, et perducam ad extremum, et novissima conferam primis, quae non posterior dies acerbior priore, et quae non insequens hora antecedente[66]) calamitosior populo Romano illuxit? M. Antonius vir animi maximi (utinam etiam sapientis consilii fuisset) C. Caesare[67]) fortissime[68]), sed parum feliciter a reipublicae dominatione semoto, concupierat magis regium, quam libera civitas pati poterat, principatum etc. Quibus querelis non obscure significatur, imperium Augusti fuisse intolerabilius multo, quam fuit regnum Iulii Caesaris.

Aliud eiusdem[69]).

Quinta Ecloga est epicedium, hoc est, carmen scriptum de funere Iulii Caesaris, Idibus Martiis in Senatu interfecti, et viginti tribus vulneribus confossi a Bruto, Cassio, et nonnullis aliis coniuratis. Hanc historiam de morte Iulii Caesaris legant studiosi apud Plutarchum[70]) et Suetonium in vita C. Iulii Caesaris[71]). Meminit etiam eiusdem historiae Virgilius in lib. 1. Georgicon[72]), ubi prodigia recenset, quae mortem Iulii secuta sunt. Ut autem in aliis epicediis duo potissimum aguntur; primum enim pressis et flebilibus modis deploratur immaturus obitus hominis laudati, et additur epitaphium continens brevem laudationem mortui; deinde attexitur consolatio, sumpta ab immortalitate animae et a possessione vitae coelestis ac perbeatae: ita huius Eclogae duae sunt partes, quarum prior est lugubris querela de nece Iulii Caesaris. Altera est apotheosis Iulii, hoc est, relatio Iulii inter Deos. Estque haec Ecloga scripta, sicut superior, ad conciliandam et colligendam benevolentiam Augusti Caesaris, qui testamento Caesaris haeres ex parte dimidia constitutus, cum esset ipsius ex sorore nepos, et in nomen adoptatus est.

Ecloga VI.

Argumentum in sextam Eclogam.

Sexta Ecloga non est rhetorica, sed historica plane. Continet enim quandam cantilenam Sileni, quae habet varias et fabulosas narrationes. Nulla igitur argumentatio est in hac Ecloga, ut in superioribus plerisque, sed tantum historica rerum expositio. Est autem edita in honorem Vari Quintilii, qui temporibus Augusti in Germania bella gerens ab Arminio, Germanorum duce, magna clade accepta, sibi ipsi mortem conscivit. In exordio primum se purgat Varo per translationem, quod ideo ipsius res gestas carmine non celebret, quia Apollo Bucolica po-

61) 23] sic Editt. 1568., 1593. (et Plutarch. vita C. Iulii Caesaris c. 66.); Ed. 1565. 24.

62) et] sic Editt. 1565., 1568.; in Ed. 1593. deest.

63) De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. II. cent. IX. prov. 85.

64) ut] sic Editt. 1565., 1593.; in Ed. 1568. deest.

65) ad] Ed. 1593. mendo typogr.: ab.

65a) Haec ad Octavium epistola ab Orellio et Baitero in Onomast. Tullian. P. I. p. 377. inter scripta Ciceroni supposita affertur. Prodiit Iac. Lodoici Rhemi commentariis illustrata, Parisiis ap. Mich. Vascosanum 1536. VII. Idus Octob. 4. et ibid. apud eundem 1541., 1543. et 1549. 4.

66) antecedente] sic Editt. 1565., 1568.; Ed. 1593. intercedente.

67) C. Caesare] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. Caesare.

68) fortissime] sic Editt. 1565., 1568.; Ed. 1593. fortissimo.

69) Hoc argumentum in Editt. 1568., 1593. invenitur; in Ed. 1565. deest.

70) Plutarch. vita Caesaris c. 65 sq. et M. Bruti c. 14 sqq.

71) Sueton. vita Caesaris c. 82.

72) Virgil. Georg. I, 466—497.

tius scribi voluerit. Deinde per reiectionem proponit, se in Bucolicis tamen praedicaturum ipsius laudes. Postea commemorata occasione cantilenae inchoat eam a creatione mundi, ubi recitat mundum et universam naturam extitisse casu ex atomis. Reliquae fabulae ex autore patent, quae vel ad historias vel ad mores, aut communes vitae casus referri possunt. Caeterum ferunt Ciceronem olim, cum forte interfuisset recitationi huius Eclogae in theatro, et animadvertisset eam nequaquam esse vulgaris ingenii, ita fuisse admiratum carminis elegantiam, ut de autore quaesierit, et in suam et poetae laudem dixit: Magnae spes altera Romae[73]). Quam vocem Virgilius postea ad Ascanium in Aeneide[74]) retulit.

Aliud eiusdem.

Generis est demonstrativi. Caeterum Ecloga in Vari gratiam, quem plurimum diligebat Virgilius, a poeta conscripta est, cui deinde emendandorum Virgilii carminum ab Augusto cura demandata fuit. Porro non est Bucolici argumenti. Nam principio rerum originem et causas describit, estque hic locus totus philosophicus. Deinde obiter varias Graecas historias ac fabulas ordine recitat. Postremo laudat Gallum poetam, cui tamen loco rursus quasdam subiicit fabulas. Putant autem hic describi Epicureorum sectam a Virgilio, quam ipse et Varus a Syrone quodam, quem hic Silenum fingit, didicerat Chromim et Mnasylum esse Virgilium et Varum. Verum in exordio dicit, se de Theocriti, quem imitetur, simplicitate recedere; et utitur excusatione rerum et temporum suorum, in quibus illa Theocritica simplicitas ubique observari non potuit.

Aliud eiusdem.

Maxime decent[75]) in hac tenui figura poematum gestus familiares, quibus quasi ipsi nos interpellamus et reprehendimus. Ideo Virgilius initio ait, se scribentem heroica interpellatum esse ab Apolline, et revocatum ad Bucolica. Est autem bellissima extenuatio, quod ait: (Vss. 10 sq.) *Te nostrae, Vare, myricae, Te nemus omne canet*[76]), cum confert suum poema myricis, quae sunt humiles et contemptae. Ideo plus gratiae est in collatione, quia nimis magna est extenuatio, nec poema mediocre tam vile ducendum, ut simile myricis dicatur, sed addita est correctio: *Te nemus omne canet.* Hi ludi decent in carmine, et addunt motum, et continent significationes eruditas, et in scribendo nobis danda est opera, ut similes gestus excogitemus. Tota autem Ecloga narratio est de capto Sileno, et de eius philosophia seu sapientia. Aut risit Virgilius philosophos, aut voluit significare aliquam oportere philosophiam esse, hoc est, doctrinam, quae initia rerum et naturam consideret, et temporum seriem et vitae officia monstret, sicut re ipsa verum est, generi humano semper talem aliquam doctrinam necessariam esse, et tunc non tantum Romae, sed etiam in Graecia plurimi amplectebantur Epicuri doctrinam, quod videbatur nimium habere subtilitatis aut difficultatis. Itaque cum aliquid ex philosophia recitaturus esset poeta, illam Epicuri doctrinam attribuit Sileno, qui fingitur fuisse iocosus senex, Bacchi nutritor, transformatus in Silenum. Etsi autem appellationes in illis vetustissimis fabulis et historiis saepe casu oblitae, postea late celebrantur: tamen apparet nomen Sileni a torcularibus factum esse. Nam ληνὸς[77]) est torcular, et Silenus aut significat idem, quod quatiens torcular, aut idem, quod Deus torcularis. Sed in omnibus iocosis descriptionibus significat hominem voluptati deditum, et tamen ingeniosum et facetum, ut sunt in aulis parasiti[78]), qui ingeniis antecellunt. Fit igitur totum poema festivius translata narratione in talem personam, cuius in poematibus crebra mentio est, et laudatur festivius. Quid igitur hic canit? Primum narrat initium, sed Epicuri more, dicit concurrisse partes, et hoc pulcherrimo ordine unam machinam natam et distinctam, coeli, stellarum et elementorum, quae sit velut domicilium generis humani. Prodest autem cogitare aliqua rerum initia. Sed hic Silenus Epicurum sequens nihil de Deo opifice dicit, ab hoc ordiri eum oportebat.

73) Hoc dictum esse Ciceronis tradunt Servius ad Virg. Ecl. VI, 11. et Donatus in vita Virg. c. XI, 41.

74) Virg. Aen. XII, 168.

75) decent] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. docent.

76) *canet*] sic h. l. et in seqq. Editt. 1568., 1593. (= Virg. Ecl. VI, 11. ed. Wagner.); Ed. 1565. *canit*.

77) ληνὸς] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. male: νῖνος.

78) parasiti] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. antiqui parasiti.

Sed vera doctrina petenda est ex aliis fontibus. Haec poemata propter verborum elegantiam leguntur, et prodest collatio opinionum philosophicarum cum vera doctrina. Postquam autem recitavit primordia corporum mundi, instituit recitationem veterum historiarum. Nam homini sano necessaria est haec cognitio, scire seriem temporum mundi, religionum origines, exordia et mutationes imperiorum. Ideo litterae divinitus traditae sunt; ideo vult Deus nos versari in studiis praecipue, ut haec discamus. Et extat tota series temporum mundi, mirabili Dei consilio conservata; in poematis vestigia sunt. Nam poetae famam diluvii retinuerunt, quod circiter mille annos antecessit bellum Troianum, manet in poematis nomen Iapeti [79]), quem certum est fuisse filium Noae [80]), et utile est videre aliquem consensum poematum cum vera antiquitate. Deinde omissa longi temporis descriptione veniunt ad res Herculis, quae paulo vetustiores sunt bello Troiano, quod fuit circa tempora Davidis. Quaeramus igitur veram seriem historiarum ex aliis scriptis, quae quidem de multis maximis rebus homines docet. Hos vero ludos Virgilii legamus vel verborum causa, vel ceu inchoatum aliquod opus non absolutum. In fine Eclogae abrumpens tam alte repetitam mundi historiam, addit laudes amici sui et conterranei Cornelii Galli, per quem initio commendatus est Augusto. Haec est Eclogae summa, quae praecipue lectores admoneat, etsi persona levior Silenus introducitur ad deridendos philosophos, tamen vere se ita rem habere, necessariam esse doctrinam de rerum initiis, et de serie historiarum.

Aliud eiusdem.

Sexta Ecloga Varum celebrat. Is quia fuit Epicureus [81]), poeta non invenuste expressit propriissimis figuris Epicureorum sectam. Describit enim Silenum nutricium et paedagogum Bacchi perpetuo esse ebrium et temulentum Deum, qui sit quasi voluptatis potandi quoddam symbolum. Adiungit etiam duos Satyros, quos fingit admodum salaces, cum formosa et lasciva Nympha, ita ut fere omnia in quandam summam collegerit, quae efficiunt voluptatem, summum Epicureorum bonum. In altera parte subiicit sententiam eorundum de mundi origine. Porro series orationis est. Primo loco ponitur confessio cum occulta quadam excusatione, se nonnihil recedere a simplicitate illa Theocriti, quam ubique propter altas atque alias occasiones servare non possit. Sequitur propositio per apostrophen: Nequeo praeterire in Bucolico meo carmine nomen Vari. Deinde est adhortatio ad Musas, ut historiam de Sileno ordine suggerant. Subiungitur longa descriptio per hypotyposin personae Sileni et facti duorum Satyrorum et Nymphae, unde sumit postea occasionem recitandi cantilenam. Est et commendatio addita carminis Sileni per amplificationem.

Aliud eiusdem.

Habet haec Ecloga praeter reliquos locos, quos ordine tractabimus, memorabile illud carmen de prima facie. Deinde de exquisita forma, atque pulcherrima dispositione rerum omnium, quae sunt sub coelo. Apparet autem vel Augustum vel Maecenatem vehementer hoc carmine delectatum fuisse. Ait enim poeta: (Vs. 9.) ***Non iniussa cano.*** Porro videtur Virgilius hoc prologo praefatum esse in totum carmen Bucolicum, unde fuerunt, qui voluerunt hanc Eclogam primam esse. Exponit enim suum consilium, cur scribat Bucolica, omissis et regibus et praeclaris regum facinoribus.

Aliud eiusdem [82]).

In hac Ecloga plus est eruditionis, quam in caeteris. Nam Silenus consiliarius Cyclopis, ut testatur Euripides in tragoedia, quae inscribitur Cyclops, captus a pueris Chromi et Mnasylo, recitat multa physiologica et historica. Constat enim primorum patrum sapientiam praecipue versatam esse in his quatuor artibus, videlicet in theologia, arte medica, quae physicam complectitur, astronomia, et historia. Quod ad titulum attinet, sciant studiosi, Silenum hoc loco non esse Satyrum, qualem narrant captum esse

---

79) manet in poematis nomen Iapeti,] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. manet nomen Iapeti in poematis.

80) Noae] sic scripsi; Editt. 1565., 1568., 1593. Noe.

81) Epicureus] sic scripsi; Editt. 1565., 1568., 1593. Epicurus.

82) Hoc argumentum Editt. 1568., 1593. exhibent, ab Ed. 1565. abest.

a Myda[83]), qui respondit interrogatus de summo bono, optimum esse homini non nasci, aut natum quam celerrime mori, sed consentaneum est, Sileni appellationem sumptam esse ex Graeca tragoedia Euripidis, cuius supra mentio facta est. Ac mihi cogitanti de Sileno, consiliario Cyclopis[84]), cui Ulysses apud Homerum unicum oculum, quem in fronte habuerat, effodit[85]), venit in mentem venustissimae orationis, quae apud Oppianum extat in libro de piscatione, de ceto et musculo[86]). Quemadmodum enim cetus monstrum horrendum, ingens et immane, sequitur ductum et auspicia parvi piscis, quem Latini musculum appellant: ita in aulis plerumque magni reges et principes non suis consiliis obtemperant, sed reguntur ab aliquo parasito et veteratore aulico, qui doctis dolis et facetis fabricis (ut Plauti verbis utar) glaucomam ob oculos obiicit principi, ut, quod videt, non videat. Narrat etiam Oppianus, hoc tantum et tam vastum monstrum non in longinquum prospicere, sed visu esse admodum hebeti, eamque ob causam ei opus esse alieno ductu, et addit, capto musculo ductore facile opprimi posse ipsum cetum. Ita multi principes nihil habent consilii et prudentiae, sed tantum sunt tibiae alieno spiritu inflatae, ac facile circumveniuntur inescatis prius ac corruptis pecunia parasitis aulicis. Hanc imaginem contemplentur studiosi, quoties confusionem aularum non sine gemitu et lachrymis adspiciunt.

Ecloga VII.

Argumentum in septimam Eclogam.

Septima Ecloga quandam habet similitudinem cum tertia. Non enim constat uno aliquo perpetuo argumento, sed ludunt pastores variis sententiis, certantes de laude ingenii; et hae variae sententiae sunt aut laudationes certorum hominum, aut figuratae et venustae reprehensiones, aut descriptiones commodorum locorum[87]), item tempestatum, quae sunt egregia lumina orationis. Possumus autem ad nostrum usum inprimis multa ex tam variis sententiis transferre, cum ipsi aut[88]) laudamus eruditos, aut deridemus ineptos, aut invidos, ut hic deridentur, cum ait: (Vs. 26.) *Invidia rumpantur ut ilia Codro.* Magnam autem gratiam habent hae salsae figurae. Est et bella descriptio superbe contemnentis, ut si dicam: Improbi tantum curant leges et religionem. (Vss. 51 sq.) *quantum numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.* Utraque similitudo est aptissima: Mali perrumpunt leges, sicut flumina intumescentia extra ripas erumpunt. Indocti et cupidi nihilo pluris faciunt ordinem et leges, quam lupus numerum ovium. Hoc modo accommodare discamus has figuras. Haec diligentia et iudicium format et alit copiam orationis.

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga generis est iudicialis. Certant enim duo inter se carminibus de victoria pastores. Videtur autem hic poeta aemulos suos exagitare voluisse, cum Corydonem vincere fingit. Est autem copiae exemplum, consistitque tota Ecloga in perpetua antithesi quadam. Principium sumptum est ex VI. Idyllio Theocriti. Per Corydonem sine dubio intelligit Virgilium, per Thyrsin vero aemulum quendam Maevium vel Anserum, de quo postea loquetur.

Aliud eiusdem.

Continet septima Ecloga certamen pastorum, quo videtur poeta voluisse exagitare suum aemulum, cum se Corydonem, illum Thyrsin fingat. Porro hic observandae sunt crebrae antitheses, quae plurimum habent momenti ad orationis copiam. Ordo Eclogae est. Principio ponitur comparatio pastorum sumpta ab aetate, natione et arte. Additur sermocinatio cum invitatione et deliberatione. Deinde sequitur integra descriptio propositi certaminis. Postremo loco est brevis peroratio, qua tribuit victoriam in cantando Corydoni.

Aliud eiusdem.

Satis apparet, poetam, quamquam sit imitatus sextum Idyllion Theocriti, hoc agere, ut exhibito magnifico exemplo copiae, id quod etiam facit Ecloga tertia, significet se esse illum Cory-

83) Myda] sic Editt. 1568., 1593.; cuius loco legendum esse videtur nomen: Sylla, quem satyrum cepisse Plutarchus in eius vita c. 27. narrat.

84) Conf. Eurip. Cyclops 203 sqq.

85) Hom. Od. IX, 371—402.

86) Oppian. de piscat. III.

87) commodorum locorum,] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. commodorum, locorum,

88) aut] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. et.

dona, qui Ecloga[89]) secunda questus est, se nullo loco esse, imo contemni ab Alexi, hoc est, Augusto Caesare; nunc vero sic iudicari a Daphni, quo Servius[90]) Augustum vult significari, ut sit omnium poetarum sui seculi optimus. Atque hoc est, quod dicit[91]) ad finem: (Vs. 69.) ***Haec memini, et victum frustra contendere Thyrsin.***

Aliud eiusdem.

(Vs. 25.) ***Pastores hedera crescentem ornate poetam.*** Hic versiculus praecipuus est in hac Ecloga, quo significat, vel se ipsum, vel amicum aliquem non contemnendum esse prae aemulo, quisquis fuit. Nam tota Ecloga certamen continet duorum paene aequalium, quorum alteri tamen magis favet. Tales ludi aliquot sunt in his Eclogis apud Theocritum, in quibus arrogantia aliquorum vel exagitatur vel reprimitur, et uti horum versuum exemplis possumus, si quando de certaminibus litteratorum iudicandum est, ut supra in Ecloga 3. (Vs. 90.) ***Qui Bavium non odit*** etc. Id conveniet dici applaudenti scriptis Doleti. Hic tamen confert duos plus ingeniis valentes, inter quos tamen antecellit Corydon, ac proverbii vice poterit extrema clausula usurpari: (Vs. 69.) ***Haec memini, et victum*** etc. ut, si de contentione Longolii et Erasmi dicas[92]), iure anteponere Erasmum possis. Imitatus autem est Theocriti Idyllium sextum, et quaedam decerpsit ex aliis. Has igitur utilitates continet haec Ecloga. Monet, ut de ingeniis candide iudicetur, et suppeditat figuras, quibus arrogantia irridetur. Postremo et multas arborum et herbarum appellationes continet, quas scire multum prodest.

Aliud eiusdem[93]).

Septima Ecloga magnam habet similitudinem argumenti cum tertia. Ut enim in 3. plus est verborum quam rerum: ita hic duo pastores Corydon et Thyrsis de antecellentia artis musicae satis ridicule et pueriliter inter se certant. Estque haec Ecloga ad imitationem octavi Idyllii apud Theocritum scripta. Etsi autem aliquae Eclogae plus habent in recessu, quam fronte promittant: tamen huius Eclogae argumentum simplex et Bucolicum est, quod non nisi inepte et intempestive ad graviorem sententiam accommodari potest. Nam quod de grammaticis in veteri versu dicitur, grammatici certant, lis est de paupere regno: hoc eodem modo de his pastorum contentionibus ambitiosis et inani ostentatione dici potest.

89) Ecloga] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. Eclogae.

90) Servius] sic Editt. 1568., 1593.; in Ed. 1565. deest.

91) dicit] sic Ed. 1565.; Editt. 1568., 1593. dicet.

92) Erasmi dicas] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. mendo typogr.: Erasmi dicas, iure antepone Erasmi dicas. — De Erasmo et Longolio conf. Burigny: Das Leben des Des. Erasmus von Rotterdam. Tom. I. p. 253 sqq.

93) Hocce argumentum in Editt. 1568., 1593. legitur, ab Ed. 1565. abest.

Ecloga VIII.

Argumentum in octavam Eclogam.

Ecloga octava continet duo diversa argumenta nihil cohaerentia, quorum prius tamen habet rhetoricas figuras, et est querela pastoris de puella alteri collocata[94]), cum ipse eam deperiret. Estque eleganter variata querela figuris. Prima vocatur ἀπροςδόκητον, hoc est, inesperatum: Nihil minus sperandum fuit, quam ut ille cuculus potiretur hac puella. Id insperatum describit his similibus: (Vs. 28.) ***Cum canibus timidi venient ad pocula Damae.*** Deinde sequitur insultatio: (Vs. 32.) ***O digno coniuncta viro, dum despicis omnes.*** Tertio[95]) amplificatio, quam diu amaverit. Huic addit generale epiphonema, describens, quam vehemens affectus sit amor, et quantos cruciatus animo adferat: (Vs. 43.) ***Nunc scio, quid sit amor, duris in cotibus illum*** etc. Hic locus est in hac Ecloga praecipuus, de vehementia et saevitia amoris. Quarto, imprecatio est furentis, ut tota rerum natura mutetur: (Vs. 58.) ***Omnia vel medium fiant mare.*** Sicut in magnis doloribus homines et sibi et aliis interitum optant, sicut ait Xerxes apud Herodotum: Multa accidere homini, ubi malit non esse, quam esse. Tandem velut furens loquitur de abrumpenda vita. Itaque prior pars Eclogae proponit exempla rhetorica amplificationum in querelis. Licebit enim usurpare ad hunc modum insperata, insultationes, generales sententias de quolibet affectu. Ut autem omnes homines adhibent musicam in magnis affectibus vel ciendis vel leniendis, sicut habemus in Germanicis cantilenis, quibus odia, amores, querelas complectimur: ita

94) collocata] sic Editt. 1565., 1568.; Ed. 1593. elocata.

95) Tertio] sic Editt. 1565., 1568.; Ed. 1593. Tertia.

veteres in versibus digerebant affectus. Et propter hanc causam etiam assuefaciendi sunt adolescentes ad poeticen, ut lectione poematum affectus leniant; item, ut ipsi interdum possint affectus suos carmine complecti, lenire amores, insectari hostes. Haec in loco magnam habent laudem et utilitatem. Ita Theocritus orditur quandam Eclogam[96]): Nil, praeter Musas, insanum lenit amorem. Et Virgilius hoc loco describens saevitiam amoris, dehortatur homines; et haec ipsa accusatio mitigat furorem, sicut querelae solent paulatim minuere effusum dolorem, sicut Ovidius ait in 4. lib. de Tristibus[97]): Expletur lachrymis, egeriturque dolor. Secunda pars est tantum narratio recitans incantationem, quam sumpsit poeta ex Theocrito, ut stylum exerceret, vel, ut derideret magicas artes, quas hic significat inanes esse. Habet in fine memorabile dictum: (Vs. 108.) *Credimus, an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

Aliud eiusdem.

Duplici argumento constat haec Ecloga. Prima pars habet querelam amantis contempti ab uxore, a qua mutuum amorem certo speraverat. Altera pars continet descriptionem insignem magici carminis, quo mulier animum viri in sui amorem allicere studet. Series orationis haec est: Primo loco ponitur propositio. Huic subiuncta est invocatio per apostrophen ad Augustum, et figurata est invocatio voto, optans, ut liceat aliquando Caesaris res gestas carmine describere; iam cum aliud non possit, grato interim animo Bucolicum hoc carmen accipere velit. Querela incipit a descriptione matutini temporis. Deinde additur vehemens *πάθος* cum propositione, cuius haec est[98]) summa: Ego conquerar, quomodo exciderim uxore. Sequitur circumstantia loci: Credo hoc fatale esse huic loco, ut semper de infelici amore hic querantur pastores. Addita est amplificatio ab absurdo cum ironia et insultatione. Postea subiungitur narratiuncula sui amoris a descriptione aetatis, quam amplificat loco communi de amore, atque hic locus tanquam praecipuus poeticis figuris, et argumento ab effectu amoris mirabiliter est ornatus. Epilogi vice ponuntur imprecationes cum descriptione amatoris, qui desperatione adactus vitam suam finire cogitat.

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga duplex continet argumentum sumptum ex imitatione Theocriti. Primus locus habet conquestionem sive querelam amantis, eo quod ab amico contemptus sit. Simile quiddam est in Eunucho Terentii. Secundus locus habet studium mulieris cuiusdam, veneficiis et incantationibus conantis animum viri sui pervertere.

Aliud eiusdem.

Querela est perpetua quaedam haec Ecloga amantium, suam vicem deplorantium. Alter queritur ab amica alium deformem pastorem sibi praelatum. Porro introducitur et saga quaedam, quae veneficiis et carminibus virum suum[99]) domum revocare conatur. Nomen est autem Eclogae *φαρμακεύτρια*, hoc est, venefica, eo quod primas habet partes in hac[100]) Ecloga haec incantatrix. *Φαρμακεύω*, hoc est, incanto, veneno inficio; *φαρμακεῖς*, hoc est, incantatores; et qui sic convinciuntur, *φαρμακευθέντες* sunt ipsis Graecis.

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga inprimis observanda est cum propter affectus, qui frequentes in hac sunt, tum propter pharmaceutrian, quae pars nigromantiae est. Habet enim prior pars Eclogae conquestionem amatoris decepti; posterior veneficia, quibus mulier quaepiam mentem amatoris pervertit, et habet mirabiles amantium affectus, estque haec pars Theocriti.

Aliud eiusdem[1]).

Titulus huius Eclogae Pharmaceutria significat veneficium. Nam pharmaca Graecis non modo salutaria remedia, sed etiam venena significant. Ideo autem hoc nomen Eclogae impositum est, quia in ea introducuntur duo amantes, Damon et Alphesiboeus, dissimili ingenio prae-

96) Theocrit. Idyll. XI.

97) Ovid. Trist. IV, 3, 38.

98) est] sic Editt. 1568., 1593.; in Ed. 1565. deest.

99) suum] sic Editt. 1568., 1593.; in Ed. 1565. deest.

100) hac] sic Editt. 1568., 1593.; in Ed. 1565. deest.

1) Hoc argumentum tantummodo in Editt. 1568., 1593. invenitur, ab Ed. 1595. abest.

diti. Alter enim (Damon) deiectus de spe potiundi amasia Nisa, quae Mopso in matrimonium collocata erat, nulla inconcessa amoris remedia adhibet, sed tantum suam miseriam et infelicitatem deplorat, intertexens suae querelae multa ἀδύνατα καὶ ἀπροςδόκητα, propterea quod praeter omnium opinionem Nisa nupsisset Mopso homini, ut consentaneum est, deformi, et non bene instructo a re familiari, eamque ob causam indigno, ut videbatur, tali coniuge. Significat autem haec prior pars Eclogae, saepe inaequales opibus et aliis donis lege iugali coniungi, ut altera persona det poenas superbiae, qua aequales fastidiose contempsit. Alter (Alphesiboeus) cum non posset potiri Daphnide amasio, decurrit ad media [2]) irregularia, et a Deo prohibita, videlicet ad magicas artes, et ad veneficia, quibus vel unicum Daphnidem ad se pertrahere conatur, sicut Circe apud Homerum suis poculis dementavit amatores, et quosdam in porcos, alios in leones [3]), nonnullos in pantheras transformavisse dicitur. Narratur de Cypriano Martyre, et Episcopo Carthaginensi, quod ante suam [4]) conversionem ad Christum, fuerit Magus, et quandam puellam magicis artibus ad se transferre conatus sit, puellam vero non potuisse vinci carmine magico, propterea quod invocasset Mariam Virginem. Etsi autem posterior pars huius narrationis, de invocatione Mariae, ab aliquo superstitioso monacho ficta est ad stabiliendam idololatriam invocationis mortuorum: tamen priori parti non omnino fides deroganda est. Ut enim ex Paulo persecutore post conversionem factus est Apostolus gentium, et organum Dei electum: ita fieri potest, ut ex mago Cypriano factus sit clarissimus Episcopus et Martyr fortissimus, qui recitata sententia condemnationis nihil aliud dixit, nisi hoc unum: Ago tibi gratias, o Deus, quod me participem feceris summae et maximae gloriae, Prophetarum et Apostolorum et Martyrum. Neque vero posteriorem huius Eclogae partem scrupulose [5]) persequamur, cum Dei beneficio ex agro atque finibus Ecclesiae exterminata sit magia, cuius ignoratio maior est quam scientia.

2) media] sic Ed. 1568.; Ed. 1593. mendo typogr.: medio.
3) leones] sic Ed. 1593.; Ed. 1568. male: leonis.
4) ante suam] sic Ed. 1568.; Ed. 1593. ante ad suam.
5) scrupulose] sic Ed. 1593.; Ed. 1568. speculose.

Ecloga IX.

Argumentum in nonam Eclogam.

Venusta Ecloga est variata querelis, votis [6]) et gratulatione. Dicitur enim scripta hac occasione, quod centurio quidam conatus fuerat expellere Virgilium ex praedio, quod Augustus Virgilio restituerat. Ideo pastor initio deplorat calamitates, quae existunt ex bellis civilibus. Habet autem locos communes insignes aliquot. Primus est, quam sit calamitosa res bellum civile. Secundus de inconstantia humanarum rerum. Tertius, quod praecipue studia, leges et artes pacis in bellis civilibus extinguantur. Primum igitur brevi dicto et sarcasmo describit usitatas in civilibus discordiis expulsiones civium ex paternis bonis, sicut nunc quoque passim proscribuntur et expelluntur cives propter religionem. Magnam autem emphasin habet illa figura sarcasmus: (Vs. 4.) *Haec mea sunt, veteres migrate coloni.* Significat enim hic gestus superbe insultantem victorem victis. Secundus locus, quod respublicae habeant fatales vicissitudines et poenas. Ideo ait: (Vs. 5.) *Nunc victi tristes, quoniam sors* [7]) *omnia versat.* Tertius locus, quem tribuit alteri pastori, quod bella civilia maxime noceant litteris, disciplinae, legibus, et similibus pacis artibus, et efficiant barbariem ac vastitatem. Ideo dicit: (Vss. 11—13.) *Sed carmina tantum Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum Chaonias dicunt aquila veniente columbas.* Sicut Ennius [8]) ait: Pellitur [9]) e medio sapientia, vi geritur res. Et illud [10]): Silent leges inter arma. Et Ovidius [11]): Victaque pugnaci iura sub ense latent [12]). Sicut nec Pompeius, nec Caesar leges aut consilia bonorum, ut Ciceronis et aliorum, audiebant. Hi loci communes sunt observandi, quia monent lectorem de magnis rebus, de fugiendis et cavendis bellis et discordiis

6) votis] sic Ed. 1565.; Ed. 1568. votu; Ed. 1593. voto.
7) *sors*] sic Editt. 1565., 1568., 1593. (= Virg. ed. Burmann., Ald. tert. et al.); Wagnerus in textum recepit: *Fors.* Vide eius annot. crit. ad h. l.
8) Enn. Annal. l. VIII.
9) Pellitur] sic Editt. 1565., 1568., 1593.; in Ennii fragm. ab Hieron. Columna conquis. recusis accur. Fr. Hesselio (Amstel. 1707. 4.) p. 79. in textu legitur: Tollitur.
10) Cic. orat. pro Milone 4, 10.
11) Ovid. Trist. V, 7, 48.
12) latent] sic Editt. 1565., 1568., 1593.; Editt. Bipont. et Mitscherlich.: iacent.

civilibus. Deinde addit querelam: Si miles interfecisset Virgilium, periissent multa poemata. Estque amplificatio damni a consequentibus. Postea ludunt et provocant se ad mutuum certamen. Alter venusta excusatione utitur, alludens ad locum communem de ingravescente aetate: (Vs. 51.) *Omnia fert aetas, animum quoque,* hoc est, senectus languefacit omnes vires. Est autem in fine gratulatio, qua significat, iam victore Augusto rempublicam iterum pacatam fore, et sunt venustae descriptiones, significantes pacis artes reflorescere: (Vs. 50.) *Insere, Daphni, piros, carpent tua poma nepotes.* Figurate etiam poeta studia litterarum antefert aulicae vitae, cum ait: (Vs. 40.) *Hic ver purpureum.* (Vs. 43.) *Huc ades, insani feriant sine littora fluctus,* hoc est, quietam vitam in studiis anteponito turbulentis negotiis publicis. Hos locos communes diligenter considerent, et meminisse studeant adolescentes, quia nos in dicendo et in scribendo saepe eis cum magna laude uti possumus. Nam talia dicta venuste accommodata multum gratiae orationi addunt.

Aliud eiusdem.

Multum haec Ecloga habet venustatis et elegantiae, cum propter querelas, quod veterum colonorum vicem deplorat hic Moeris, qui agris et possessionibus suis a veteranis, quibus illi assignati erant, expellebantur, tum propter carminum illorum, quae alteri pastori recitat Moeris, suavitatem et simplicitatem. Nam in hac Ecloga accuratissime Bucolici argumenti decorum servasse videtur poeta. Fingitur autem Moeris, Arrio centurioni, cui Virgilii agri evenerant, e rure hoedos quosdam muneris vice Mantuam afferre. Est vero Virgilii villicus Moeris, et Menalcas ipse Virgilius. Caeterum generis demonstrativi est oratio. Pleraque autem hic ex Theocriti poemate translata esse apparet.

Aliud eiusdem.

In priore parte huius Eclogae describitur ingens periculum Virgilii ab Arrio centurione, a quo paene fuisset interfectus propter repetitionem agrorum, quos in publico motu [13]) amiserat, nisi saluti ei fuisset Mincii amnis propinquitas. Deinde sumpta occasione ex mentione, quae fit de Virgilio, aliquot epigrammata venusta ordine recitantur. Series orationis haec est. Primo loco post interrogationem ponitur querela de praesenti rerum statu, quod pulsus sit praediis suis Virgilius. Interseritur argumentum a rumore, continens descriptionem ruris Virgiliani. Sequitur amplificatio periculi ab augurio. Addita est et exclamatio per apostrophen, cum enumeratione incommodorum, quae secutura erant Virgilii mortem. Deinde ponitur cunctatio cum recitatione quorundam epigrammatum. Ultimo loco est excusatio per praecisionem, quare non possit plura recitare epigrammata, quae ducta est a descriptione senectutis, cui additur nova invitatio ab opportunitate temporis.

Aliud eiusdem.

Tota haec Ecloga habet gravissimam querelam fortunarum Virgilii. Nam postquam iterum impetrasset suos agros ab Augusto Virgilius, profectus ad possidendos eos, fere ab Arrio centurione interfectus est. Eum hic studet donis placare. Fit enim saepe, ut dominis atque principibus faventibus aliquid impetremus, quod vix liceat nobis sine periculo propter provincialium malitiam auferre. Moeris est Virgilii pater, Menalcas ipse Virgilius. Lycidae persona adiecta est, ut res sparsa in personas, facilius possit amplificari. Nam eventus solet suppeditare materiam amplificationibus. Est autem haec Ecloga eiusdem argumenti cum tertia.

Aliud eiusdem.

Nomen habet haec Ecloga a persona, quae hic introducitur. Continet autem querelam, quod rursus eiectus sit Virgilius ex agris, quos beneficio Augusti recuperaverat. Cum enim recipere vellet paternos agros, invenit Arrium quendam centurionem illos habere. Is statim ut miles ad gladium manum admovit, et parum abfuit, quin interfecisset Virgilium, nisi se proripuisset in fugam.

Aliud eiusdem [14]).

Ecloga nona duas habet partes, quarum prior continet querelam pervulgatam de malis,

13) motu] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. metu.

14) Hoc argumentum in Editt. 1568., 1593. exhibetur, ab Ed. 1565. abest.

quae bellum praesertim civile comitantur. Quantum enim, ut Herodotus ait, distat pax a bello, tantum differt a bello motus civilis. Ac de bellis civilibus verissime Lucanus[15]) dixit: Alta sedent civilis vulnera dextrae. Multi enim implicantur calamitatibus civilium bellorum, qui natura pacis sunt cupidissimi, et nullam[16]) civilibus incendiis causam praebuerunt. Multi excutiuntur ex suis facultatibus, plures omni dignitate spoliantur, magna pars vitam in bellis civilibus amittit, nec ullum genus malorum est, quod non grassetur in seditione, ut Thucydides lib. 3. in descriptione seditionis Corcyraeae inquit[17]). Altera pars huius Eclogae propria est Bucolici argumenti. Nam in ea inducuntur pastores inter se carminibus certantes. Est autem admodum tenuis materia subiecta, ut ita dicam, de qua inter se colloquuntur pastores, ut paulo post inter legendum apparebit.

Ecloga X.

Argumentum in decimam Eclogam.

Virgilius in Eclogis alias praedicat beneficia amicorum, alias laudat amicos, alias insectatur invidos, alias deplorat bella civilia. Tales enim materiae, scilicet laudes benefactorum, aut vituperationes vitiorum, conveniunt poematis. Haec postrema Ecloga tota est querela, in qua Gallum amore et desiderio Cytheridis[18]) cruciari conqueritur, quod illam a Gallo Antonius abduxerat. Opinor tecte deplorari discordiam ortam inter Antonium et Augustum. Nam Gallus utrique fuit coniunctissimus. Postea divulsus est ab Antonio, et secutus Augustum, apud quem in summa gratia et autoritate fuit. Estque memorabile exemplum aulicae fortunae. Nam cum Augusto fuisset familiarissimus, tamen ad extremum venit in suspicionem defectionis, et iudicatus est hostis. Quare dolens Augusti animum a se sine causa alienatum, propter indignitatem rei mortem sibi conscivit. Porro haec Ecloga est exemplum amplificationis, quia longa enumeratione recitat poeta, qui deploraverint Gallum. Estque inserta venusta obiurgatio, qua Pan compellat Gallum. Haec continet locum communem, quam vehemens affectus sit amor, et quod non possit vinci, si quis indulgeat desiderio. Hic locus praecipue observandus est, praesertim propter venustas collationes: (Vss. 29 sq.) *Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina rivis, Nec cythiso saturantur apes.* Postea addit votum: Utinam liceret vobiscum in rure vivere; hîc significatur vitam privatam dulciorem esse administratione reipublicae. Deinde compellat Cytheriden Gallus. Sequitur correctio, in qua velut resipiscens ait, se medicaturum esse amori venationibus, vel aliis laboribus. Mox, ut est amoris inconstantia, redit ad priorem querelam, et ait: Insanabile vulnus. Estque ornatissima hyperbole, quod amor est immedicabilis: (Vs. 69.) *Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.* Hi loci communes praesertim ornati in similibus figuris diligenter observandi sunt, et insignes versus ediscendi sunt cum propter res ipsas, tum quia sunt exempla amplificationum in oratione.

Aliud eiusdem.

Generis demonstrativi est oratio. Continet enim querelam de Galli amore et insania, qui Cytherin meretricem quandam deperierat, quae Gallo spreto Antonium in Galliam cum exercitu[19]) proficiscentem secuta est. Fuit autem hic primum Augusto Caesari percharus, cui etiam ab eodem Aegyptus provincia administranda concessa est. Verum ubi comperit Augustus eum cum[20]) aliquibus contra se coniurasse, eiecit eum urbe. Postremo multis iudiciis et Senatusconsultis confossus Gallus, tandem sibi ipsi mortem conscivisse fertur. Caeterum perpetui et eiusdem argumenti est Ecloga, multis rhetoricis argumentis et figuris illustrata. Est autem conscripta ad primi Idyllii Theocriti imitationem de Daphnide[21]).

Aliud eiusdem.

Ultima Ecloga amores Galli describit, et habet praeter caeteras miram affectuum in amatore expressionem. Porro fuit hic Gallus poeta[22])

15) Lucani Pharsal. I, 32.
16) nullam] sic Ed. 1593.; Ed. 1568. mendo typogr.: nulla.
17) Thucyd. III, 82—85.
18) Cytheridis] sic Editt. 1568., 1593.; Ed. 1565. Cythretidis.
19) exercitu] sic Editt. 1565., 1593.; Ed. 1568. exercitum.
20) cum] sic Editt. 1565., 1593.; in Ed. 1568. deest.
21) Daphnide] sic Editt. 1565., 1593.; Ed. 1568. Daphine.
22) Gallus Cornelius poeta fuit nobilis sub Augusto.

eximius, qui Graeca carmina Euphorionis[23]) in Latinam linguam transtulit, et suos amores de Cytheride, quam Virgilius ficto nomine Lycorin appellat, libris quatuor complexus est. Erat quoque primum Augusto familiarissimus. Deinde propter suspicionem coniurationis ab eodem interfici iussus est. De huius laudibus multa scribit Virgilius in fine quarti Georgicorum[24]) sub fabula Aristaei. Extat et insignis locus apud Plinium lib. 7.[25]). Ordo huius Eclogae est. Principio ponitur invocatio cum propositione. Interserta est precatio, quae proprie ad invocationem pertinet. Deinde sequitur integra descriptio amoris Galli. Haec habet initium ab apostrophe ad Nymphas, in qua est quaedam commiseratio deperditi Galli. Sequitur congeries figurata poeticis figuris, multos extitisse, qui fleverunt insanum Galli amorem. Addita est consolatio in ipsa congerie cum sententia generali de amore. In altera parte huius Eclogae fingitur Gallus respondere, quem ideo poeta loquentem introducit, ut magis ponat ob oculos hominis insaniam. Primum deplorat suam conditionem. Deinde disceptat, quorsum se conferat, evitaturus et levaturus amorem, et statim addit insignem mutationem capti consilii, quem locum concludit epiphonemate de vi amoris. In fine Eclogae ponitur epilogus totius carminis[26]).

Aliud eiusdem.

Haec Ecloga tota est consolatoria. Est autem operae pretium videre, quam mirabili copia verborum et sententiarum usus sit poeta optimus in tractando atque leniendo Galli poetae, Asinii Pollionis filii[27]), aegroto animo. Concepit enim Gallus summum dolorem, cum Cytheris, se derelicto, Antonium in castra sequeretur, adeo ut statuat, tandem amorem omnia vincere. Porro hi loci et similes pulchre docent, quam sit infirma natura hominis, atque quam sit obnoxia, nisi a Deo defendatur, tum omnibus affectibus, cum omnibus malis. Gentes enim etsi habeant quasdam communes notitias rerum: tamen ignorant certam viam, qua tot malis succurri possit. Haec est autem revelatio voluntatis Dei per Christum. Exordium est invocatio Musae, quam praesidem carminis Bucolici fecit; postea Theocritum.

Aliud eiusdem.

Iste Cornelius Gallus, a quo haec Ecloga est nominata, fuit poeta, homo valde eruditus, amicus Virgilii. Ille amavit quandam meretricem Cytheridem (Virgilius vocat Lycorin), quae illi rapta et abducta est ab Antonio. Igitur deplorat eius infelicitatem in amore, et est tota Ecloga querela tantum, seu verius irrisio quaedam infelicis amatoris.

Aliud eiusdem[28]).

Gallus, a quo decima Ecloga nomen habet, fuit filius Asinii Pollionis, quem Ovidius inter praecipuos scriptores elegiaci carminis[29]), ut supra etiam diximus, commemorat. Hic cum esset praefectus Aegypti, vehementer doluit, se avulsum esse a complexu amasiae Lycoris. Ut autem ira, iuxta Pindari dictum, etiam sapientes turbat, ut peccent, sic amor multos de sua mente et sanitate deturbat, eosdemque impellit, ut aliquid contra decorum suae personae vel dicant vel faciant. Est enim amor vehemens incendium, quo dum animus ardet, difficulter se cohibere potest, quo minus extra metas erumpat. Proponitur ergo in hac Ecloga stulti amatoris imago, in quam intuentes discamus vitare omnes occasiones, et illecebras, quibus hoc incendium exuscitari solet.

---

23) De Euphorionis Chalcidensis poetae nati a. Chr. 276. vita et scriptis disseruit et quae supersunt eius fragmenta collegit et illustravit Aug. Meineke. Gedani 1823. 8.

24) Virg. Georg. IV, 317 sqq.

25) Plin. Nat. Hist. VII, c. 54. Ed. Franz. (c. 53. antiq. Editt.)

26) In altera parte huius Eclogae — totius carminis.] haec, quae in Editt. 1568., 1593. leguntur, in Ed. 1565. desunt.

27) Gallus Cornelius poeta ab Asinio Pollione in epist. ad Ciceronem (Cic. epist. ad Fam. X, 32, 5.) non filius, sed familiaris appellatur.

28) Hoc argumentum in Editt. 1568., 1593. legitur, ab Ed. 1565. abest.

29) Gallus poeta laudatur ab Ovidio in Art. Amator. l. III, 334. et in Remed. Amor. 765.

LXXXVIII. PHIL. MEL. ENARRATIO GEORGICON VIRGILII.

Melanthonis in *Georgica* Virgilii scholia duplicis sunt generis: 1) *breviora* textui in margine apposita, quibus praesertim artificium rhetoricum explicatur, 2) *prolixiora*, quibus non solum illud artificium, sed etiam res et verba illustrantur. Illa saepe repetita primum ipse Melanthon excudenda curavit, haec autem ex eius ore excepta adolescens quidam Westhemero typographo Basileensi obtulit rogans, ut ea prelo subiicerentur.

Breviora scholia marginalia inveniuntur in editionibus illis operum omnium Virgilii, quas in Prolegomenis p. 285—294. enumeravimus, praeterea in margine textus duarum editionum illico afferendarum.

Prolixiora scholia primum prodierunt 1544. sic inscripta:

> *Scholia in Georgicorum P. Virgilii Maronis lib. IIII. Doctissima, D. Philippo Melanthone autore, nunc primum in lucem edita. Praeterea, ut iusta commentaria essent, Eobani Hessi, poëtae uenustissimi, annotationes ijs adiunximus. Ad haec Brevis Explicatio vocabulorum quorundam de agricolarum instrumentis, addita est, per Iodocum Vuillichium Resellianum. Basileae.* — (In fine:) *Basileae, apud Barphtolomaeum Vuesthemerum, Anno M. D. XLIIII. Mense Augusto.* 8. 21 plagg. litt. A—X sign., 325 pagg., ult. pag. non num. (pag. 3—11. Ioannis Gastii Brisacensis epistola nuncupatoria ad Gedeonem ab Ostheim, Basileae 25. Augusti 1544. scripta; p. 12—31. Verg. Georgicon lib. I. cum scholiis margin. et praefixo argumento; p. 32—35. Praefatio Phil. Melanthonis in libros Georgicorum Verg.; p. 36—59. Scholia Melanthonis in lib. I. Georg. Verg.; p. 60—70. Verg. Georgicorum lib. II. c. scholl. marg., praemisso argum.; p. 71—97. Scholia Ph. Mel. in lib. II. Georg. Verg.; p. 97—119. Verg. Georgicorum lib. III. c. scholl. marg., praemisso argum.; p. 119—146. Scholia Ph. Mel. in lib. III. Georg. Verg.; p. 146—168. Verg. Georgicon lib. IV. c. scholl. marg., praemisso argum.; p. 168—197. Scholl. Ph. Mel. in lib. IV. Georg.; p. 198—300. In Verg. Georgica praefatio et scholia Eobani Hessi; p. 301—325. Brevis explanatio quorundam vocabulorum agriculturae, quibus subinde opus erit; in huius calce Clausula typogr. est addita; ult. pag. non num. Insigne typogr.: Sagitta deorsum versa a pisce circumvoluta, cont.) *).

Ex hac Ed. exscriptus est hic liber:

> *P. Vergilii Maronis Georgicon libri IIII. Phil. Melanchthonis scholiis illustrati. Parisiis, apud Thomam Richardum* 1548. 4. **).

---

*) Hanc Ed., quam Schweiger l. l. p. 1246. et Heynius l. l. p. 700. memorant, ex Biblioth. acad. Gotting. in manibus habeo.

**) Sic haec Ed. a Schweigero l. l. p. 1194. affertur; apud Heynium l. l. p. 702 loco „*Georgicon*" legitur „*Georgicorum*" et loco „*apud*": „*per*". Equidem hanc Ed. nondum vidi.

I. IN VIRGILII GEORGICA
SCHOLIA BREVIORA PHILIPPI MELANTHONIS.

Ex Prolegomenis elucet, haec scholia prodiisse 38 vel 39 Editionibus, scilicet hisce: 1) Ed. *Hagan.* 1530. 8., 2) Ed. *Paris.* 1531. 8., 3) Ed. *Basil.* 1533. 8., 4) Ed. *Colon.* 1534. 8., 5) Ed. *Basil.* 1535. 8., 6) Ed. *Paris.* 1535. 12., 7) Ed. *Lugd.* 1537. 8., 8) Ed. *Paris.* 1538. 8., 9) Ed. *Hal. Suev.* 1540. 8., 10) Ed. *Basil.* 1543. 8., 11) Ed. *Basil.* 1544. 8., 12) Ed. *Colon.* 1545. 8., 13) Ed. *Basil.* 1546. 12., 14) Ed. *Tigur.* 1547. 4., 15) Ed. *Paris.* 1548. 4., 16) Ed. *Basil.* 1551. 8., 17) Ed. *Moguat.* 1554. 8., 18) Ed. *Paris* 1558. 4., 19) Ed. *Francof.* 1559. 8., 20) Ed. *Basil.* 1559. 8., 21) Ed. *Tigur.* 1561. 8., 22) Ed. *Tigur.*

1564. 8., 23) Ed. *Francof.* 1567. 8., 24) Ed. *Tigur.* 1567. 8., 25) Ed. *Tigur.* 1570. 8., 26) Ed. *Francof.* 1572. 8., 27) Ed. *Tigur.* 1573. 8., 28) Ed. *Tigur.* 1577. 8., 29) Ed. *Francof.* 1579. 8., 30) Ed. *Tigur.* 1581. 8., 31) Ed. *Francof.* 1582. 8., 32) Ed. *Colon.* 1585. 8., 33) Ed. *Tigur.* 1587. 8., 34) Ed. *Colon.* 1591. 8., 35) Ed. *Colon.* 1597. 8., 36) Ed. *Witeb.* 1598. 8., 37) Ed. *Francof.* 1599. 8., 38) Ed. *Mogunt.* s. a. 8., quibus addenda esse videtur 39) Ed. *Hagan.* 1534. 8. supra p. 295 sq. memorata; ex quibus Editt. hasce 14 in manibus teneo: 1) *Basil.* 1533., 2) *Basil.* 1535., 3) *Halens.* 1540., 4) *Basil.* 1543., 5) *Basil.* 1544., 6) *Tigur.* 1547., 7) *Basil.* 1551., 8) *Tigur.* 1561., 9) *Tigur.* 1570., 10) *Tigur.* 1577., 11) *Tigur.* 1581., 12) *Tigur.* 1587., 13) *Francof. ad Od.* 1599., 14) *Mogunt.* s. a., quarum extremam litt. *Mog.*, ceteras annorum, quibus prodierunt, numeris significabo.

Harum Editt. duae classes sunt distinguendae, quarum altera eas complectitur, quae Melanthonis scholia marginalia *integra* eaque in margine quidem *sola* continent; altera vero eas, quae illa scholia Mel. *partim mutata* et cum *aliorum* scholiis in margine *permixta* exhibent, illorumque *haud pauca omittunt.* Prioris classis sunt Editt. 1533., 1535., 1547.; alterius vero Editt. *Mog.*, 1540., 1543., 1544., 1551., 1561., 1570., 1577., 1581., 1587., 1599. Quam ob rem in notis criticis solas illas tres afferemus. — Ex his scholiis ea, quae nil nisi singulas voces textus in margine repetitas sine ulla adnotatione continent, omittemus.

In Georgicon Librum I.

Vss. 1 sqq. [1]) *Quid faciat* etc.] Propositio.

Vss. 5 sqq. *Vos, o clarissima* etc.] Invocatio.

Vs. 19. *uncique puer monstrator aratri*] Triptolemus.

Vs. 33. *Qua locus Erigonen* etc.] Virgo, Chelae.

Vs. 35. *et coeli iusta plus parte relinquit*] Scilicet quod Scorpius duorum siderum spatium obtinebat, quod Libram veteres ignorabant.

Vss. 50 sqq. *At prius* etc.] Discrimina soli.

Vss. 61 sqq. *quo tempore primum* etc.] Amplificat a figmento.

Vss. 67 sqq. *At si non fuerit* etc.] Discrimina agrorum.

Vs. 100. *Humida solstitia atque hyemes* etc.] Tempestates.

Vss. 107 sq. *Et, quam exustus* etc.] ὑποτύπωσις [2]).

Vss. 118 sqq. *Nec tamen* etc.] Excursus.

Vss. 126 sqq. *Ne signare quidem* etc.] Omnium rerum communio.

Vs. 137. *Navita tum stellis* etc.] Nautae primi observarunt stellas.

Vss. 145 sq. *Tum variae venere artes* etc.] ἐπιφώνημα.

Vss. 160 sqq. *Dicendum, et quae* etc.] Agricolarum arma [3]).

1) Versuum, quibus haec scholia in margine apposita sunt, numeros, quibus illae Editt. carent, ex Ed. Wagner. adscripsi, atque principium horum versuum vel singula eorum verba, ad quae scholia Mel. spectant, adieci.

2) ὑποτύπωσις] sic Editt. 1533., 1535.; Ed. 1547. ὑποτυπώσεις.

3) Hoc schol. in Ed. 1547. exstat, in Editt. 1533., 1535. deest.

Vss. 181 sqq. *Tum variae illudant* etc.] Agrorum pestes.

Vss. 187 sqq. *Contemplator item* etc.] Prognostica.

Vss. 197 sqq. *Vidi lecta diu* etc.] ἐπιφώνημα.

Vss. 208 sq. *Libra diei* etc.] Discrimina dierum.

Vss. 215 sqq. *Vere fabis satio* etc.] Satio fabarum et milii.

Vs. 221. *Eoae Atlantides*] Vergiliae.

Vss. 231 sq. *Idcirco certis* etc.] Ratio [4]).

Vss. 233 sqq. *Quinque tenent coelum Zonae* etc.] Ratio sphaerae et zonarum.

Vss. 244 sqq. *Maxumus hic* etc.] Descriptio siderum.

Vss. 260 sqq. *Multa forent* etc.] Quae agenda agricolae domi, cum per tempestatem foris esse non liceat.

Vss. 168 sqq. *Quippe etiam festis* etc.] Quae festis agenda diebus.

Vss. 276 sqq. *Ipsa dies alios* etc.] Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est.

Vss. 299 sqq. *hyems ignava colono* etc.] Otium hybernum.

Vss. 307 sqq. *Tum gruibus* etc.] Venatio hyberna.

Vs. 311. *Quid tempestates* etc.] Tempestates vel signa tempestatum.

Vs. 318. *Omnia ventorum concurrere* etc.] De seditione aut stulta multitudine dici potest.

Vs. 329. *Fulmina molitur* etc.] Tonitrua.

Vss. 335 sqq. *Hoc metuens* etc.] Prognostica, quae tempestates indicant [5]).

4) Hoc schol. in Ed. 1547. deest.

5) indicant] Ed. 1547. male: indicavit.

Vss. 338 sq. *Inprimis venerare Deos* etc.] Pietas.

Vs. 345. *Terque novas* etc.] Ambarvalia sacra.

Vss. 360 sqq. *Iam sibi tum curvis* etc.] Quando non sit tutum navigare.

Vss. 365 sqq. *Saepe etiam stellas* etc.] ὑποτυπώσεις [6]).

Vss. 393 sqq. *Nec minus ex imbri* etc.] Signa serenitatis.

Vss. 412 sqq. *Nescio qua praeter* etc.] Impietas corvorum notatur.

Vss. 424 sqq. *Si vero solem* etc.] Alia signa.

Vss. 438 sq. *Sol quoque et exoriens* etc.] De ortu.

Vs. 450. *emenso quum iam decedet Olympo*] De occasu.

Vss. 464 sqq. *Ille etiam caecos* etc.] Excurrit in locum communem; deplorat enim temporum calamitatem, queriturque et ardere omnia bello, et apparuisse certa belli signa.

Vss. 491 sqq. *Nec fuit indignum* etc.] Poetica amplificatio.

Vss. 498 sqq. *Dii patrii, Indigetes* etc.] Votum.

Vss. 504 sqq. *atque hominum queritur* etc.] Querimonia.

Vs. 514. *Fertur equis auriga* etc.] Proverbialis versiculus de iis, qui non audiunt.

In Georgicon librum II.

Hic liber tradit rationem vitium colendarum, praeterea praecepta de olea et aliis nonnullis arboribus.

Vss. 9 sqq. *Principio arboribus* etc.] Quam varie nascantur arbores.

Vss. 35 sqq. *Quare agite* etc.] Adhortatio.

Vss. 39 sqq. *Tuque ades* etc.] ἀποστροφὴ ad Maecenatem.

Vss. 69 sq. *Inseritur vero* etc.] De insitione.

Vss. 73 sqq. *Nec modus inserere* etc.] De discrimine insitionis et inoculationis.

Vss. 78 sqq. *Aut rursum enodes* etc.] Insitionem describit.

Vss. 83 sqq. *Praeterea genus haud unum* etc.] Varias esse species in singulis generibus.

Vss. 105 sqq. *Quem qui scire velit* etc.] *ἀδύνατον*.

6) ὑποτυπώσεις] sic Editt. 1533., 1547.; Ed. 1535. ὑποτύπωσις.

Vss. 109 sqq. *Nec vero terrae* etc.] Non omnes terrae omnia ferunt.

Vs. 119. *Balsamaque*] Balsama in India crescunt.

Vss. 126 sqq. *Media fert* etc.] Descriptio mali aurei seu citrini.

Vss. 136 sqq. *Sed neque Medorum* etc.] Encomium Italiae.

Vs. 161. *Lucrinoque addita claustra?*] Iulius exclusit mare solitum irrumpere in Lucrinum lacum facto aggere, de quo vide Suetonium [7]).

Vss. 179 sqq. *Difficiles primum* etc.] De discriminibus terrarum et soli.

Vss. 184 sqq. *At quae pinguis* etc.] Pinguis vitibus apta [8]).

Vss. 198 sqq. *Et qualem infelix* etc.] Pascua Mantuana probat.

Vss. 203 sqq. *Nigra fere* etc.] Nigra et putris optima frumentis [9]).

Vs. 208. *Et nemora evertit* etc.] Novalia.

Vss. 217 sqq. *Quae tenuem exhalat* etc.] Ea est optima, quae saepe ex se exhalat nebulam.

Vs. 229. *Densa*] Sic deprehendas densam, si effossam terram rursus in eundem locum regeras. Et si superat, densa est; sin non implet fossam, est rara [10]).

Vss. 248 sqq. *Pinguis item* etc.] Pinguis quomodo cognoscatur [11]).

Vss. 260. *et magnos scrobibus* etc.] Scrobes faciendae, et vertendum solum.

Vss. 269 sqq. *Quin etiam coeli* etc.] Translatae arbores.

Vss. 273 sqq. *collibus, an plano* etc.] An in colle magis conducat, vel in plano.

Vss. 288 sqq. *Forsitan et scrobibus* etc.] Scrobes vitium non admodum profundae, arborum profundae sint.

Vs. 298. *Neve tibi ad solem* etc.] Non vergantur [12]) ad occidentem.

7) Sueton. vita Iulii Caesaris c. 39.

8) Pinguis vitibus apta] Hoc schol. Ed. 1547. h. l. exhibet; in Editt. 1533., 1535. huius loco versui 190. adscriptum est scholion: Pinguis vitis.

9) optima frumentis] sic Editt. 1533., 1535.; Ed. 1547. frumento commoda.

10) rara] sic Editt. 1533., 1547.; Ed. 1535. mendo typogr.: terra. — In Editt. 1533., 1535. hoc schol. versui 243 est appositum.

11) Hoc schol. in Ed. 1547. legitur, in Editt. 1533., 1535. deest.

12) vergantur] sic Editt. 1533., 1547.; Ed. 1535. vergant.

Vs. 300. *aut summa defringe* etc.] Non ex summis arboribus defringendae plantae.

Vs. 302. *neve oleae silvestres* etc.] Non inserendus oleaster oleae.

Vss. 315 sq. *Nec tibi* etc.] Non faciendum aut arandum spirante Borea.

Vss. 319 sqq. *Optima vinetis satio* etc.] Vere serendae vites, aut autumno.

Vss. 323 sqq. *Ver adeo frondi* etc.] Descriptio veris.

Vss. 336 sqq. *Non alios prima* etc.] Poetici excursus.

Vss. 346 sq. *quaecunque premes* etc.] Fimum iniiciendum vitibus.

Vss. 354 sqq. *Seminibus positis* etc.] Fodiendum singulis mensibus, et herbae exstirpandae.

Vss. 358 sqq. *Tum laeves calamos* etc.] Pedaminibus sublevandae tenerae vites.

Vs. 366. *Carpendae manibus* etc.] Pampinatione utendum.

Vss. 380 sq. *Non aliam ob culpam* etc.] Caper Baccho immolatur [13]).

Vs. 385. *Nec non Ausonii* etc.] Deducticii cives.

Vss. 397 sqq. *Est etiam ille labor* etc.] De fodiendis vineis.

Vs. 407. *Persequitur vitem* etc.] Post vindemiam sequitur putatio.

Vss. 410 sq. *Postremus metito* etc.] Bis pampinandum.

Vs. 420. *non ulla est oleis* etc.] Olivae [14]).

Vss. 429 sq. *Nec minus interea* etc.] De arbustis et fruticibus.

Vss. 458 sqq. *O fortunatos* etc.] Propositio.

Vss. 461 sqq. *Si non ingentem* etc.] Collatio bonorum.

Vss. 467 sqq. *At secura quies* etc.] Bona ruris.

Vss. 498 sqq. *Non res Romanae* etc.] Incommoda urbis.

Vss. 513 sqq. *Agricola incurvo* etc.] Commoda ruris.

Vs. 527. *Ipse dies agitat* etc.] Otium.

Vss. 541 sq. *Sed non immensum* etc.] Praecisio.

13) Hoc schol. in Ed. 1547. invenitur; in Editt. 1533., 1535. deest.

14) Hoc schol. in Ed. 1547. exstat; in Editt. 1533., 1535. deest.

In Georgicon librum III.

Tertius liber continet descriptionem animantium, et quarum bestiarum est maximus usus.

Vss. 50 sqq. *seu quis fortis* etc.] De bobus.

Vss. 60 sqq. *Aetas Lucinam* etc.] Tempus idoneum partui.

Vss. 72 sqq. *Nec non est pecori* etc.] De equis [15]).

Vss. 79 sqq. *ili ardua cervix* etc.] Equi forma.

Vss. 97 sq. *Frigidus in Venerem* etc.] Admissarius.

Vss. 103 sqq. *Nonne vides?* etc.] Quomodo deprehendatur animositas.

Vss. 124 sqq. *Impendunt curas* etc.] De saginandis admissariis.

Vss. 129 sqq. *Ipsa autem macie* etc.] De equabus.

Vss. 133 sqq. *Quum graviter tunsis* etc.] Descriptio meridiei rustica.

Vss. 140 sqq. *Non illas gravibus* etc.] Quomodo sint gravidae curandae.

Vss. 179 sqq. *Sin ad bella* etc.] De equis.

Vss. 196 sqq. *Qualis Hyperboreis* etc.] Homerica comparatio.

Vss. 242 sqq. *Omne adeo genus* etc.] Amoris vis [16]).

Vss. 255 sqq. *Ipse ruit* etc.] De suibus [17]).

Vss. 258 sqq. *Quid iuvenis* etc.] Homines.

Vss. 274 sq. *et saepe sine ullis* etc.] Equas concipere sine maribus, qui partus durat solum triennium.

Vs. 287. *Lanigeros agitare* etc.] De minoribus pecudibus.

Vss. 295 sqq. *Incipiens stabulis edico* etc.] De curandis ovibus.

Vss. 300 sqq. *Post hinc digressus* etc.] De capris.

Vss. 308 sqq. *Densior hinc soboles* etc.] Utilitas ex capris.

Vss. 346 sqq. *Non secus ac patriis* etc.] Comparat pastores Romano militi.

15) Hoc schol. in Ed. 1547. legitur; in Editt. 1533., 1535. deest.

16) Hoc schol. in Ed. 1547. legitur; in Editt. 1533., 1535. deest.

17) De suibus] sic Editt. 1533., 1535.; Ed. 1547. sues.

Vs. 349. *At non, qua* etc.] Scythiae pastores, et pascua [18]).

Vss. 381 sqq. *Talis Hyperboreo* etc.] Divisio.

Vss. 404 sqq. *Nec tibi cura canum* etc.] Canes alendi [19]).

Vss. 416 sqq. *Saepe sub immotis* etc.] De serpentibus.

Vs. 434. *asperque siti*] Sitis serpentum.

Vss. 440 sqq. *Turpis oves tentat* etc.] De ovium scabie.

Vs. 458. *atque artus depascitur* etc.] De febri.

Vs. 474. *Norica*] Noricum [20]).

Vss. 492 sqq. *Ac vix suppositi* etc.] Elevat autoritatem auspiciorum.

Vss. 498 sqq. *Labitur infelix* etc.] De morbo equorum.

Vss. 514 sqq. *Ecce autem duro* etc.] De tauris.

In Georgicon librum IV.

Vss, 1 sq. *Protenus aerii* etc.] Propositio, cui admiscuit dedicationem operis.

Vss. 3 sqq. *Admiranda tibi* etc.] Amplificatio per metaphoras.

Vss. 8 sqq. *Principio sedes apibus* etc.] Locus apiarii.

Vss. 33 sqq. *Ipsa autem seu corticibus* etc.] Quomodo sint alvearia facienda.

Vss. 51 sqq. *Quid superest* etc.] Descriptio aestatis.

Vss. 67 sqq. *Sin autem ad pugnam* etc.] Quomodo bella gerant.

Vss. 74. *Spiculaque exacuunt* etc.] Rex aculeo caret.

Vss. 80 sqq. *Praecipitesque cadunt* etc.] Amplificatio.

Vss. 103 sqq. *At quum incerta* etc.] Quomodo domi detinendae, ne avolent.

Vss. 149 sqq. *Nunc age* etc.] Admiscet fabulam.

Vss. 158 sqq. *Namque aliae victu* etc.] Industriae descriptio.

Vss. 170 sqq. *Ac veluti lentis* etc.] Comparatio.

Vss. 174 sq. *Illi inter sese* etc.] His versiculis utitur et in 8. Aeneidos [21]).

Vss. 195 sq. *Ut cymbae instabiles* etc.] Comparatio.

Vss. 197 sqq. *Illum adeo placuisse* etc.] De ortu apum.

Vss. 208 sqq. *At genus immortale*] Alludit ad frequentem mutationem imperiorum.

Vss. 219 sqq. *His quidam signis* etc.] Amplificatio.

Vss. 223 sqq. *Hinc pecudes* etc.] Unde res nascantur et occidant.

Vss. 228 sqq. *Si quando sedem* etc.] De eximendo melle.

Vs. 231. *Bis gravidos* etc.] De castrandis alvearibus.

Vss. 244. *Immunisque sedens* etc.] Aliena vivere quadra.

Vs. 392 sq. *novit namque omnia* etc.] Homeri Il. α. [22]) *ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα, πρό τ᾽ ἐόντα.*

Vss. 475 — 477. *Matres atque viri* etc.] Hos versiculos reperies in 6. Aen. [23]).

---

18) Hoc schol. in Ed. 1547. legitur; in Editt. 1533., 1535. deest.

19) Canes alendi.] sic Editt. 1533., 1535.; Ed. 1547. Canum cura.

20) Noricum.] sic Editt. 1533., 1535.; Ed. 1547. Noricum Bavaria.

21) in 8. Aeneidos.] sic scripsi; reperiuntur enim hi vss. in Virg. Aen. VIII, 452 sq.; Editt. 1533., 1535., 1547. male habent: in septimo Aeneidos.

22) Hom. Il. I, 70.

23) Reperiuntur hi tres vss. in Virg. Aen. VI, 306 — 308. — Hoc schol. in Editt. 1533., 1535. exstat, in Ed. 1547. deest.

2. IN VIRGILII GEORGICA

SCHOLIA PROLIXIORA PHILIPPI MELANTHONIS.

Haec scholia non Melanthon ipse, sed Ioannes Gastius Brisacensis edidit et Gedeoni ab Osthcim dicavit. Huius epistolae nuncupatoriae, Basileae 25. Augusti 1544. scriptae, principium h. l. afferre iuvat, ex quo lector huius prolixioris commentarii originem cognoscat:

Nobili ac generosae indolis adolescenti, Gedeoni ab Ostheim, pincernae haereditario etc. Ioannes Gastius Brisacensis S. D.

Obtulit quidam non inelegantis ingenii adolescens, Westhemero typographo non indiligenti, D. Philippi Melanthonis, viri, ut nihil aliud dicam, in disciplinarum genere, praecipue autem in veteri theologia, exercitissimi, in libros Georg. Verg. Scholia, quae ex illius ore, qua potuit diligentia, excepit: rogans ut id, qualecunque sit, prelo subiiceretur. Noluit enim ea, licet nondum absoluta, et temere congesta, more quorundam abscondere, aliosque hoc litterario thesauro defraudare, vel se ipsum, si publice quid praelegendum esset, plumis alienis convestire. Candidi hominis proprium esse dicebat, multis sua industria prodesse, et quae vel aliquam utilitatem studiosis bonarum litterarum adferre possent, non supprimere, neque aliorum laudi invidere, sed omnibus liberaliter communicare. Et plane confido autorem, cuius ingenii candorem nemo non novit, boni studium nostrum hac in editione consulere, quum malitioso nihil hic sit actum animo. Adiecimus iis, quae damus, Eobani Hessi doctissimas annotationes in eosdem Georgicorum libros, iam denuo locupletatas ac emendatiores, et nonnulla alia, quae omnia iusti commentarii loco esse possunt etc.

Ex duabus Editionibus horum scholiorum supra p. 349 sq. descriptis, quarum altera *Basileae* a. 1544., altera *Parisiis* a. 1548. prodiit, solam priorem in manibus habeo.

Praefatio Philippi Melanthonis in libros Georgicorum P. Virgilii Maronis.

Quemadmodum in Ovidio exponendo fecimus, ita hic etiam de fine et utilitate operis cogitandum est. Illa ergo utilitas generalis est, quae ad genus Latini sermonis pertinet, in quo comparando multum operae collocandum est. Quantum enim studii, quantumque laboris ea res postulet, ut vel mediocre quoddam vel tolerabile dicendi genus consequamur, facile intelligunt ii, qui in hoc studio versantur. Nam ad illam veterem et splendidam eloquentiam his temporibus, his studiis pervenire nemo potest. Sed tamen illud ipsum, quod efficere possumus, habet profecto in quolibet genere studiorum infinitam utilitatem. Mediocris aliquis grammaticus magnum iam habet aditum ad quaslibet artes, ex quibus [1]) ad quamcunque se applicuerit, minori negotio in ea [1*]) versabitur. Atque ob hanc rem potissimum isti autores, qui sunt in Latina lingua praecipui, in scholis proponuntur, videlicet propter grammaticam, ut aliquam similitudinem consequamur orationis bonae, ne sit nostra oratio impura, mutilata etc. Deinde illa ipsa diligentia in scribendo et legendo assuefacit animum ad diligentius iudicandum, quod etiam facile experiuntur ii, qui se exercent. Secundo huius operis utilitates peculiares sunt, quae ex argumento colliguntur. In primo libro pauca quaedam et exilia praecepta tradit de agricultura. His sunt addita quaedam physica et astronomica de ortibus et occasibus stellarum. Quare multum etiam proderit vobis hic liber ad doctrinam ortuum et occasuum, et ad physicas quasdam disputationes. In secundo tradit hortensia praecepta, quae nonnihil habent difficultatis, et a nobis diligentius explicabuntur. Est autem non exigua pars eruditionis tenere nomenclaturas rerum. In 3. de cultu pecorum scribit. In 4., qui inprimis elegans est, et vel maxime vim et felicitatem ingenii huius autoris ostendit, eam partem culturae complectitur, quae ad apes pertinet. Inseruntur etiam multi loci communes, quorum cognitio multum habet utilitatis.

1) ex quibus] sic scripsi; Ed. 1544. quibus.
1*) ea] Ed. 1544. eo.

Collatio Virgilii cum Graecis autoribus.

Nihil moror illam fabulam, qua Virgilium cum Homero, Hesiodo et Theocrito conferunt, et Homero parem, Hesiodo superiorem, Theocrito inferiorem faciunt. Scio Aeneiden Virgilii quandam esse Iliados imitationem, quamquam etiam ex

Odyssea aliquid sumptum est; utrum vero par sit eiusdem poetae facultas, nolo pronuntiare. Nota est sententia Quintiliani[1b]), quam credo alicuius vetusti autoris esse, Inferiorem esse Virgilium, sed ita tamen, ut primo sit propior, quam tertio. Ac profecto facile excellit Homerus omnes alios, tum Graecos, tum Latinos. Superior autem Hesiodo Virgilius facile esse potuit. Hesiodi enim consilium fuit non praecipue de agricultura, sed de moribus scribere, addens brevia quaedam praecepta rei domesticae, significans virtutem cum labore coniunctam esse debere. Theocrito est sane inferior. Illas enim blandissimas delicias nequaquam est assecutus Virgilius, atque haud scio, an recipiat eas Latina lingua.

Scholia Philippi Melanthonis in librum I. Georgicon Virgilii.

Vs. 1.[2]) *Laetas*] id est, uberes, grandes. *Quo sidere*] id est, quibus temporibus.

Vs. 2. *Ulmis*] Ulmus et illa arbor, quam nos vocamus rustern, ex qua plerumque fiunt rotae curruum.

Vs. 3. *Habendo*] id est, alendo.

Vs. 4. *Experientia*] id est, Quanta sit industria in apibus.

Vs. 5. *Hinc incipiam*] Propositio. *Vos, o*] Invocatio. *Clarissima lumina*] id est, ☉ et ☽[2a]) quorum praecipuae sunt vires in producendis frugibus.

Vs. 7. *Liber et Alma*] Hic multum disputant, an haec per appositionem intelligenda sint, ut ad superiora referantur. Sed ego omissis illis ineptiis expono illa simpliciter pro Cerere et Baccho, quos post ☉ et ☽ invocat tanquam inventores frugum et vini.

Vs. 8. *Chaoniam glandem*] Species pro genere, ut si diceret Hercyniam. Dicit autem Chaoniam, quia in Chaonia, Epiri regione, plurimum glandium provenit.

Vs. 9. *Pocula Acheloia*] id est, aquam, etiam species pro genere. Achelous est fluvius Epiri.

Vs. 10. *Fauni*] Faunum, Dryades, Neptunum, Aristum, Pana et Sylvanum ordine invocat, quia unusquisque istorum deorum aut invenerit aliquid, aut praesit iis, quae his libris descripturus sit.

Vs. 12. *Cui prima frementem*] O tu Neptune, qui dicitur primus produxisse equum. Nam meministis fabulam, in qua cum Neptunus inventis certaret cum Pallade, uter daret appellationem civitati Athenas, Neptunus equum produxit, Pallas oleam. Ibi indicarunt inventum Palladis praestantius esse Neptuni invento, id est, significarunt artes pacis esse praestantiores artibus belli, et civitates magis debere colere artes pacis quam belli.

Vs. 14. *Cultor nemorum*] id est, Aristaeum pastorem invocat, qui iam pro deo colebatur. Fuit vetus aliquis philosophus, bonus physicus, qui multa invenit, monstravit, quomodo ex oleis posset exprimi oleum. Item reparavit physica ratione apes. Nam iussit poni corpus bovis in locum clausum, et non pervium ventis, ex quo corpore putrefacto postea apes ortae sunt. Nam fumi in illo loco non possunt exhalare. Est autem hic pulchra significatio proposita. Ecclesia sunt apes, illi nascuntur ex mactato corpore Christi. De hoc in IV. plura habebimus. *Ceae*] Cea est insula ex Cycladibus in mari Aegaeo. In illo loco sunt bona pascua.

Vs. 19. *Puer*] id est, Triptoleme.

Vs. 23. *Satis*] id est, segetibus.

Vs. 24. *Tuque adeo*] id est, tu Auguste.

Vss. 24 sq. *Consilia Deorum*] Deorum ordines quatuor facit, coelestium, terrestrium, marinorum et inferorum. Ad inferos nolim te descendere inquit. Ex aliis, inquit, tribus ordinibus delige, quem voles, sive ut urbes et terras curandas suscipias, sive maris imperium, sive signum aliquod coeleste fias, ad quod Scorpius Chelas suas contrahit, tibique alteram sui partem concedit.

Vs. 28. *Materna*] id est, Venerea. *Myrtus*] est affine quiddam ei, quod nos vulgo myrtillum vocamus illum fruticem, da die heydelber auf wachsen.

Vs. 30. *Thule*] id est, Norbeiam. Intelligit illas ultimas insulas, quae sunt post Scotiam versus septentrionem, quamquam dicunt, quod Thule

---

1b) Quintil. Instit. Orat. X, 1, 86.

2) Versuum numeros Virgilii verbis, quae in Ed. 1544. leguntur, ex Ed. Wagner. ipse adscripsi.

2a) Has fastorum notas, quas Ed. 1544. h. l. et in seqq. habet, etiam in hanc Ed. recepi.

sit parva quaedam insula vicina Norbeiae. Sed veteres Norbeiam intellexerunt. Dicitur autem Norbeia a septentrione. Nam Nort septentrionem significat.

Vs. 31. *Generum emat*] id est, det tibi unam Nympham. Alludit ad illum veterem morem, qui dicebatur coemptio.

Vs. 32. *Anne novum*] id est, an velis fieri signum in Zodiaco.

Vs. 33. *Erigonen*] id est, virginem. Scorpius contrahet Chelas, ut tibi det locum. Nam ille locus Librae apud veteres et praesertim Graecos non dicebatur Libra, sed Chelae. Ita Scorpius occupabat duo signa. Fortassis alludit poeta ad locum nativitatis Augusti, quod ♈. ♎ in horoscopo Augusti inventa sit, quamquam scribunt eum in ascendente ♑ habuisse. Ita fuisset ♎ in medio coelo, et procul dubio insignis aliqua in ea coniunctio, quod significavit eum pacis artibus clariorem quam bello futurum. Erigone dicitur esse filia Icari, qui primus monstravit suis sociis vinum. Illi inebriati cum putarent sibi datum esse venenum, interfecerunt Icarum, et abiecto corpore eius in sepulchrum aufugerunt. Postea canis monstravit filiae locum et sepulchrum. Propter hoc sunt translati inter sidera. Quo significatum est pro meritis gratiam esse reddendam.

Vs. 39. *Proserpina*] id est, Quamquam tibi quoque iudicantur esse minima, tamen non detruderis ad inferos, sed eris unus ex Heroibus, quos ipsi coluerunt, sicut nos colimus sanctos.

Vs. 43. *Vere novo*] Primum praeceptum, quando sit arandum.

Vs. 48. *Bis quae solem*] id est, ubi est facta quarta aratio, primo post principium veris, deinde in mense Iunio, tertio in autumno, quarto in fine hyemis. *Bis frigora*] scilicet in autumno et in fine hyemis. Discatis autem illa generalia de agricultura, quia multa habent philosophica. In Germania in solo pingui, ut in Thuringia ter solet arari, et memini idem fieri in mea patria. In plerisque etiam Italiae locis ter aratur. Sed tenuius solum aut bis aratur, ut in Mysia, aut semel, ut nostra arena; pingue autem, ut dixi, ter, semel in vere, postea in Iunio, tertio ante sationem in autumno. In foecundissimis quibusdam Italiae locis quater aratur. Hesiodus etiam tantum duas ponit arationes, sicut Mysnia nostra et Pannonia tantum duas habent. Primam arationem vocant proscissionem, secundam iterationem, tertiam tertiationem.

Vs. 50. *At prius*] Secundum praceptum, quod sit habenda ratio locorum. *Aequor*] id est, campum.

V. 53. *Quid quaeque ferat*] sicut nostrum solum non fert triticum; sed cum serimus triticum, degenerat in robum.

Vs. 55. *Iniussa*] id est, sponte.

Vs. 56. *Tmolus*] Mons Ciliciae, ubi optimus crocus nascitur.

Vs 58. *Chalybes*] Populi Galatiae in Asia, et illa pars Chalybia dicebatur. Ibi sunt multae venae ferreae, ex quibus eruitur chalybs, der Stahel. Et est disputatio, an chalybs differat specie specialissima a ferro, an vero non, id est, an ex eodem lapide coquantur ferrum et chalybs. Ego audivi de hac re disputantes peritos mineralium, qui negabant ex eodem lapide utrumque metallum fieri, id quod ego etiam animadverto. *Virosa*] id est, venenata.

Vs. 59. *Castorea*] bibergeyl. *Eliadum*] Epirus habet equos celeritate praestantes, qui in Olympicis certaminibus ad Eliden vincere solebant. Putatur etiam hodie plurimum valere Albanos (sic enim Epirotas nunc vocant) in pugna equestri.

Vs. 60. *Continuo leges*] Locus communis. Deus, inquit, distribuit alia dona, alia commoda, alia beneficia aliis regionibus.

Vs. 61. *Quo tempore.*] Post diluvium.

Vs. 63. *Durum genus*] Finxerunt doctissimi homines genus humanum ex lapidibus reparatum esse, propterea quod, cum nulla bestia sit homine aerumnosior, possit tamen sustinere eum tantas calamitates [2b]).

Vs. 64. *Pingue solum.*] Tertium praeceptum, pingue solum principio veris est arandum, estque conclusio duorum locorum.

Vs. 68. *Arcturum.*] Ante sationem circa aequinoctium autumni, quando Arcturus oritur cosmice. Sic Aristoteles [2c]) inquit: Sub Arcturum est concubitus cervarum, id est, circa aequinoctium autumnale.

2b) propterea quod — calamitates.] sic scripsi; Ed. 1544. propterea quod cum nulla bestia sit homini aerumnosior, posse tamen sustinere eum tantas calamitates.

2c) Conf. Aristot. Hist. animal. V, 8. Ed. Schneider.

Vs. 69. *Frugibus herbae.*] id est, sero est arandum pingue solum, id est [3]), in vere, das nicht viel Unkraut darauff wachse. Sterile solum non saepe est arandum, ne exhalet et exsugatur [3a]) ille humor.

Vs. 71. *Alternis idem.*] Quartum praeceptum de intervallis concedendis solo. Adeo verum est etiam de rebus inanimatis. Quod caret alterna requie, durabile non est, quia, quando uno anno fuit vindemia seu messis uberior, tunc altero anno est tenuior, quamvis est exhausta. Illa omnia cum tam certo ordinata sint in natura, sunt testimonia ab aeterna aliqua mente condita esse et gubernari. *Novales.*] Novales hic generaliter significant agros, qui habuerunt vacationem. Alioqui in legibus vocantur agri recens facti ex incultis et horridioribus locis, New gereudt. *Tonsas*] scilicet, post messem.

Vs. 72. *Segnem campum*] id est, defatigatum. Aliqui tenacem exponunt. *Situ*] id est, squalore; est illa pinguedo, qua obducuntur res quiescentes.

Vs. 73. *Aut ubi* [4]] id est, aut qua cedas intervalla aut mutabis semina. *Mutato*] id est, post annum. *Flava farra*] Rocken. Triticum weytzen, quamquam est genus ad robum et siliginem.

Vs. 74. *Siliqua*] hulsen.

Vs. 75. *Viciae*] wicken. *Lupini*] feytbonen.

Vs. 77. *Urit*] id est, consumit humiditatem.

Vs. 84. *Saepe etiam*] Fiunt ignes in agris, vel ut aperiantur venarum meatus, vel ut exsudet inutilis humor.

Vs. 90. *Spiramenta*] id est, meatus. *Novas veniat*] id est, ut possit destillare udum latius in meatus terrae.

Vs. 93. *Boreae*] Spirante Borea, quando terra non est tecta nive, tunc pereunt sata.

Vs. 94. *Rastris*] id est, ligonibus.

Vs. 95. *Crates*] Egen.

Vs. 97. *Terga*] id est, humum.

Vs. 98. *Rursus in obliquum.*] id est, nach der lenge und breit.

Vs. 100. *Humida solstitia*] Quintum praeceptum de tempestatibus. *Humida solstitia*] id est, humidas aestates, scilicet ante florescentem segetem. Est antiquum dictum, quod tamen plerumque verum est, de solo pingui et humidiori siccitates non afferre caritatem annonae. Tale solum est Thuringicum, cui maxime nocent humiditates.

Vs. 101. *Hyberno pulvere*] id est, serena hyeme.

Vs. 102. *Moesia*] id est, Moesia non est foecundior quam nostrum solum, cum hyemes sunt sereni. Moesia olim Mysia, pars Phrygiae, unde Mysi primo vicini fuerunt Phrygibus. Iam tenent loca vicina Dacis, id est, den Walachen und Siebenburgern, ubi nunc Servia est. Ex illis locis in Germaniam venerunt, unde hodie quoque pars quaedam Meyssen vocatur.

Vs. 103. *Gargara*] Oppidum Phrygiae.

Vs. 104. *Quid dicam*] Sextum praeceptum de rigationibus agrorum.

Vs. 105. *Male pinguis*] id est sicci agri non arenosi soli.

Vs. 108. *Supercilio*] id est, ex colle aliquo et loco editiore. Hic mos rigandi praecipue apud nos in pratis servatur. Sunt autem facti alveoli, ut agri vel prata possint rigari, cum siccae fuerint tempestates, et rursus, si nimis humidae fuerint, educi.

Vs. 111. *Ne gravidis*] Septimum praeceptum, cavendum esse, ne culmi nimium luxurient, quia, quando sunt nimis magni culmi, tunc totam vim terrae consumunt, et aristae fiunt tenuiores.

Vs. 114. *Collectum humorem*] id est, deducit alveo humorem, qui influxit in agrum, ne strangulet segetes.

Vs. 118. *Nec tamen*] Octavum praeceptum de incommodis agrorum, sicut videtis hoc anno agros quasi industria perfossos esse a muribus. Estque locus communis de difficultate agriculturae et cultuum.

Vs. 120. *Intyba.*] Intybum, cichoreum, endivia eandem herbam significant, cuius magna admodum vis est in inflammationibus et febribus. Sed aliud quiddam est heliotropium seu solsequium, quod se cum sole circumvertit, et caeruleum florem habet. Illud heliotropium medici hodie vocant cichoreum, quod ipsum etiam in febribus adhiberi solet, et cognatam admodum naturam endiviae habet.

Vs. 121. *Umbra*] Hoc dicit propter intyba, quia folia reddunt magnam umbram.

---

3) pingue solum, id est,] sic scripsi; Ed. 1544. pingue. *Solum*] id est,

3a) exsugatur] sic scripsi; Ed. 1544. exsucatur.

4) *ubi*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *ibi*.

Vs. 123. *Acuens.*] Difficultas excitat hominum ingenia.

Vs. 124. *Veterno.*] id est, somno, quamquam alioqui significat somnolentiam quandam pestiferam.

Vs. 127. *In medium quaerebant.*] Talem communionem ferret natura, si omnes in medium laborarent. Nunc dissimiles causae quaerendi non patiuntur res esse ex aequo divisas.

Vs. 129. *Virus.*] id est, tunc pleraque coeperunt esse noxia, quae antea erant innoxia.

Vs. 133. *Ut varias.*] Omnia conando docilis solertia vincit. Item, Per varios usus artem experientia fecit. *Meditando*] id est, experiendo. Hic locus admonet nos, ut meminerimus artes non posse sine usu retineri. Nam sicut sunt partae experientia, ita retinentur usu et experientia.

Vs. 134. *Sulcis.*] Sulcus, die furche. Lyra, illa terra suggesta. Sulcus et lyra sunt correlativa.

Vs. 136. *Alnos*] Ellern.

Vs. 137. *Navita.*] Sicut illi, qui navigant ad novam terram, dirigunt cursum suum ad Oriona, quia est valde meridionalis.

Vs. 140. *Saltus*] id est, indago, das gehege.

Vs. 146. *Improbus*] id est, assiduus. Omnes homines otiosi sunt negligentiores, sicut Columella ex Platone hunc versum recitat: Homines nihil agendo male agere discunt.

Vs. 148 sq. *Sacrae sylvae.*] Genitivus est. Dicuntur autem sacrae sylvae ab aris, quae in illis erant. *Arbuta.*] Haynbot. Alius fructus est cornum. Arbos cornos dicitur, et non nascitur hic apud nos. Fructus eius, quem cornum appellant, habet intus liquorem et unum nucleum. Sed arbutum habet intus multos acinos et paleas. Cornum in myriopolis appellatur iugubeae, crescitque in Austria. Arbutum Graeci μιμαίκυλον vocant, Latini unedonem, et apud nos ubique crescit in vepribus. Et scribunt, quod inducat quandam ebrietatem, id quod in porcis cernere licet, quando eis obiicitur.

Vs. 151. *Rubigo.*] Melthau. Quando florescentibus segetibus decidunt frigidae, aut etiam pestilentes pruinae, quae absumunt et corrmpunt segetes, ut tanquam pulvisculus ex ipsis efficiatur. *Esset*] id est, absumeret.

Vs. 152. *Carduus*] Hic in genere carduus disteln significat.

Vs. 153. *Lappae*] Kletten. *Tribuli*] die hohen disteln, sic dicti, quod habeant tres cuspides.

Vs. 154. *Lolium*] Unkraut, gwalkraut. *Steriles avenae*] Doller haber. Quando triticum corrumpitur, tunc degenerat in quandam inanem avenam, et habet quidem spicas, sed nihil continentes. Graeci habent duo nomina: βρώμος significat den guten haber, αἰγίλωψ significat vitium segetum.

Vs. 155. *Quod nisi*] Nonum praeceptum de dividendis glebis.

Vs. 157. *Votisque*] significat nos in multis rebus falli, si humana sapientia volumus gubernare res.

Vs. 160. *Dicendum*] Decimum praeceptum de instrumentis.

Vs. 162. *Vomis*] Pflugschar.

Vs. 163. *Volventia*] id est, praecedentia. *Eleusinae*] id est, Cereris, quia in plaustris circumvehebatur Ceres circa segetes, sicut nunc quoque similes caeremoniae in quibusdam locis servantur. Et scribit Epiphanius quosdam suo tempore circumvexisse in plaustro statuam Beatae virginis, quod haud dubie hinc ortum est.

Vs. 164. *Tribula.*] Die flegel. *Traheae*] schlitten.

Vs. 165. *Suppellex*] Die flechten. *Celei*] Celeus fuit Atheniensis cultor agrorum.

Vs. 166. *Mystica vannus*] Mysticam dicit, quia in festo Bacchi est gestatus Priapus in vanno.

Vs. 170. *In burim*] Buris est illud lignum longum, cui inseritur stiva.

Vs. 171. *Temo*] Die deystel.

Vs. 172. *Binae aures*] Ligna illud cingunt dentale, quod continet vomerem.

Vs. 173. *Tilia*] Tilia, ein linde, inde Lipsia nomen habet. Nam Leipzig appellatione veteri Vandalica tilietum significat.

Vs. 178. *Area*] Undecimum praeceptum. *Area*] id est, horrea. *Cylindro*] Instrumentum longum et rotundum.

Vs. 179. *Creta*] Mit letten.

Vs. 180. *Fatiscat.*] Hiet.

Vs. 186. *Curculio*] Kornwurm. *Senectae*] Pulcherrimum epitheton.

Vs. 187. *Contemplator*] Prognosticon, quando bene floret nux, est signum fertilitatis.

Vs. 188. *In florem*] id est, si sunt copiosi flores.

Vs. 189. *Si superant*] scilicet folia.

Vs. 193. *Semina*] Undecimum praeceptum de seminibus liquefaciendis.

Vs. 194. *Et nitro prius.*] Nitrum prohibet putrefactionem. Ideo in locis calidis, ut in Italia, ubi propter nimium calorem, deinde propter pingue solum cito putrescunt fruges, solent perfundere nitro. Nam nitrum, ut dixi, prohibet putrefactionem. Et in Italia amplius biennio non durant fruges. *Amurca.*] Fecibus olei.

Vs. 196. *Properata*] id est, cocta.

Vs. 198. *Degenerare tamen.*] Subinde decrescunt semina. Natura enim deficit, sicut nequaquam dubium est veterum corpora fuisse grandiora, quam nunc sunt.

Vs. 199. *Sic omnia fatis*] Pulchrum epiphonema.

Vs. 200. *Ruere*] pro ruunt. Nam exclamationes efferuntur per infinitivos, qui debent resolvi in indicativos. Hic memineritis diligenter causas, quare mores hominum ruant in deterius. Sunt autem tres praecipuae. Prima est naturae infirmitas. Nam natura fit subinde infirmior, et quasi senescit. Secunda causa est furor diaboli, qui, cum postremus sit, maximus etiam est. Tertia causa sunt exempla.

Vs. 201. *Non aliter.*] scilicet ruunt. Similitudo est aptissima et pulcherrima. Hoc autem vult dicere: Res humanae ruunt; sed repugnandum est ruentibus. Est locus communis de infirmitate rerum humanarum subinde ruentium in deterius.

Vs. 204. *Praeterea*] Duodecimum praeceptum de observandis ortibus et occasibus siderum. *Sidera*] id est, ortus et occasus. Arcturus principio veris oritur achronice. Ergo principio autumni oritur cosmice, et postea heliace. Hoedi oriuntur cum ♈ cosmice.

Vs. 205. *Anguis.*] Hydram intelligit.

Vs. 207. *Abydi*] id est, Hellesponti, id est, sicut nautis opus est observare ortus et occasus siderum, sic vobis agricolis quoque opus est. *Ostriferi*] id est, ubi multae conchae sunt.

Vs. 208. *Libra diei* [5])] Syneresis; estque descriptio aequinoctii autumnalis, quod fit sole ingrediente in ♎. Et loquitur de satione autumnali.

Vs. 211. *Brumae*] Bruma significat ipsum diem solstitii hyberni; vult autem hoc dicere, nimis tempestivam sationem non esse bonam.

Vs. 212. *Cereale.*] Nam Ceres pingitur cum papavere, vel dicitur Cereale, quia veteres papavera miscebant panibus propter somnum conciliandum.

Vs. 215. *Vere fabis*] XIII. praeceptum de verna satione. *Medica*] Legumen simile lenti, vel exponamus pro lente.

Vs. 217. *Candidus auratis*] id est, quando ingreditur ♉ in Aprili. *Auratis*] Hoc dicit propter morem Romanum, quia cornua inaurabantur tauris, qui mactabantur in triumphis.

Vs. 218. *Canis occidit*] scilicet occasu heliaco, quia est vicinus Geminis. Sole ergo progresso in Tauro, obscurat praesentia eius Canem. Alii de occasu cosmico exponunt.

Vs. 219. *At si triticeam*] Redit ad autumnalem sationem.

Vs. 221. *Ante tibi*] Constructio est, Atlantides ante tibi abscondantur Eoae. Eoae regitur ab abscondantur, id est, Pleiades prius mane occidant. Loquitur autem de occasu cosmico Pleiadum, qui fit in Octobri.

Vs. 222. *Cnosia*] id est, Cretensis; coronam Ariadnes intelligit, quae fuit ex Creta. *Decedat*] id est, oriatur heliace.

Vs. 225. *Coepere*] id est, inchoaverunt sationem. *Maiae*] id est, ante occasum Pleiadum.

Vs. 226. *Vanis avenis* [6])] doller haber, vide supra.

Vs. 228. *Peleusiacae*] id est, Aegyptiacae.

Vs. 229. *Haud obscura cadens*] id est, occasus achronicus. *Mittet tibi signa Bootes* [7])] scilicet, quando occidit mense Novembri, quod tamen verum est illis, nobis non.

Vs. 230. *Sementem*] Sementis significat simpliciter ipsam sationem, non semen.

Vs. 231. *Idcirco*] Hoc, quod sequitur, est potius geographicum, quam astronomicum, quia est descriptio terrae, non coeli; estque decimum quartum praeceptum. *Partibus*] id est, gradibus. *Orbem*] id est, Zodiacum.

5) *diei*] sic Ed. 1544. h. l. in comment.; in textu autem (= Ed. Wagner.) *die*.

6) *avenis*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *aristis*.

7) *Mittet t. s. Bootes*] sic Ed. 1544. (= Ed. Wagner.) in textu; in hoc autem comment.: *Bootis det tibi signa*.

Vs. 232. *Regit.*] id est, propterea distributae sunt vices et rursus ordinati solis et reliquorum siderum, ut temperent nobis aerem, ut terra fiat foecunda.

Vs. 233. *Quarum*] Discrimen seu distinctio agrorum et locorum habitabilium et non habitabilium. Et causa, cur non possint[8]) quaedam loca habitari, tamen est a coelo. *Una*] id est, media.

Vs. 235. *Extremae*] id est, Zona arctica et antarctica. Zona arctica est ultra Norbeiam, ubi est Pilappia; altera antarctica nobis est incognita.

Vs. 237. *Duae*] id est, tropicus ♋ et tropicus ♑.

Vs. 240. *Mundus ut*] id est, nobis illa pars dicitur superior versus polum arcticum. *Arces Rhiphaeas* [9])] id est, montes. Veteres non intellexerunt per Rhiphaeos montes unum aliquem montem, sed illa loca surgentia, quae erant sublimiora quam reliqua. Et sic dicuntur a ῥιφή, id est, impetu, quia illi flatus boreales sunt vehementissimi.

Vs. 241. *Devexus*] Altera pars dicitur inferior versus polum antarcticum.

Vs. 242. *Hic*] id est, citra ursos.

Vs. 246. *Aequore tingui*] id est, nunquam occidentes.

Vs. 252. *Hinc*] id est, ex cognitione Zodiaci et aliarum stellarum ortu et occasu.

Vs. 254. *Marmor*] id est, mare sic dictum a candore.

Vs. 257. *Nec frustra*] XV. praeceptum.

Vs. 258. *Parem*] id est, distributum.

Vs. 263. *Acervis*] scilicet frumenti, id est, imponit frumenta vasculis, et illa signat.

Vs. 264. *Furcas*] in genere significant fulcra.

Vs. 265. *Amerina*] id est, saligna. Est quaedam salix flexibilis et tenax. *Retinacula*] id est, ligamenta.

Vs. 266. *Fiscina*] Reusen. *Rubea*] est etiam peculiaris species salicis.

Vs. 276. *Ipsa dies*] XVI. praeceptum. Hunc totum locum de discrimine dierum plane ex Hesiodo [10]) sumpsit poeta.

Vs. 277. *Quintam*] Hoc plane est superstitiosum; sed illa de diebus criticis habent rationem physicam, ut septimo die fiat crisis, quia tunc ☽ pervenit in contrarium signum, ut exempli gratia in novilunio fuit coniunctio ☽ in ♉, postea ☽ septimo die venit ♌, qui certe est alterius complexionis quam ♉. Ita ☽ semper septimo die venit in contrarium signum ei, in quo principio fuerat.

Vs. 278. *Eumenides*] id est, furiae. *Terra nefando*] id est, monstrosi partus sunt editi illo tempore.

Vs. 279. *Iapetumque*] Hoc nomen haud dubie a Iaphet habent.

Vs. 281. *Pelio Ossam*] Hic vocales o et o non sunt elidendi.

Vs. 284. *Septima post decimam*] Haec iterum habent rationem physicam. Sectae materies ante plenilunium facile putrescunt, quia multum habent humorem; sed post plenilunium non putrescunt, quia minus habent humoris.

Vs. 287. *Multa adeo*] XVII. praeceptum.

Vs. 288. *Sole novo*] id est, ante solis ortum, gegen den morgen.

Vs. 290. *Tondentur*] id est, secantur. *Deficit humor*] id est, nox semper est humida.

Vs. 292. *Inspicat*] id est, incidit.

Vs. 298. *Tostas*] id est, desiccatas.

Vs. 299. *Nudus ara*] XVIII. praeceptum de temporibus arationis, id est, priusquam venit horridior hyems, ara, vel ante gelu.

Vs. 300. *Parto*] In hyeme fruuntur istis suis opibus.

Vs. 302. *Genialis*] id est, laeta hyems.

Vs. 303. *Ceu pressae*] Pulcherrima similitudo, hyems est quasi portus animis occupatis.

Vs. 308. *Damas*] est quaedam species cognata catulis cervorum, non habent ita distinctos cornuum ramos, sicut cornua cervorum sunt, sed rami sunt cohaerentes.

Vs. 309. *Stuppea verbera*] id est, vincula facta ex lino. Nominat autem fundam balearem a Balearibus insulis, quae non longe ab Hispania sitae sunt, altera vocatur Maiorica, altera Minorica. Illarum insularum homines ita erant exercitati fundis, ut longe superarent omnes reliquas nationes. Et Strabo scribit pueris non datum esse cibum, priusquam certis temporibus se exercuissent funda.

Vs. 311. *Quid tempestates*] XIX. praeceptum de tempestatibus. Recitat autem multa signa tempestatum sive prognostica.

---

8) possint] Ed. 1544. possunt.

9) *Rhiphaeas*] sic Ed. 1544. in textu, in hoc comment.: *Riphaeos*; Ed. Wagner. *Rhipaeas*.

10) Hesiod. Opp. et Dies 802 sqq. ed. Goettling.

Vs. 313. *Imbriferum* [11]) *ver ruit*] Hic ambigo, an ruit sic exponi debeat, quod multi imbres ruant, an vero de vere inclinato et accedente ad aestatem, quod mihi magis placet.

Vs. 315. *Turguent*] wens geschosst hat.

Vs. 321. *Hyems*] id est, tempestas.

Vs. 322. *Saepe etiam*] Hic locus ad elocutionem pertinet, quia continet exempla grandia.

Vs. 326. *Diluit*] id est, madefacit.

Vs. 334. *Plangunt*] id est, stridunt.

Vs. 335. *Coeli menses*] id est, duodecim signa.

Vs. 336. *Frigida*] id est, observa ♄ et ☽, item ♉. Facit autem praecipue mentionem horum planetarum, quia positus eorum cient tempestates regularissime.

Vs. 339. *Operatus*] id est, sacrificans.

Vs. 342. *Umbrae*] id est, halitus gratiores.

Vs. 344. *Dilue*] id est, misce.

Vs. 346. *Ovantes*] id est, clamantes.

Vs. 351. *Atque haec*] Prognostica, quae magna ex parte sunt sumpta ex Arato.

Vs. 358. *Montibus audiri fragor*] Ante ventos, so rauschen die welde, quia venti coeperunt quidem moveri, sed nondum effuderunt se in illa humiliora loca. Est primum prognosticon.

Vs. 360. *Iam sibi*] id est, erunt magni venti.

Vs. 361. *Celeres mergi*] II. prognosticon, die teucher.

Vs. 363. *Fulicae*] die schwartzen teucher.

Vs. 365. *Saepe etiam stellas*] III. prognosticon. Stellae cadentes sunt halitus sicci distracti et inflammati, et aut multam materiam ventorum significant aut serenitatem.

Vs. 368. *Saepe levem*] IV. prognosticon.

Vs. 370. *At Boreae*] Contrarii venti significant maximas tempestates, sicut versus sonat:

Imber erit, Boream si quando provocat Auster.

Vs. 373. *Imprudentibus*] id est, non admonitis, id est, non nocet, quin prius admoneat.

Vs. 375. *Grues*] V. prognosticon. *Bucula*] VI. prognosticon.

Vs. 377. *Hirundo*] VII. prognosticon.

Vs. 381. *Arcus*] id est, Iris.

Vs. 382. *Exercitus*] id est, Corvi tunc crocitant clamosius, et maiori agmine volant. Hic obiter quaedam de natura corvi dicemus. In Psalmis [12]) fit mentio, quod Deus etiam corvorum pullos alat, qui dat escam pullis corvorum etc., ubi nobis pulchrum exemplum bonitatis Dei proponitur. Ita autem se res habet. Corvus posteaquam exclusit pullos, evolat ex nido, et eorum prorsus obliviscitur. Tanta est naturae corvi ἀστοργία. Et est pulchra imago malorum principum et gubernatorum, et pictura quaedam astorgorum. Interea cum sic deserit pullos, Deus ordinavit, ut in nido nascantur vermiculi, illis vermiculis interim aluntur pulli. Hoc exemplum proposuit nobis Psalmus, ut cogitemus de praesentia et bonitate Dei, qui, cum illam foedam avem desertam a parentibus alat, nobis quoque et ecclesiae suae non defuturus sit, sicut et Christus inquit [13]): Qui passeres alit, multo magis vos alet.

Vs. 383. *Iam varias*] Aliud prognosticon generale ab avibus, quarum crebrae lavationes pluviam significant. *Asia circum*] Etymologiam Asiae non scio, quamquam in Nicandro praelegendo cum forte occurrisset vocabulum ἄσιν [14]), dixerit Asiam limosam exponi debere, quia sit fertilis terra; atque id probabat per vocabulum ἄσιν [14]), quod limum significat, puto esse a proprio sic dictum, quia olim primus aditus Asiae dicebatur Asia. *Africa*, id est, calida, aestuosa, sine frigore. *Europa,* id est, caliginosa.

Vs. 392. *Fungos*] id est, quando circa lychnos sunt vapores, qui eos extingunt, tunc signum est tempestatis, quia aer densatur, et nubilae partes seu vapores sparguntur in aere. *Concrescere,*] id est, videbis vapores densari circa lychnos.

Vs. 393. *Nec minus*] Signa serenitatis.

Vs. 396. *Obnoxia*] id est, occultata.

Vs. 397. *Tenuia*] Puto esse Syneresin. *Vellera lanae*] Quando nubes rarescunt, et praebent sive edunt quandam speciem vellerum lanae, tunc plerumque significant ventos, qui tamen serenitatem afferunt.

Vs. 399. *Halcyones* [14a])] Nos non habemus Halcyones; est enim marina avis, et habet no-

11) *Imbriferum*] sic Ed. Wagner.; Ed. 1544. *Hymbriferum.*

12) Psalm. 147, 9.

13) Conf. Matth. 10, 29. 31. Luc. 12, 6 sq.

14) ἄσιν] sic scripsi; Ed. 1544. ἀσίν.

14a) *Halcyones*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *alcyones.*

men ab ἅλς, id est, mare, et κυεῖν [15]) parere, quia nidificat in scopulis maris, et quando mare solet esse saevissimum, videlicet circa brumam, tunc excludit suos pullos. Et propter istum partum mare est tranquillum. Deinde etiam est talis natura Halcyonum, ut extincto altero alter etiam moriatur. Item quando maritus, qui Ceix dicitur, iam senuit, neque amplius volare potest, tunc femella eum gestat aquatum ad dulces aquas, et postea rursus in nidum gestat. In Siculo mari dicuntur esse plurimi. Vos autem diligenter naturam huius aviculae memineritis, quia est pulcherrima imago ecclesiae, quae parit in mari, id est, in mediis procellis et fluctibus rerum humanarum. Et tamen mare cogitur esse tranquillum, et praebere aliquem locum ecclesiae. Item sicut femella maritum gestat aquatum ad dulces aquas: sic ecclesia quoque debet reverentiam et pabulum suis doctoribus. *Thetidi*] id est, mari.

Vs. 401. *Ima petunt*] id est, quando subsidunt nebulae.

Vs. 404. *Nisus*] id est, Nisi sublime volantes serenitatem significant.

Vs. 405. *Scylla*] id est, Cassita sic dicta a casside; alauda est nomen vetus; dicitur etiam galerita.

Vs. 414. *Revisere nidos.*] Corvi quando redeunt ad suos nidos, tunc signum est serenitatis.

V. 417. *Mobilis humor*] Reddit rationem, quia inquit: Aeris qualitas mutata afficit etiam animantium corpora, id quod verum est. Videmus etiam turbidum aerem etiam afficere animantium corpora segniora, deinde serenum alacriora, sicut etiam videtis in podagricis et aliis aegrotis, qui, quando tempestates futurae sunt, statim sentiunt maximos dolores, quia tunc humores mutantur.

Vs. 424. *Si vero*] Prognostica a ☉ et ☽, id est, ex sole et luna melius poteris praedicere tempestates.

Vs. 427. *Luna revertentes*] Quando ☽ primum prodit a coitu, si cornua sunt atra, tunc pluvia futura est; si rubent, venti sequuntur, quia per halitus sicciores et rariores cornua apparent rubra, per densiores atra. Si vero candida fuerint, tunc serenitas futura est.

15) κυεῖν] sic scripsi; Ed. 1544. κύαν.

Vs. 432. *Sin ortu in quarto* [16])] A quarto die usque ad plenilunium manet plerumque similis tempestas.

Vs. 434. *Nascentur ab illo*] Hoc plerumque verum est, si non incidant insignes coniunctiones.

Vs. 437. *Glauco et Panopeae*] Sunt marini Dii.

Vs. 438. *Sol quoque*] Quando mane sol est maculosus, tunc significat pluviam.

Vs. 441. *Variaverit*] Quando ☉ est maculosus.

Vs. 444. *Sinister*] id est, noxius.

Vs. 446. *Pallida*] id est, tunc etiam futura est larga pluvia.

Vs. 463. *Solem quis*] Amplificatio, possunt fieri prognostica non tantum praesentium tempestatum, sed etiam aliarum mutationum, id quod eventus eclipsium testantur. Loquitur etiam hic de bellis, quia ipsius aetas incidit in illa miserrima bella civilia. Et fuit quadragenarius fere, cum bellum inter Caesarem et Pompeium gestum est. Vidit etiam bellum inter Antonios et Brutos, item inter Antonium et Caesarem Augustum. Tandem rursus vidit pacatam patriam, et mortuus est [17]).

Vs. 466. *Caesare*] id est, ante mortem Caesaris.

Vs. 470. *Obscenique canes*] id est, fuerunt multa prognostica. *Importunaeque*] id est, non suo tempore volantes.

Vs. 471. *Cyclopum*] id est, Aetna praeter solitum eiecit flammas, sicut anno praeterito totum fere oppidum Puteoli periit terrae motu, et accensum est.

Vs. 475. *Alpes*] Quandocunque fuerunt terrae motus Alpium, tunc plerumque secutae sunt horribiles clades.

Vs. 477. *Simulachra*] id est, spectra.

Vs. 479. *Infandum*] id est, horribiliter. *Sstu nt*] Neutra.

Vs. 482. *Fluviorum*] Tribrachus. *Eridanus*] id est, Pagus exundavit, et secum rapuit sylvas et pagos.

Vs. 484. *Fibrae*] Antiquo more inspiciebant fibras [18]) pecudum.

16) *ortu in quarto*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *ortu quarto.*

17) Conf. Virgilii vita per annos digesta, in Ed. Wagner. Vol. I. p. CVII sqq.

18) fibras] in Ed. 1544. deest.

Vs. 486. *Lupis*] Sicut ante annum auditi sunt ululatus luporum in Weissenfels, qui haud dubie mortem ducis Sergii praedixerunt.

Vs. 487. *Coelo sereno*] Sicut in auspiciis regis Galliae tonuit sereno coelo, quid significaverit, eventus ostenderunt.

Vs. 488. *Cometae*] Sicut nos per aliquot annos conspeximus.

Vs. 490. *Philippi*] Civitas in Thessalia.

Vs. 492. *Haemi* [18a])] Montis Thraciae.

Vs. 494. *Molitus*] id est, vertens.

Vs. 495. *Exesa*] id est, corrosa.

Vs. 497. *Grandiosa ossa*] Significat paulatim decrescere animantium corpora, sicut certe verum est.

18a) *Haemi*] sic Ed. Wagner.; Ed. 1544. *Aemi.*

Vs. 498. *Dii patrii*] Precatio, quia ille liber est eo tempore, quo gessit bellum Augustus cum Antonio.

Vs. 500. *Hunc*] id est, Augustum.

Vs. 504. *Caesar*] id est, o Auguste, est pulcherrima querela de temporibus et de corruptis moribus, et nunc iustius possemus queri nostra tempora.

Vs. 507. *Colonis*] id est, omnia turbantur[19]) bellis

Vs. 512. *Carceribus*] id est, metis. Estque pulcherrima descriptio et similitudo commoti populi.

Continet ergo primus liber 1. utilem doctrinam de ortibus et occasibus siderum; 2. de naturis herbarum et frugum; 3. de prognosticis tempestatum; 4. locos communes utiles ad copiam, et qui sunt exempla amplificationum.

19) turbantur] sic scripsi; Ed. 1544. tuebantur.

In librum II. Georgicon Virgilii.

In secundo libro erunt nobis praecipue observandae arborum appellationes et descriptiones. Et haec doctrina praecipue pertinet ad medicos, sicut pulcherrime describit pomum medicum citrinum, cui pomo citrino sunt cognata poma limonia. Et hoc pomum citrinum est praestantissimum remedium contra venena, sicut Athenaeus scribit se audivisse ex suo quodam cive, qui fuit praefectus Aegypti, mirabilem historiam. Cum essent puniendi quidam sontes, et illi ducerentur ad aspides, mulier quaedam dedit eis recreandi causa de citrino; cum autem obiicerentur aspidibus, venenum non fuit efficax, et morsus aspidum nihil nocuerunt eis. Praefectus seu iudex attonitus, putavit eos insontes esse. Et iterum quaesivit ex eis de facinore; illi eadem confessi sunt. Postea quaesivit, num aliquid comedissent; illi responderunt sibi datum esse pauxillum de pomo citrino. Hoc audiens postridie rursus produxit ad supplicium, et alteri dedit de citrino, alteri vero non. Quare cum iterum obiicerentur aspidibus, ille, qui comederat de citrino, evasit incolumis, alter extinctus est. Tanta est vis huius pomi adversus venena, et huiusmodi descriptiones aliquot habebimus.

Vs. 1. *Hactenus*] Eclipsis, scilicet cecini.

Vs. 2. *Te Bacche*] id est, Dicam etiam aliquid de vineis.

Vs. 3. *Tarde crescentis*] Olea durat multa secula, sicut Plinius [20]), dicit se vidisse oleas satas manu Scipionis, das ist mehr denn 200 iar. *Virgulta*] Kleyn steutleyn, generale est.

Vs. 4. *Lenaee*] Bacche, qui Lenaeus dicitur, a ληνός, id est, torcular.

Vs. 5. *Gravidus autumno*] Hic videtis esse Iambum, quem non recipit versus heroicus; interdum tamen usi sunt, inprimis Graeci poetae. Et versus isti dicuntur μείουροι [21]), id est, mutilati.

Vs. 6. *Spumat plenis*] id est, te dante, tuo beneficio, sicut debemus statuere haec dona nobis divino beneficio contingere.

Vs. 8. *Direptis* [22])] id est, depositis. Aliqui legunt *diremptis.*

Vs. 9. *Principio arboribus*] De ortu arborum plane sequitur Theophrastum [23]), cuius descriptiones voluit complecti carmine, quia delectatus et illis descriptionibus rerum nascentium in

20) Plin. Hist. Nat. XVI, c. 85. Ed. Franz. (c. 44. Editt. antiq.).

21) *μείουροι* (s. *μύουροι*)] sic scripsi; Ed. 1544. male: *μιούροι.*

22) *Direptis*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *Dereptis.*

23) Theophrast. Hist. Plant. II, 1.

natura. Recenset autem sex modos ortus arborum.

Vs. 10. *Namque aliae*] Prima species: quaedam sponte nascuntur.

Vs. 12. *Molle siler*] die kleinen ryetleyn. Siler proprie significat parvam salicem. Alioqui siler montanum vulgo vocatur in myriopoliis seseli, feldtkummel. Simile est foeniculo, sed non est serpillum. *Genistae*[24])] pfrymen, Graeci σπάρτον vocant, da man die feygen Korb aus macht, et funes nauticos.

Vs. 13. *Glauca*] grau und blau, a γλαῦξ, id est, noctua.

Vs. 14. *Pars autem*] Secunda species: quaedam oriuntur seu nascuntur ex semine.

Vs. 16. *Aesculus*] Eyche, est species glandiferarum seu quercuum.

Vs. 17. *Pullulat*] Tertia species: quaedam ex radicibus proveniunt.

Vs. 22. *Sunt alii*] Artificiales modi.

Vs. 23. *Hic plantas*] Quarta species: quaedam arbores seruntur plantis.

Vs. 25. *Vallos*] id est, interdum seritur planta, interdum truncus.

Vs. 26. *Sylvarumque aliae*] Quintus modus: quaedam crescunt propagatione, ut vitis crescit, et incurvatur, in terramque deprimitur, et illa pars incurvata rursus erumpit.

Vs. 27. *Sua terra*] Man führts nit weyt.

Vs. 28. *Nil radicis*] Sextus modus: hortulanus decerpit frondem et serit. *Putator*] der gertner. Putare est purgare vites et resecare inutilia.

Vs. 30. *Quin et*] Septimus modus: insitio vel inoculatio.

Vs. 34. *Ferre pirum*] maxime per inoculationem. *Corna*] Vide superius[25]).

Vs. 35. *Generatim*] id est, per singulas species. Non usurpat hic dialectice vocabulum generis.

Vs. 36. *Fructusque feros*] Sententiosum, quia cultura reddit omnes fructus meliores.

Vs. 37. *Ismara*] Montem Thraciae.

Vs. 38. *Taburnum*] Montem Apuliae.

Vs. 39. *Tuque ades*] Apostrophe ad Maecenatem, ornata metaphora.

24) *Genistae*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *genestae*.

25) Vide Mel. annotat. ad Georg. I, 148. ad voc. *arbuta*.

Vs. 44. *Littoris oram*] id est, naviges mecum, non procul a littore provehar.

Vs. 45. *In manibus*] id est, erunt vicinae.

Vs. 47. *Sponte sua*] Secundum caput, et plane secutus est ordinem Theophrasti.

Vs. 49. *Quippe solo*] id est, inest eis vis crescendi per sese.

Vs. 51. *Exuerint*] Exemplo potest esse pinus nostra; hortensis enim habet nucleos, sylvestris non. *Cultuque frequenti*] Quae antea fuerint steriles, tunc fiunt meliores.

Vs. 56. *Crescentique*] id est, antequam serantur.

Vs. 61. *Scilicet*] Magna cura opus est, cum transferuntur arbores.

Vs. 63. *Truncis*] scilicet insitae.

Vs. 64. *Myrtus*] similis myrtilo, dem heydelber.

Vs. 66. *Fraxinus*] Eschen. *Herculeae*] id est, populus.

Vs. 68. *Abies*] danne.

Vs. 69. *Inseritur vero*] Nucem inserimus in arbutum. Nostri rustici arbuta appellant arskretz, propterea quod paleae intestina offendant.

Vs. 70. *Platani*] nos non habemus. Est arbor similis tiliae, et est Graeca arbor, nec in Italia quidem crescit.

Vs. 71. *Fagos*[26])] buchen. Sunt quaedam cognationes arborum et συμπαθίαι et etiam discordiae. *Ornus*] Hagenbuch. *Ulmis*] id est, ulmus accipit unam ex glandiferis.

Vs. 73. *Nec modus*] Tertium caput, id est, differunt insitio et inoculatio. Interdum surculis inseritur, interdum semen. Quando inseritur surculus in gemmam, so heysts insitio; quando vero semen, tunc est inoculatio. Graecis ἐγκέντρισις est insitio, ἐνοφθαλμισμὸς inoculatio.

Vs. 74. *Nam qua*] Inoculatio. *Gemmae*] id est, oculi.

Vs. 77. *Libro*] id est, cortici. *Udo*] id est, scinditur oculus.

Vs. 78. *Aut rursum*] Haec est insitio.

Vs. 83. *Praeterea*] Quartum caput, singulae species habent varias differentias.

Vs. 84. *Loto*] Sandelbaum.

26) *Fagos*] sic Ed. 1541.; Ed. Wagner. *fagus*.

Vs. 86. *Orchades* [27])] habent formam testiculi.

Vs. 87. *Alcinoi*] id est, regis Phaeacum, quae nunc vocatur Corcyra, et est sub ditione Venetorum.

Vs. 88. *Crustumiis Syriisque*] A loco. *Volemi*] id est, grande pirum implens volam, sic dictum a magnitudine.

Vs. 89. *Vindemia*] Species vini a locis enumerat.

Vs. 93. *Utilior passo*] zu gesottenem weyn. Passum est antiquum vocabulum, nec venit a *pando*, nec a *patior*. Significat autem desiccatum et rugosum, sicut dicebant passi senes, passa cerasa. Et Plinius inquit: Recentia cerasa solvunt alvum, passa adstringunt, id quod manifestum est. *Lageos*] Nomen vitis, generis feminini.

Vs. 96. *Rhaetica*] Feltliner; est Germanicum vinum, cui vino primas tribuit Augustus, quia videtur mihi admodum amicum esse stomacho. Multum enim nutrit corpora et minus accendit. Laudat autem prae aliis Virgilius propter Augustum, qui multum eo est usus, et semper per coenam bibit sextarium, ein nossel.

Vs. 96. *Falernis*] id est, vinum in Campania.

Vs. 97. *Amineae*] in Apulia.

Vs. 102. *Bumaste*] id est, grandibus uberibus. Nomen factum est a βοῦ, quod significat magnum in compositione, et μασθός, id est, uber.

Vs. 109. *Nec vero*] Quintum caput: aliae terrae alia gignunt.

Vs. 110. *Alni*] ellern.

Vs. 112. *Apertos*] das an der sonnen ligt.

Vs. 114. *Domitum*] id est, excultum, aratum.

Vs. 115. *Gelonos*] id est, orientalia loca. Aliae arbores nascuntur in aliis locis.

Vs. 117. *Hebenum*] Ego intelligo guaiacum, quo utuntur ad curationem morbi Gallici, quia guaiaci descriptio sola convenit cum descriptione hebeni. *Solis est thurea*] Soli Sabaei habent thus, sicut soli Iudaei habebant balsama. Dedit autem Deus Iudaeis balsamum, quia erant milites, et habebant mandatum militiae. Nam balsamum est efficacissima res in omni curatione, et inprimis in curatione vulnerum, est efficacissimum remedium. Nomen factum est a Baal, id est, Dominus, et Schemen, id est, unguentum, id est, Dominus unguenti, praestantissimum unguentum.

Vs. 119. *Acanthi*] arborem significat.

Vs. 120. *Molli lana*] da die seyde an beumen wechsst, sicut apud nos fungi in arboribus proveniunt.

Vs. 126. *Media*] Est ille ipse locus, quem nunc tenet Sophi, rex Persarum. Et est hoc ipsum regnum, quod erat regnum Parthorum tempore Augusti, quod Chaldaeam attingit. Et sicut eo tempore Parthi fuerunt bellicosissimi: ita nunc sub Sophi sunt robustissimae et fortissimae gentes. *Tristes succos*] id est, varia venena, id est, sicut habet varia venena, ita etiam habet remedia contra venena. *Tardumque saporem*] id est, subacidum, vel plane acidum, denn es ist scherpffer denn ein essig.

Vs. 127. *Felicis mali*] id est, citrini. Citrinum, pomum aureum, limonium, sunt tres cognatae species, et promiscue vocant χρυσομῆλα. *Felicis mali*] id est, pomi citrini, quod est rugosum pomum, propemodum cancellatum et sulcatum, ut ita dicam, lenger denn ein spann. *Felicis*] quia habet mirabilem vim contra venena, sicut scribitur de quodam tyranno Pontico, qui solitus est invitare ad se suos cives, atque ita vocatis praebere venenum, sicut solent tyranni prae se ferre comitatem, et postea tollere homines, tanquam inescatos suis blanditiis. Hoc postquam senserunt cives, quos invitabat, nec tamen auderent detrectare autoritatem tyranni, sumpserunt prius pauxillum conditi citrinitati, et venenum non fuit efficax. Simile exemplum proxime audivistis [28]), de quo Athenaeus scribit, etc.

Vs. 129. *Innoxia verba*] Coniungit incantationes et venena.

Vs. 130. *Agit*] id est, pellit.

Vs. 131. *Simillima lauro*] Sicut ego vidi Augustae [29]) apud Fuccarum arborem, quae ferebat poma aurea. Et illa admodum erat vicina lauro. Scitis autem limonium, pomum aureum esse, et citrinum habere tres cognatas species. Limo-

27) *Orchades*] sic Ed. Wagner.; Ed. 1544. in textu *Orchites*, in hoc comment. corrupte: *Oreliades*.

28) Scil. in Prolegomenis ad hunc lib. II. Georg., vide supra p. 377.

29) Augustae Vindelicorum.

nium a viriditate nomen habet, quia est viride nonnihil.

Vs. 133. *Labentia*] die bletter stehen fest.

Vs. 135. *Ora fovent*] id est, odore Medi pellunt venena, Theophrastus inquit, senes ali illo odore; et mihi non dubium est, quin in istis locis, ubi crescit pomum citrinum, habeat magnam vim, sicut mihi civis quidam Norbergensis tria poma citrina misit, et tanta erat vis, ut non possem ferre odorem in meo cubiculo. Debetis ergo praecipue observare in secundo libro descriptionem pomi citrini.

Vs. 136. *Sed neque*] Inserit egressionem delectationis et ornandi causa. Continet autem hic locus encomium Italiae, quam poeta praefert omnibus aliis regionibus. Et Plinius etiam laudat Italiam et littoralem Hispaniam prae omnibus regionibus noti orbis. Et existimo in Europa nihil esse praestantius Italia. Sed tamen Syria tam praestans fuit, imo praestantior, quia habuit omnia, quae habet Italia, et habet fructus, quos Italia non habet. Habet enim dactylos, item balsamum, quo[30]) Italia caret.

Vs. 137. *Ganges*] Flumen Indicum. *Hermus*] Flumen Asiae.

Vs. 138. *Laudibus Italiae*] Graeca constructio.

Vs. 139. *Panchaia*] id est, Arabia. *Thuriferis arenis*] id est, ubi est thus, quae habet solum, in quo nascuntur arbores gignentes thus. *Arenis*] id est, solo. Thus est liquor seu gummi destillans ex arboribus, et est gratissimi odoris. Quod nos habemus, potius existimo esse galbanum quam thus.

Vs. 140. *Haec loca*] id est, Italia non habet monstra neque tam multa venena sicut reliquae regiones. Aliae regiones etiamsi habent insignes commendationes, tamen Italia hoc nomine vincit, quod non habet venenatas bestias. *Spirantes*] sicut in Colchica. Illa sunt ex fabulis sumpta.

Vs. 141. *Dentibus hydri*] Quando semel est facta mutatio regnorum, tunc plerumque oritur seditio: ubi seditiosi inter se dimicantes, mutuis pereunt vulneribus, ut quando interfectus est C. Caesar, mota est seditio, ubi perierunt, qui moverant eam. Item mortuo Alexandro Magno principes inter se conflictati sunt, et paene omnes interfecti praeter unum atque alterum. Hoc significatum est ista fabula.

Vs. 142. *Seges horruit*] id est, nec Italia genuit armatos viros, sicut Thebana regio, id est, ipsa terra est cultior, nec habet feras tam crudeles. Item ipsa ingenia sunt mitiora quam in aliis locis, id quod verum est. Nam ingenia respondent naturis locorum.

Vs. 143. *Humor*] id est, vinum a Massico monte.

Vs. 145. *Bellator equus*] Italia habet arduos et celsos equos, praesertim illa posterior Italia, ut Campania.

Vs. 146. *Hinc albi*] Apostrophe ad montem.

Vs. 149. *Ver assiduum*] id est, temperatum ver, non ita habens saevas hyemes.

Vs. 151. *Tigres*] id est, Italia non habet saevas bestias sicut Germania. Nam habet admodum parum veneni. Ita si quae sunt venena in Italia, non tamen ita sunt acria, ut in aliis locis calidioribus.

Vs. 152. *Aconita*] Wolfswurtz, quia, quando lupi vescuntur, tunc moriuntur. Necat etiam hominem, nisi inveniat aliud venenum, cum quo dimicet. Adeo mirabilis natura est huius herbae, vide Plinium libro 27. cap. 2. A rupe sic dicitur.

Vs. 153. *Immensos orbes*] id est, aspidas. Sicut certe nostri etiam serpentes sunt venenati, id quod experientia testatur. Sed tamen venenum non ita est efficax, quin curari possit, si statim adhibeatur remedium.

Vs. 155. *Adde tot*] id est, nulla regio est ita ornata urbibus ut Italia. Item est pulcherrima peninsula, et habet figuram pedis humani. Illa prima pars, scilicet femur, est amplior, videlicet illa pars Italiae, quae est propior Alpibus, et dicitur Longobardia, postea rursus attenuatur, et deinde iterum fit amplior, tandem rarior. Quidam etiam dixerunt habere figuram querni folii. Scitis ad Alpes esse continentem, postea est quasi Chersonesus, et alluitur ex una parte mari Adriatico seu supero, videlicet quod est inter Graeciam et Italiam. Ex altera parte alluitur mari infero, quod est inter Italiam et Hispaniam, et vocatur Tyrrhenum, quia primum dominati sunt in Italia Tyrrheni, et maximam partem tenuerunt. Inde etiam existimo vocabulum *Tyrannus* derivari.

30) quo] sic scripsi; Ed. 1544. uod.

Vs. 158. *An memorem*] quasi diceret: Magna commoditas est habere utrinque mare.

Vs. 159. *Lari lacus*] non procul a Mediolano.

Vs. 161. *Lucrinoque*] Lucrinus est quidam lacus in Campania, ein naturlicher see. Cum autem mare influeret in istum lacum, corrumpebat illa salsa aqua maris naturam huius lacus. Ideo C. Caesar addidit aggerem, quo exclusit mare, ne influeret in istum lacum.

Vs. 163. *Unda Iulia*] quia Iulius Caesar fecit aggerem [31]).

Vs. 164. *Avernis*] id est, aversum est mare a Lucrino ad Avernum.

Vs. 165. *Haec eadem*] Es hat auch berckwerck.

Vs. 167. *Genus acre virum*] Habet etiam viros fortes, sicut adhuc hodie habet viros fortes, si exerceantur. Sic fuerunt apud Maximilianum duo fortissimi duces Italici, duo Columnenses, quorum opera in bellis maximis saepe usus est. Et alteri, qui Marcus dictus est, dono dedit Maximilianus argenteam panopliam.

Vs. 168. *Verutos*] id est, armatos verubus.

Vs. 169. *Extulit*] id est, ista terra genuit praestantissimos duces, id quod verum est.

Vs. 171. *Qui nunc extremis*] quia hoc carmen scriptum est, quando Augustus gessit bellum cum Antonio in Aegypto, et occupavit Aegyptum, quod XII. anno post interfectum Caesarem accidit.

Vs. 172. *Indum*] Hyperbole quaedam, quia Augustus nunquam pervenit ad Indos.

Vs. 174. *Laudis et artis*] id est, describo agriculturam, quae est vetustissima et laudatissima artium, et minimum habet sordium, plurimum vero philosophiae; et primi hominum potius fuerunt dediti agriculturae, quam aliis rebus. Imo reges etiam laudati sunt propter agriculturam, sicut Xenophon laudat Cyrum, quod coluerit hortos suos. Item extant Constantini libri de agricultura.

Vs. 176. *Ascraeum*] id est, Hesiodicum.

Vs. 177. *Nunc locus*] Sextum caput. Et hoc nihil admodum habet praecipui. Tantum vocabula quaedam memineritis. Dicit terras differre, alias esse pingues, alias tenues. Est rusticum hoc praeceptum. *Nunc locus*] id est, nunc dicendum est de naturis locorum.

Vs. 178. *Natura ferendis*] id est, quid possint gignere.

Vs. 179. *Difficiles*] Primum describit loca confragosa et saxea, ut sunt Hassiaca.

Vs. 180. *Argilla*] Letten.

Vs. 181. *Vivacis olivae*] id est, ibi proveniunt oleae.

Vs. 184. *Uligine*] id est, humore dulci, sicut in Thuringia est dulcis et pinguis humor.

Vs. 185. *Frequens herbis*] id est, da das gras dick stehet. *Ubere*] id est, pinguedine.

Vs. 186. *Convalle*] In eyner aue, quia ibi distillat et defluit optimus humor et subsidens irrigat agros.

Vs. 188. *Editus austro*] id est, expositus meridiei. Loca exposita meridiei sunt foecundiora quam illa septentrionalia.

Vs. 189. *Filicem*] Hic filicem generaliter intelligit pro omnibus herbis sponte nascentibus.

Vs. 190. *Hic tibi*] Pingues et dulces terrae sunt uberiores et fertiliores quam tenuiores, sicut Thuringia est multo foecundior, quam haec nostra loca. Item pecudes Thuringicae sunt maiores nostris, quia in Thuringia sunt plura gramina, et etiam dulciora. Hic vero gramina sunt hispida, et declinant a dulcedine, degenerantque quasi in iuncos.

Vs. 191. *Sufficiet*] id est, suppeditabit, active.

Vs. 192. *Pateris libamus*] Omnes gentes habuerunt libationes; proprie autem libatio significat fundere vinum vel potum aliquem in sacrificiis. *Qualem*] id est, in loco pingui et dulci nascitur bonum vinum, quale est, quo utimur in libatione.

Vs. 193. *Tyrrhenus*] id est, tibicen. Nam Romani [32]) sumpserunt morem tibiarum ab Hetruscis. Fuerunt autem Tyrrheni celebrata gens, qui hodie Hetrusci dicuntur, et quondam late dominabantur. Et ille locus, ubi nunc est Florentia, vocatur Hetruria vel Tyrrhenia. Existimo autem Tyrrhenum dici a Thiras [33]), filio Iaphet.

Vs. 194. *Pandis*] id est, patulis.

---

31) Conf. Sueton. vita Iulii Caesaris, c. 39.

32) Romani] Ed. 1544. mendo typogr.: Romam.

33) Thiras] sic scripsi (= Genes. 10, 2.); Ed. 1544. Tyrhan.

Vs. 195. *Sin armenta*] Sicut Phrysia et Hollandia habent multa pascua, et non multum agrorum. Extra Thuringiam habet multum agrorum et pauca prata.

Vs. 196. *Urentes culta*] Pulchra descriptio: capellae laedunt arbores non tantum lacerando, sed urendo. Nam arbores ustae halitu caprarum moriuntur et pereunt, quia caprae perpetua febri laborant. Ideo etiam aluntur in locis dumosis et campestribus, ubi non sunt cultae arbores ut in Hassia.

Vs. 197. *Tarenti*] id est, in illis locis sunt bona pascua. *Saturi*] id est, pinguis.

Vs. 198. *Infelix Mantua*] Propter bellum civile, quia Augustus distribuit agros Mantuanos suis militibus, ut in prima Ecloga videre licet.

Vs. 199. *Cygnos*] Habet multos cygnos in Myntio flumine.

Vs. 203. *Nigra*] Nigrum solum est praestantissimum, quod et secundum Homerum est. Thuringicum est nigrum, Misnicum rubrum et pulverulentum, sicut circa Lipsiam. Prima bonitas et praestantia est nigri soli, secunda rubri, tertia candidi vel pallidi.

Vs. 204. *Putre*] id est, non tenax, non lentum, sed quod facile scindi et frangi potest. Tale est circa Wormatiam, quod comparatur Longobardico. Thuringicum est tenacius, quod necesse est saepe confringi cylindris.

Vs. 206. *Plaustra*] scilicet in messe.

Vs. 207. *Devexit arator*] Novalis est bona, neugereudt, quia solum etiam amat suam quietem.

Vs. 212. *Nam ieiuna quidem*] Sicut est Vitenbergense solum, sandt und erden, quando arenae est admixtum pauxillum terrae. Et arenosa terra facile quidem colitur, sed non est foecunda. *Glarea*] Circa Bambergam et Heidelbergam etiam est arenosum solum, sed tamen ibi est felicior glarea, quam hic circa Vitenbergam.

Vs. 213. *Casias*] Glarea est apta hortis, sicut Bamberga et Heidelberga habent amoenissimos hortos.

Vs. 214. *Tophus*] id est, lapis cavernosus. *Chelydris*] id est, serpentibus.

Vs. 215. *Creta*] id est, Creta et loca confragosa non sunt aptae culturae, sed alunt multos serpentes.

Vs. 217. *Exhalat nebulam*] Conclusio. Illa est optima, quae est pinguis, halituosa, dulcis. Non dubitate, quin corpora conveniant cum naturis terrarum, sicut corpora in Thuringia sunt grandiora quam hic, quia hic sunt tenues, salsi, et amari halitus, sicut etiam terra est, ideo corpora sunt rarefacta, macra et tenuia.

Vs. 220. *Scabie*] id est, vomer non statim concipit rubiginem.

Vs. 225. *Clanius*] Qui saepe exundans nocet acerris.

Vs. 226. *Nunc quo quamque*] Septimum praeceptum. Quando facitis scrobem in solo Lipsico et nostro, tunc non potestis implere foveam effossa terra, id quod signum est rarae terrae. In Thuringia autem impletâ fossâ, terra etiam est reliqua, quod significat terram esse densiorem et pleniorem.

Vs. 228. *Altera frumentis*] id est, densa. *Altera*] id est, rara.

Vs. 231. *Puteum*] id est, scrobem. Si superest multum terrae impletâ fossâ, tunc terra est densa.

Vs. 232. *Aequabis*] id est, calcato pedibus.

Vs. 234. *Uber*] id est, solum. *Negabunt*] id est, si terra erit reliqua, impletâ fossâ.

Vs. 240. *Sua nomina*] Frumenta et vina degenerant in aliam speciem, ut quando seritis hic in arena triticum, tunc tertio anno fit robus. Econtra quando seritis in Thuringia robum, tunc 3. anno fit triticum. Ita vina in alio solo degenerant. Credo etiam ingenia et corpora hominum aliis locis degenerare, sicut illa pars Italiae, quae dicitur Longobardia, habet robusta et procera corpora, quia Longobardi haud dubie sunt Saxones, tamen non est tale robur et proceritas, qualis olim fuit. Longobardia olim fuit circa Madeburgum et Halas, etc.

Vs. 241. *Qualos*] id est, colathorii calathi, seu corbes.

Vs. 249. *Fatiscit*] id est, manet tenax, non statim frangitur.

Vs. 251. *Humida*] id est, nimis humida luxuriat, gignit magnos calamos et non plena grana, sicut etiam in humidis annis sunt magni calami et parum granorum; econtra in siccis annis parum culmorum et multum granorum.

Vs. 257. *Piceae*] Ex arboribus fiunt coniecturae, quae terrae sint bonae.

Vs. 259. *His animadversis*] Octavum caput de fodienda vinea.

Vs. 261. *Supinatas*] id est, conversas.

Vs. 262. *Putri*] id est, resoluto putrefacto, cocto ad solem. Sicut[34]) ingenia habent opus quadam cultura et mollitione.

Vs. 264. *Iugera*] id est, illud spatium agrorum.

Vs. 265. *At si quos*] Nonum praeceptum: Elige conveniens solum. Item si arbores in aliam terram transfers, tunc obverte illam partem meridiei, quae antea fuit meridiei obversa.

Vs. 266. *Similem*] id est, similem inter primum solum et alterum, in quod fit translatio.

Vs. 271. *Axi*] id est, polo septentrionali.

Vs. 272. *A teneris*[35])] Verum hoc est, multum refert a teneris assuefactum esse, quia rudes et teneri animi multo facilius aliquid concipiunt, quam adulti.

Vs. 273. *Collibus*] Decimum praeceptum seu caput.

Vs. 275. *Densa*] id est, serite dense in campo pingui.

Vs. 277. *In unguem*] id est, arbores distribuantur in quincuncem, ubi recto ordine stant, quaque te vertas. Romani enim omnes res, quae dividi poterant, diviserunt per partes assis. Sic totum solum diviserunt iuxta assis divisionem, et singulis quincuncibus tribuerunt suos ordines.

Vs. 279. *Ut saepe*] Pulchra similitudo de bono ordine. Et vera est sententia Xenophontis: Nihil est nec pulchrius, nec speciosius, nec utilius bono ordine.

Vs. 282. *Renidenti*] id est, splendidi. Sic enim legendum est. Ita alibi inquit Statius: Emicat effigies et sparsa orichalca renident.

Vs. 288. *Forsitan*] Undecimum caput, quam profundi debeant esse scrobes.

Vs. 289. *Vitem*] Arbores immittuntur profundius in terram quam vites.

Vs. 293. *Non flabra*] id est, venti.

Vs. 298. *Neve tibi*] Duodecimum caput: Illi, qui vineas colunt, curant eas fieri, ut sint expositae meridiano soli, et aliquantulum orienti, id est, istae vineae sunt optimae, quae sunt sitae ad ortum brumalem; postea minus malae sunt oppositae occidenti; pessimae, septentrioni.

Vs. 299. *Corylum*] propter umbram, quia vitibus nocet umbra. *Flagella summa*] id est, ne sumas plantas ex summis ramis.

Vs. 301. *Tantus amor terrae*] id est, citius proveniunt plantae vicinae radicibus.

Vs. 302. *Oleae*] id est, ne serito alias arbores inter oleam, et oleam inter alias arbores.

Vs. 308. *Ruit*] id est, proiicit.

Vs. 312. *Hoc ubi*] Scilicet accidit, quando semel sunt incensae oleae. *Valent*] id est, non crescunt, et etiamsi crescunt, non tamen recipiunt nativam vim.

Vs. 314. *Oleaster*] Ein wilder olbaum. Sic quidam ineruditi fecerunt hanc differentiam inter ficum et sycomorum, et dixerunt sycomorum esse ficum sylvestrem. Sed errant, quia sycomorus est peculiaris species habens pomum partim fico, partim moro simile. Et est sycomorus valde celebrata arbor. Est propria Aegypti et Palaestinae. Et oportet prius fricari et radi arborem hanc, ut fiat ferax. Propterea accommodatur ad populum legis, qui radi debet, id est, qui opus habet disciplina illa et lege, ut melius regi possit.

Vs. 315. *Nec tibi tam prudens*] Decimum tertium caput: Quando flant aquilones, praesertim circa principium et finem hyemis, non fodiendum.

Vs. 316. *Movere*] scilicet, ante ver.

Vs. 321. *Prima*] id est, Si vis fodere, fodito circa autumnum; nostra fossio seu proscissio fit in vere.

Vs. 324. *Vere tument*] Luculenta descriptio veris.

Vs. 325. *Pater omnipotens*] Iovem intelligit. Haec poeta Epicureo more dicit, qui appellationes Dei tribuebant ipsi rerum naturae. Scitis autem illas profanas opiniones odio dignas esse. Et est mirabilis caligo humanarum mentium, ut, cum eo sint conditi, ut agnoscant Deum, negent tamen Deum esse. Tales etiam fuerunt Epicurei.

Vs. 326. *Coniugis*] id est, terrae.

Vs. 327. *Magno corpore*] id est, tunc terra fit foecunda imbribus, et halitibus bonis descendentibus in terram. Illi vitales halitus recreant terram.

Vs. 330. *Auris Zephyri*] id est, illis vitalibus, suavibus, dulcibus halitibus recreatur terra,

34) putrefacto — Sicut] sic scripsi; Ed. 1544. putrefacto. *Cocto ad solem*] Sicut

35) *A teneris*] sic Ed. 1544. in hoc comment.; in textu autem (= Ed. Wagner.) *in teneris*.

Nam Zephyrus est blandior, et affert halitus foecundiores.

Vs. 331. *Tener humor*] id est, seminalis vivificus humor suppeditatur omnibus; omnia tunc concipiunt humorem ex illis blandis vitalibus et iucundis halitibus.

Vs. 333. *Credere*] id est, gramina tunc crescunt.

Vs. 338. *Ver illud erat*] id est, ver fuit principium mundi. In vere mundus est conditus, id quod verum esse statuo, quia hoc probatur ex ipsis annorum computationibus. Et Hebraei et Aegyptii initium mundi in vere constituunt, et annum inchoant in vere, quia retinuerunt primum morem, inceptum a patribus, nec conveniret supputatio, nisi initium anni sumeretur a vere.

Vs. 339. *Hybernis*] Pulchra amplificatio. *Parcebant*] id est, non spirabant venti hyberni.

Vs. 343. *Nec res*] Pulchra amplificatio ab utilitate, et loquitur de quiete, cuius certe maximae sunt utilitates. Nulla res est, quae posset ferre perpetuam agitationem excepto coelo. Et videtis homines maximam vitae partem dormientes agere, id quod in pueris et senibus praecipue videre licet. Aut certe si hoc non faciunt, diu non vivunt, quod ipsum etiam est signum aliae aeternae vitae, et ipse somnus est imago resurrectionis, et profecto habet multas utilitates, iuvat concoctionem, dat quietem cerebro et aliis membris. Item in somno gignuntur spiritus. Revocatur enim calor ad interiora duplici de causa, ut adiuvet intus gubernationem spirituum, et concedat fessis membris quietem. *Res tenerae*] id est, omnes res nascentes.

Vs. 346. *Quod superest*] Decimum quartum de stercoratione.

Vs. 348. *Aut lapidem bibulum*] Lapilli inseruntur in scrobes, ut maneat quasi cavitas quaedam, ut melius possit concipere halitum illa plantula. Item illi lapilli arcent pluviam.

Vs. 350. *Tollent*] id est, spiramenta accedunt, et adiuvant nascentem plantulam, quia omnis res alitur spiritu seu halitu. Sicut etiam in nostro corpore spiritus vitalis est quidam vapor seu flammula; illa currit per totum corpus, alitur, sustentatur sanguine, sicut flammula alitur cera et oleo: sic in plantulis est halitus quidam; ille rapit ex terra humorem, quo alitur etc. Omnia nascentia constant ex illis duabus rebus: calido et humido. Calidum, est ille spiritus, qui est architectus, humidum est materia. *Sata*] id est, plantulae.

Vs. 353. *Hiulca*] id est, lapis. Non solum arcet imbres, sed in magno aestu facit umbram quandam, ne illa terra arescat.

Vs. 354. *Seminibus*] Decimum quintum.

Vs. 359. *Furcasque bicornes*] id est, posteaquam creverunt vites, et aliae plantulae erectae stant, tunc supponas fulcra.

Vs. 361. *Tabulata*] id est, ut vitis annexa ulmis ascendat tanquam tabulatum. *Tabulata*] id est, nexus illos.

Vs. 365. *Sed uncis*] id est, primum non laudas ferro, sed unguibus decerpas, si quid resecandum erit.

Vs. 366. *Legendae*] id est, decerpendae per vices.

Vs. 371. *Texendae sepes*] Decimum sextum.

Vs. 372. *Frons tenera*] id est, vitis tenera.

Vs. 374. *Sylvestres uri*] in genere pro omnibus feris sumit.

Vss. 378 sq. *Venenum dentis*] quia vites et plantulae uruntur morsu dentium, sicut caprae suo morsu urunt vites.

Vs. 380. *Baccho caper*] Ideo caper mactatur Baccho, quia nocet vitibus. Dicunt Bacchum fuisse Thebanum principem, qui invenerit rationem colendi vineas, sicut apud nos coluerunt Urbanum pro commodis tempestatibus, et vidi aliquando circumferri statuam Urbani a rusticis; cum autem subito oriretur magna tempestas, proiecerunt in paludes ipsum Urbanum.

Vs. 382. *Praemiaque*] id est, caprum. Inde etiam dicitur tragoedia, scilicet ab hirco, quia hircus fuit praemium. Comoedia dicitur a *κώμη*[36]), id est, platea, quia in publico et in conviviis hi ludi celebrati sunt.

Vs. 383. *Theseidae*] id est; Thebani.

Vs. 387. *Corticibus*] id est, sumunt personas.

Vs. 389. *Oscilla*] id est, personas, larvas, imagunculas.

Vs. 394. *Liba*] id est, placentas.

Vs. 396. *Colurnis*] a Corylo.

Vs. 397. *Est etiam*] Decimum septimum de fodiendis vineis.

---

36) *κώμη*] sic scripsi; Ed. 1544. *κώμος* [*κῶμος*].

Vs. 398. *Exhausti satis est*] id est, oportet subinde renovari hunc laborem.

Vs. 407. *Persequitur vitem*] man muss beschneyden.

Vs. 408. *Primus humum*] scilicet in vere.

Vs. 409. *Sarmenta*] id est, illa praecisa ramenta vitium.

Vs. 410. *Postremus*] In locis foecundioribus est vindemia aliquanto serior, quam in locis minus foecundis: ut in Rheno est magis sera quam Ienae. *Bis vitibus*] id est, bis habent umbram, primum vernam, deinde autumnalem, vel sic bis putandum est, arbor et vitis.

Vs. 412. *Laudato ingentia rura*] Pulchra sententia. Significat autem melius esse habere conditionem mediocrem, atque illam gnaviter excolere, quam habere superiorem, cui non possimus praeesse. Huc pertinet sententia: Spartam, quam nactus es, orna. Videtis iam episcopos appetere multos episcopatus, cum nullus eorum sit, qui possit regere unam parvam ecclesiolam, et non appetunt labores, sed reditus, etc.

Vs. 413. *Rusci*] Ruscum significat ligacula, quibus ligantur vites. Est autem peculiaris arbor, ex qua fiunt illae scopae, quibus vestes purgantur, die rosen besen.

Vs. 415. *Salicti*] id est, saliceti.

Vs. 416. *Reponunt*] postquam putata sunt.

Vs. 417. *Antes*] id est, ordines.

Vs. 419. *Iupiter*] id est, magni laboris colere vineas.

Vs. 420. *Contra non*] Decimum octavum: Non est opus magno labore in colendis oleis.

Vs. 421. *Falcem*] id est, non est opus putatione.

Vs. 423. *Satis*] scilicet oleis.

Vs, 425. *Nutritor*] Atticismus passivus pro activo.

Vs. 430. *Aviaria*] id est, sylvae. Loquitur de illis, quae nascuntur sine nostro labore et cultura.

Vs. 433. *Et dubitant*] id est, cum natura tam multa per se procreet, imitemur eam.

Vs. 436. *Melli*] id est, est opus arbustis propter apes.

Vs. 437. *Cytorum*] Montem Paphlagoniae.

Vs. 438. *Naryciaeque picis*] Ex una Ulyssis insula. Est magnus usus picis in multis rebus, et maximus quaestus est Sarmatis et Rutenis ex usu picis, qui in Angliam et alia loca vehunt.

Vs. 443. *Pinos*] Fichten. *Cedrosque* [37])] Existimo cedrum esse simile quiddam nostris quercubus. Non consumitur carie.

Vs. 447. *Hastilibus*] id est, pilis, quibus usi sunt Romani milites.

Vs. 448. *Ithyreos* [38])] id est, Arabicos, sicut adhuc illi populi inter Arabiam et Palaestinam, quos Idumaeos et Ismaelitas vocant, sunt peritissimi artis bellicae; es ist ein rauberisch abenteurisch volck. Pontanus scribit, Robertum Sausescanum, qui fuit egregius bellator, et paulo ante nostra tempora vixit, videlicet circa principium imperii Maximiliani, voluisse videre terram sanctam. Et cum eo profectus esset, et etiam pergeret ex Palaestina ad videndum montem Sinai, ibi quidam ex deductoribus inquit ad Robertum: Domine, video nobis obviam venire latrones, non possum vos tueri. Robertus respondit: Benefacis, quod me admones. Et praesenti animo statim iubet, ut sternant toros, tanquam pransuri. Expromitur itaque panis et lagena vini, etc. Interim adveniunt latrunculi, vident apparatam mensam. Ibi Robertus statim per deductorem et interpretem excepit eos, et mandat deductori, ut dicat eis, videre se eos homines rei militaris peritos, et se quoque esse hominem militarem; esse autem hunc morem patriae suae, ut, si quando convenerint bellatores, amicitias contrahant: quare rogare se, ut una quoque pransuri accumbant. Isti latrones delectantur sermonibus Roberti plenis comitate, et accumbunt. Tandem post prandium Robertus multa dona expromit, huic dat argenteum pugionem, illi aureum, etc., et ita singulis aliquid donat. Illi gratias agentes discedunt, postridie veniunt multo instructiores, et Robertum cum suis abducunt in arcem quandam, et cum lautissime tractassent, dimiserunt. Illi ipsi sunt Ithyrei.

Vs. 451. *Alnus*] Naves inde fiunt, id est, magna utilitas est etiam sponte nascentium.

Vs. 454. *Baccheia*] id est, magnae sunt utilitates reliquorum, non minores quam vitium.

Vs. 456. *Centauros leto*] Vide Odysseam φ. [39]).

Vs. 458. *O fortunatos*] Encomium vitae rusticae, estque hic locus communis plane rhetoricus.

---

37) *Cedrosque*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *cedrumque*.

38) *Ithyreos*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *Ituraeos*.

39) Hom. Od. XXI, 295 sqq.

Vs. 459. *Quibus ipsa*] Commoda recenset, id est, habent victum sine periculis; si non habent magnas opes, tamen habent quietem.

Vs. 462. *Undam*] id est, turbam. Romae veniebant mane clientes, et salutabant patronos. Et quo quisque erat potentior, eo alebat maiorem pompam. In aula Caesaris nostri est imago quaedam huius pompae.

Vs. 463. *Inhiant*] id est, spectant cum admiratione.

Vs. 464. *Ephyreia*] id est, Corinthia aera, quia, da hat man zusamen gossen allerley metall: aurum, argentum, etc. Ex quibus mixtis postea praestantissima vasa facta sunt.

Vs. 466. *Casia*] Nos nescimus, quid sit illa casia, non est nostra, quam cassam fistulam vocamus.

Vs. 467. *Et nescia*] Unser bauren habens nicht wol gelernet, wie sie die leut betriegen.

Vs. 469. *Frigida Tempe*] id est, loca culta, schone aue.

Vs. 471. *Lustra ferarum*] id est, habet venationes.

Vs. 472. *Et patiens operum*] Hic versus continet duas virtutes, quae [40]) debent esse in illis, qui adhibentur ad res gubernandas, temperantiam et tolerantiam laborum.

Vs. 474. *Iustitia*] Poetae fingunt (ut Aratus), quod iustitia e terris discedens, aliquamdiu apud rusticos haeserit, et concionata sit eis, etc.

Vs. 476. *Quarum sacra fero*] id est, antefero studia, sed post studia magis amo agriculturam, quam reliqua vitae genera.

40) quae] Ed. 1544. mendo typogr.: qui.

Vs. 478. *Labores*] id est, eclipses solis et lunae.

Vs. 482. *Hyberni*] id est, causas inaequalitatis dierum et noctium.

Vs. 484. *Frigidus*] id est, si non contingit mihi eruditio, tunc antefero vitam rusticam.

Vs. 490. *Felix qui potuit*] Primum est ille beatus, qui est instructus cognitione rerum, post hunc agricola.

Vs. 495. *Fasces*] id est, imperia.

Vs. 497. *Dacus*] id est, non curant bella Romana. Nihil dubito Dacos esse, quos nunc vocamus Septemcastrenses. Fuerunt autem vicinae gentes Daci, Cymbri, Getae, et circumfuderunt se ab Hungaria per Poloniam usque ad Prussiam et Cymbricam Chersonesum, et coniunxerunt se, et satis fortiter restiterunt Romanis.

Vs. 498. *Perituraque*] id est, non vident magnas calamitates.

Vs. 502. *Tabularia*] id est, consistoria.

Vs. 503. *Sollicitant alii*] id est, milites.

Vs. 506. *Dormiat ostro*] id est, ut dives fiat.

Vs. 508. *Rostris*] id est, in concionibus.

Vs. 509. *Cuneos*] scilicet, populi Romani.

Vs. 522. *Mitis in apricis*] Hic versiculus est physicus, Columella eum citat.

Vs. 528. *Coronant*] id est, implent.

Vs. 533. *Sic fortis*] scilicet per agricolas crevit.

Vs. 538. *Aureus*] id est, vita agricolarum erat aureae aetatis, ignorabant ambitiones, bella, etc.

Vs. 542. *Equum*] pro equorum.

In librum III. Georgicon Virgilii.

Tertius liber habet pulcherrimas descriptiones animantium quorundam; et est quaedam pars physices, scire naturas animantium. Suntque naturis animantium magna signa providentiae divinae impressa. Et videmus Aristotelem magna diligentia esse complexum naturas animalium, et quasdam in eis virtutes.

Vs. 1. *Pales*] Dea pastorum.

Vs. 2. *Pastor ab Amphryso*] id est, Apollo, qui in Thessalia pavit boves Admeti regis; nam fingunt Apollinem interfecisse Cyclopas, ideo Iupiter[1]) relegavit eum, et e coelo eiecit. Rex vero Admetus Apollinem excepit, et rei pecuariae praefecit, ibi novem annos eius armenta pavit, quia olim reges plurimum re pecuaria se sustentabant, sicut Herodotus scribit, Cyro nulla tributa data esse, sed plurimas habuisse greges, ita tunc principes praestabant et excellebant virtute, non opibus. Sed post Cyrum, Darius primum instituit tributa. Ita Admetus quoque habuit

1) Iupiter] Ed. 1544. huius nominis loco habet signum ♃.

multa armenta, quibus praefecit Apollinem. Ratio fabulae reddi non potest.

Vs. 3. *Caetera*] id est, aliae materiae conscriptae sunt ab aliis.

Vs. 4. *Omnia iam vulgata*] Cupio mihi deligere argumentum, quod alii non tractarunt. Est aliquid posse deligere argumentum, sed tamen ipsa novitas habet aliquid incommodi, quia istae res novae non ita possunt tractari. Ideo Horatius inquit, tractanda esse publica et usitata[2]), publica materia tamen erit tua, si eam recte tractaveris. Et vos quoque moneo, ut utiles materias eligatis, quando vultis aliquid scribere. Nolite consumere ingenium in rebus inutilibus; alioqui fit, quod Seneca inquit: Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus. Illud argumentum de animalibus multo est utilius et copiosius ab Oppiano, Graeco autore, tractatum, qui etiam singulas[2*]) partes perstringit, ut libro quarto, etc. *Vulgata*] Ipsi solebant publice recitare sua poemata, illud fuit valde vulgare. *Eurysthea*] Eurystheus[3]) et Hercules eodem tempore vixerunt, fuerunt cognati, et quamquam Hercules praestitit virtute, tamen Eurystheus imperavit. Hic observandum est heroicos viros propter publicam utilitatem parere inferioribus: ut Achilles cedit Agamemnoni propter publicam utilitatem, sic Hercules, quamquam tantus heros, tamen paret deteriori, ut communi utilitati serviat.

Vs. 5. *Illaudati*] Durum vocabulum, id est, infamis. *Busiris*] Fuit rex Aegyptiacus, qui solitus est hospites occidere. Propemodum et nunc fit in quibusdam insulis, ubi etiam sunt Busirides, qui retinent hospites. Illum Busiridem Hercules sustulit et occidit.

Vs. 6. *Hylas*] Herculis socius, quem postea amisit in profectione cum Argonautis. Ibi expectarunt Argonautae totum triduum Herculem quaerentem Hylam. Et Valerius Flaccus diligenter describit consultationem Argonautarum. Quidam consuluerunt abeundum esse, non opus esse totum exercitum unum hominem expectare. Sed quidam censuerunt Herculem expectandum esse, et quidem prudenter censuerunt, quia magni viri res gerunt, in eorum salute sita est reliquorum salus. Ita Hercules plus potuit quam alii omnes. Haec est natura Heroum, quos regit Deus, illi sunt tanquam sagittae, ut Psalmus[4]) inquit. Ita Alexander volitat per totum orbem, tanquam sagitta valide contorta; item Iulius Caesar, etc. *Latonia*] quae edidit Phoebum et Dianam.

Vs. 7. *Hippodameque*] Nuptiae Hippodamae, quando Myrtilus fecit axes caereos etc., videte fabulam. Est exemplum perfidi hominis, qui suum dominum decepit. *Pelops*] Pelops fuit magnus princeps Graeciae. Ab illo nomen habet illa pars Peloponnesus. Illa omnia, inquit, iam sunt dicta, unaquaeque aetas habet suas historias.

Vs. 9. *Tollere humo*] id est, quae ego possum inclarescere.

Vs. 10. *Primus ego*] Satis arroganter se praedicat, et fortassis fuit primus poeta in sua patria. Dicit autem se conditurum sacellum, quia olim parva et angusta sacella condiderunt, sicut etiam ille mos ditioribus fuit paulo ante nostram aetatem, etc.

Vs. 11. *Deducam*] id est, ego sum primus vates, ut si velim dicere Rodolphum Agricolam esse primum vatem in Germania.

Vs. 12. *Idumaeas*] quia in Idumaea multae palmae proveniunt. Palmula fructus est, quem dactylum vocant; palma arbor.

Vs. 17. *Victor ego*] Scilicet in certaminibus poeticis. Graeci magnifecerunt ista certamina, sicut scribunt de Menandro, qui superatus a Pylemone, et in illa expectatione suffragiorum et iudiciorum mortuus est. Item Sophocles laetitia extinctus est, cum unum suffragium audivisset. *Ostro*] id est, purpura, quia ex succo quarundam concharum fit ille color purpurae.

Vs. 18. *Centum*] Similitudo translata a poetico certamine ad currule.

Vs. 19. *Alpheum*] Certamina illa Graeca. Intelligit autem hic Olympicum certamen; nam Graecia habuit quatuor certamina, sicut et quatuor loca fuerunt, in quibus celebrabantur, et singulis annis conveniebant, nunc Pisis, nunc Corintho, etc., sicut Germania instituit nundinas, ut sint commercia. Et haec spectacula non erant instituta ludorum et voluptatis causa, sed ibi renovabant sua foedera. Item convehebantur res commutandae, postea illis negotiis confectis

2) Haec spectare videntur ad Horat. Art. poet. 125 sqq.

2*) singulas] sic scripsi; Ed. 1544. singulis.

3) Eurystheus] sic h. l. et in seqq. scripsi; Ed. 1544. Eristheus.

4) Psalm. 127, 4.

fiebant etiam ludi. Propter has publicas utilitates sunt instituta ista certamina et spectacula. Illi congressus consociant etiam gentes, etc.

Vs. 20. *Caestu*] id est, pugilando.

Vs. 25. *Britanni*] id est, servi. *Intexti*[5])] id est, bella Caesaris pingentur in aulaeis. *Tollant*] id est, faciant conspicua. Id est, ego iam cogito, quo modo ibi pendeant aulaea, et in illis sint picta bella Caesaris.

Vs. 27. *Gangaridum*] id est, Indorum.

Vs. 29. *Nilum*] quia Caesar Augustus cepit Antonium, et Aegyptum occupavit.

Vs. 30. *Niphatem*] regem Persicum.

Vs. 31. *Versisque sagittis*] quia Parthi fugientes convertunt se et iaculantur, sicut hodie Turci.

Vs. 32. *Tropaea*] Parthi miserunt Augusto signa Romana, quae ademerant Crasso, hoc fuit unum tropaeum; alterum fuit ex Britannia.

Vs. 34. *Parii*] Paros una ex Cycladibus, ubi nascitur generosissimum marmor.

Vs. 37. *Invidia*] id est, invidia non poterit mihi nocere, quamquam videtur illa dicere de Augusto, qui fuit felicissimus princeps.

Vs. 38. *Ixionis*] id est, inferos. Alludit ad poenas inferorum.

Vs. 43. *Vocat*] id est, ego invitor ad scribenda Georgica et pecuaria.

Vs. 44. *Canes*] id est, materia vocat me.

Vs. 48. *Tithoni*] id est, Aurorae, id est, Perpetuo meum carmen celebrabitur, quam longum spatium est ab aeternitate retro.

Vs. 49. *Seu quis*] De bobus et equis, et primo de bobus. Illae descriptiones sunt valde utiles propter proprietatem.

Vs. 53. *Palearia*] id est, illae laxae pelles pendentes de collo.

Vs. 55. *Hirtae*] id est, villosae. *Camuris*] id est, curvatis.

Vs. 56. *Maculis insignis*] Schettig.

Vs. 57. *Detractans*] Hoc est signum roboris.

Vs. 60. *Aetas*] Ante decennium est idonea ad procreationem, post quartum annum incipit.

Vs. 66. *Optima*] Epiphonema. Iuventus habet suum ver, postea statim subeunt mala.

Vs. 69. *Semper erit*[6])] Vaccae semper erunt mutandae.

5) *Intexti*] sic Virg.; Ed. 1544. in hoc comment. *Capti*.

6) *erit*] sic Ed. 1544. in hoc comment.; in textu autem (= Ed. Wagner.) *erunt*.

Vs. 71. *Anteveni*] id est, prius cura, ut bonas vaccas eligas, ne postea queraris sobolem infirmam esse natam, et tuam negligentiam accuses.

Vs. 72. *Nec non*] De equis.

Vs. 73. *In spem*] id est, ex quibus vis gignere alios. Sic Horatius[7]) inquit:

> Fortes creantur fortibus et bonis.
> Est in iuvencis, est in equis patrum
> Virtus, nec imbellem feroces
> Progenerant aquilae columbam.

Item, Aristoteles inquit: Naturale est omnibus animantibus gignere simile. Et hoc est pulcherrimum testimonium, quod natura non existat casu. Hippocrates etiam dicit, sobolem ita imitari seminis naturam, ut infirma et vitiata membra parentum postea etiam propagentur ita in liberos, ut, quando parentes habuerint imbecille cerebrum, iecur, et similis etiam imbecillitas sit in liberis.

Vs. 79. *Horret*] Es erschrickt nicht.

Vs. 81. *Luxuriatque toris*] id est, musculis. Es hat seyne grosse musculos. Est autem musculus caro ex multis nervis et carne compacta, et numerantur multi musculi a medicis in corpore humano, 400 et 50, ni fallor, qui omnes serviunt motui locali. In primis autem in pectore homo habet multos musculos, sicut et equi. In viris musculi rigidiores sunt, qui sunt signa robusti corporis. Dicam vobis exemplum de Maximiliano. Durerus enarravit mihi, das des Maximiliani dicke in armen, hinten so gros sey gewesen, als seyn femur, et tamen Albertus fuit vir mediocris staturae. Deinde iam senex Maximilianus, fuit Augustae in comitiis, ibi certavit cum nobilibus hastis, ponebant asseres et certabant iaculando, quis altius posset transfigere. Ille duos asseres transfixit, quod nemo nobilium praestare potuit. Illud fit bonitate musculorum. *Honesti*] id est, illi maxime probandi sunt.

Vs. 82. *Spadix*] Ramus palmae, Kesten braun, quia radix palmae habet colorem Puniceum. *Glauci*] Schimmel. *Albis*] Albi sunt imbecilles, sed tamen sunt formosissimi, ut illi equi, quos Asturcones vocant, qui sunt optimi saltatrices equi, etc.

Vs. 83. *Gilvo*] Faelb.

7) Horat. Od. IV, 4, 29—32.

Vs. 84. *Stare loco nescit*] Egregia descriptio bellatoris equi.

Vs. 87. *At duplex agitur*] Hoc est peculiare quiddam in equis. In solis equis est animadversum duplicem esse spinam, sicut illi mihi dixerunt, qui observaverunt. Meminit etiam huius rei Oppianus[8]), cum inquit: *καὶ ῥάχις ἀμφίδυμος μέσον ἰσχίον πιαίνουσον*[8a]), id est, est spina duplex in medio coxas grandiores faciens. In homine corpus est veluti truncus adhaerens spinae dorsi, et in spina dorsi est medulla similis naturae cerebri, a qua medulla propagantur nervi motuum. Huic spinae annexum est os sacrum, cuius iuncturae sponte aperiuntur, quando mulieres parturiunt, et sunt maximi dolores apertio et reclusio istius ossis sacri. *Cavatque*] id est, ferit vehementius terram.

Vs. 89. *Pollucis*] Sicut nostri homines coluerunt sanctum Georgium equitem, sic ethnici coluerunt Castorem et Pollucem; nam isti duo fuerunt boni equites. *Amyclaei*] id est, talis eques fuit Saturnus, cum induisset formam equi, deprehensus a coniuge in adulterio, unde nati sunt Centauri seu Philyrides. Fabula varie est consuta. Philyra idem est, quod tilia, et fortassis isti Centauri sunt dicti Philyrides, quod iuxta philyras, id est, in sylvis exercuerunt latrocinia. Centauri dicuntur a *κεντεῖν*, id est, pungere, et *ταῦρος*, id est, taurus, Sie haben sich aus dem stegereyff genert.

Vs. 94. *Pelion*] Montem Thessaliae. Descripsit equum laudatissimum, et ex illo, inquit, aliam sobolem esse procreandam.

Vs. 96. *Ignosce*] id est, non ideo parcas ei, quia est iam senex.

Vs. 100. *Incassum furit*] Elegans descriptio senilis furoris, qui tamen est irritus, sicut Graecus versiculus sonat: Senex amans extrema stultitia est, etc.

Vs. 101. *Hinc alias*] Postea in educatione videndum est, qui sint generosiores. Es gehet auch ein pfert under einem besser, als under einem anderen. Sicut equus Alexandri neminem est passus sessorem, nisi ipsum Alexandrum, item equus C. Caesaris, etc. Et narrat Plinius exemplum de quodam Germanico principe, qui habuit equum, et cum ille princeps occisus esset in proelio, victor voluit conscendere equum, ibi equus eum arripuit et dilaceravit. *Hinc*] scilicet notabis.

Vs. 103. *Nonne vides*] id est, nonne vides alios equos aliis esse generosiores.

Vs. 104. *Carcere*] id est, meta.

Vs. 106. *Instant*] id est, agitant equos.

Vs. 111. *Spumis*] id est, ille cursus sudorem ciet.

Vs. 113. *Primus Erichthonius*] De equitatione et aurigatione. Quod dicit Erichthonium, ducem Atheniensem, autorem esse aurigationis, fabulosum esse iudico, quia usus equorum et curruum fuit antiquior. Fortasse ideo finxerunt eum esse autorem, quia multum delectatus sit certaminibus currulibus.

Vs. 115. *Pelethronii*] id est, Thessalici. *Lapithae*] Equitationis autores. Fuerunt vicinae gentes Lapithae et Centauri, et mutuo se consumpserunt assiduis bellis. Fuerunt autem circa tempora Herculis, qui vixit tempore Samuelis, postea bellum Troianum fuit circa tempora Davidis. Ex his apparet usum equorum esse multo vetustiorem, quam poeta fingit.

Vs. 118. *Uterque labor*] scilicet, aurigandi et equitandi. *Iuvenem*] scilicet equum.

Vs. 119. *Acrem*] id est, celerem, si non est iuvenis, etiamsi est valde generosus, tamen nihil prodest. *Exquirunt*] id est, magistri anteferunt aetatem iuxta proverbium: Ein alter reuther, ein altes pfert seynt nichts wert.

Vs. 123. *His animadversis*] Ubi elegeris bonum equum, sagines eum.

Vs. 124. *Denso pingui*] id est, pinguedine, in qua sit densa caro, quia alia est pinguedo, quae est phlegmatica, exuberantia. Sic Aristoteles inquit: Raritas est signum imbecillitatis, densitas roboris.

Vs. 128. *Invalidique patrum*] Fortes creantur fortibus. Galenus dicit etiam morbos propagari a parentibus in liberos, sicut ex comitialibus patribus nascuntur comitiales filii propter imbecillitatem cerebri.

Vs. 129. *Ipsa autem*] Equae non sunt saginandae, quia difficilius concipiunt. *Armenta*] Equas.

Vs. 133. *Cum graviter tunsis*] Alii dubitant, utrum intelligat tempus post medium diem, an vero tempus aestivum seu vernum. Non est opus illa disputatione, quia equi, etsi sint sala-

8) Oppian. de venatione I, 186. Ed. Schneider.

8a) *ἰσχίον πιαίνουσον*] sic Ed. 1544.; Oppian.: *ἰσχία πιαίνουσα*.

ciores vere, tamen non habent certa et stata tempora coitus, et soli equi et homines non dicuntur habere stata tempora. Laudat etiam Oppianus equos, quod incestos et illicitos concubitus fugiant, et exemplum notatu dignum memorat. Dicit pullum quendam cum matre clausis oculis pulli commissum, atque id ubi postea vidit, praecipitem sese de rupe dedisse, etc.

Vs. 137. *Rapiat*] quia arida corpora citius rapiunt humorem.

Vs. 138. *Rursus*] Quando sunt equae gravidae, tunc diligenter curandae sunt.

Vs. 146. *Est lucos*] De insectis, quae equos pungunt.

Vs. 147. *Plurimus*] id est, plurima volucris, scilicet insectum. *Alburnum*] in Lucania. *Asilo*] Asilus Graece, Latine oestrus, eyn bremse, id est, lass die gravidas equas nicht gehen unter die oestros.

Vs. 152. *Monstro*] Oestro.

Vs. 156. *Sole recens*] id est, meridie quiescant, mane quaerant pabula.

Vs. 157. *Post partum*] De pullis taurorum.

Vs. 159. *Submittere*] id est, destinare ad procreationem.

Vs. 163. *Ad studium*] Artes non sunt absolutae natura, sed necesse est accedere assuefactionem, disciplinam et doctrinam, etiamsi natura indidit impetus, tamen illi impetus non sunt artes.

Vs. 164. *Vitulos*] id est, pullos.

Vs. 174. *Interea*] id est, pecudes non sunt alendae tantum tenui pabulo.

Vs. 175. *Vescas*] id est, insipidas; nam vescum est, quod cum fastidio editur.

Vs. 176. *Foetae*] id est, gravidae.

Vs. 177. *More patrum*] id est, sicut prius patres mulgebant vaccas.

Vs. 180. *Flumina Pisae*] id est, si vis certare in Olympicis certaminibus.

Vs. 182. *Primus*] id est, primum assuefacias.

Vs. 183. *Lituosque*] id est, tubas.

Vs. 186. *Plausae*] id est, percussae, id est, statim incipiat adhuc recens.

Vs. 196. *Aquilo*] Scitis esse serenatorem hunc ventum, estque elegans comparatio.

Vs. 202. *Elei*] id est, in certaminibus Olympicis.

Vs. 204. *Esseda*] Die kleinen leychten rolwegen.

Vs. 209. *Sed non ulla magis*] Aliud praeceptum, in omni genere pecudum abstinentia a Venere, confirmat vires.

Vs. 215. *Videndo*] id est, cum videtur.

Vs. 220. *Illi*] Tauri dimicantes de iuvenca. Est pulchra descriptio taurorum certantium inter se.

Vs. 228. *Excessit*] pro excedit.

Vs. 229. *Vires exercet*] Hoc est usitatum de bobus rivalibus, scitis, quod discordes non possunt facile una versari. *Exercet*] scilicet, ille victus taurus.

Vs. 230. *Instrato*] id est, non strato.

Vs. 231. *Frondibus hirsutis*] id est, non foeno et usitato pabulo. *Carice*] Carix, Riedt, crescit in locis palustribus et uliginosis.

Vs. 232. *Et tentat*] Pulchra hypotyposis, id est, discit magno impetu vibrare cornua.

Vs. 233. *Ventos*] scilicet, quia non habet concertatorem.

Vs. 236. Oblitum] scilicet prioris certaminis, vel iam defatigatum.

Vs. 237. *Fluctus*] Amplificatio, ingentes procellas confert ad tauri impetum.

Vs. 238. *Trahit*] Sicut fluctus, qui secum ex mari magnam vim aquarum trahit.

Vs. 242. *Omne adeo*] Locus communis de impetu seu stimulis, in omnibus bestiis ad concubitum.

Vs. 244. *Idem*] Similis est furor in omnibus.

Vs. 245. *Tempore*] quando est tempus concubitus.

Vs. 249. *Heu male*] id est, valde periculosum tunc facere iter propter impetum bestiarum.

Vs. 258. *Quid iuvenis*] de hominibus.

Vs. 260. *Serus freta*] Alludit ad historiam de Leandro, qui solitus est noctu natare per Hellespontum ad suam amicam. Est autem ibi latitudo Hellesponti 15 stadiorum, das ist noch nicht ein halbe meyle wegs.

Vs. 261. Reclamant] id est, non metuit undas et procellas, non cogitat, quantum dolorem sint [9]) accepturi parentes.

Vs. 264. *Lynces*] Sunt quiddam medium inter lupos et leones.

Vs. 267. *Glauci*] Illa est fabula, quod Glaucus paverit suos equos humanis carnibus, et cum

9) sint] Ed. 1544. sunt.

deessent carnes, equi fecerunt impetum in dominum. Illud est sapientissime confictum, et est pulcherrima imago tyrannorum, qui pascunt suos satellites civium sanguine et carnibus, et plane eorum facultates exsugunt. Postea, wenn die selben gesellen nicht mer habent, tunc faciunt impetum in dominum. Exemplo potest esse C. Caesar. Item exemplum possunt esse Athenienses, qui assuefecerant ipsum Alcibiadem ad tyrannidem, qui postea est usus sua licentia et tyrannide contra ipsos Athenienses. *Mentem dedit*] id est, immisit furorem.

Vs. 268. *Potniades*] Equi Glauci, qui fuit ex Potnia.

Vs. 270. *Ascanium*] Fluvius Mysiae apud Troiam, quia est duplex Mysia, ille locus, ubi nunc est Dacia, die Walachey und Siebenburgen proprie fuit Mysia Europaea. Sed alia fuit Mysia vicina Troiae, und ist doch ein volk gewesen.

Vs. 272. *Vere magis*] Sanguis dicitur augeri in vere, propterea videtis esse maiores impetus ad Venerem, in aestate augetur rubra bilis, in hyeme phlegma.

Vs. 275. *Vento gravidae*] Equae concipiunt ex vento sine maribus, sed quiddam imperfectum, quod statim moritur. Est mirum hoc; ego nescio, an ita sit; scribunt hoc Varro et Columella, sit fides eius rei penes autores.

Vs. 277. *Eure*] Si louffent nicht versus ortum, sed versus Boream et Caurum, qui est in occasu solstitiali, Auster a meridie spirat; et vocat eum nigerrimum, quia est pluvialis, Graece dicitur Nothus ab humore. Eurus est serenator, sic dictus ab Eos, id est, aurora.

Vs. 278. *Boreas*] id est, valde spirans, qui non tantum est serenator, sed dissipat nubes magno impetu. Zephyrus adfert caligines.

Vs. 280. *Hinc*[10])] scilicet ex furentibus equis.

Vs. 282. *Hippomanes*] quia oritur ex furentibus equis. Alii dicunt esse carunculam; ego existimo virus esse. Simili quiddam de cervis dicunt. Quando poetae faciunt mentionem philtrorum, tunc quoque nominant Hippomanem.

Vs. 287. *Lanigeros greges*] De ovibus et de capris.

Vs. 293. *Clivo*] id est, ego utar novo argumento.

10) *Hinc*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *Hic*.

Vs. 295. *Stabulis*] Hyeme maneant in stabulis.

Vs. 298. *Subter*] Adverbialiter.

Vs. 301. *Arbuta*] quia frondent in hyeme.

Vs. 303. *Ad medium*] Stabula pateant versus meridiem, quia venti a septentrione sunt nimis asperi, nocentes pecoribus, sicut videtis nostras oves collatas saltem ad Thuringicas esse tenues, macras, hirtas, horrendas, quia frigus admodum nocet pecoribus, praesertim ovibus. Iam cadit scilicet occasu heliaco, quando sol venit ad Capricornum in Decembri.

Vs. 306. *Quamvis Milesia*] Sicut hic possem dicere, etiamsi nostrae oves non sunt tam generosae quam Anglicae, tamen non sunt abiiciendae.

Vs. 307. *Tyrios incocta*] id est, tincta purpureis coloribus, nunc nos non habemus purpuram; sed dicunt esse aliquid affine purpurae, quod nunc vocamus carmesin.

Vs. 308. *Hinc*] id est, ex nostris ovibus.

Vs. 311. *Nec minus*] Primus usus caprarum et hircorum est usus lactis, secundus carnium, tertius pilorum.

Vs. 312. *Cinyphii*] id est, Libyci. *Tondent*] Graecum, pro tondentur.

Vs. 313. *Castrorum*] id est, ut inde fiant tegmina machinarum, sicut iam videtis fieri eiusmodi tegmina ex iunceis viminibus.

Vs. 314. *Pascuntur*] id est, illud pecus non magno alitur.

Vs. 317. *Limen*] id est, habet magnam lactis copiam. Quamquam videtur miserum pecus, tamen est valde utile patrifamilias, quia man kans leychtlich halten, und gibt viel milch. Praeterea non ita est obnoxium periculis ut oves.

Vs. 320. *Avertes*] id est, quia ipsae caprae sunt negligentiores sui, ideo retinebis domi hyeme.

Vs. 321. *Pabula*] id est, frondes.

Vs. 324. *Luciferi*] id est, mane.

Vs. 326. *Et ros*] quia dulcis est et gratus, et optime nutrit. Nam dulcia sola nutriunt: ideo omne nutrimentum debet esse temperatum dulcedine. Cum enim sanguis sit dulcis et temperatus humor, ideo quoque maxime appetit dulcia, iuxta illud: Nihil alitur, nisi suo simili conveniat.

Vs. 331. *Umbrosam*] id est, in umbram. Videtis, quam diligenter distinguat tempora, sic-

ut nos etiam habemus certa et distributa tempora edendi, quae sane habent infinitas utilitates; olim una vice pransi sunt in die circiter horam tertiam, quamvis prius mane ientaculum comederint. Das habent die grossen herren gethan, der gemein man hat prandium und coenam gehabt. Sic nos habemus prandium et coenam. Et sane haec ratio non est incommoda, modo ne stomachum nimio cibo oneremus. Galenus etiam improbat μονοσιτίαν, id est, semel edere.

Vs. 338. *Halcyonem*] De his vide in primo libro [11]). *Acanthida* [12])] Ein distelvogel.

Vs. 339. *Quid tibi pastores*] Oratoria et luculenta descriptio hyemis, qualis sit deformitas et species terrae et aëris in hyeme. Haec descriptio potest vobis esse pulchrum exemplum amplificationis; vult autem hoc dicere, habendam esse rationem locorum, et pro diversitate locorum esse emittendas vel continendas pecudes.

Vs. 340. *Mapalia*] Nomada. Vocantur autem Nomades omnes gentes, quae non habent iunctas domos, sicut in urbibus. Sic hodie Scythae dicuntur habitare non in certis locis, et ideo dicti sunt ἁμαξόβιοι, id est, vectitantes in curribus, inde etiam Mosci dicuntur. Sic in Genesi sancti illi patres Abraham, Isaac, Iacob, etc. fuerunt quoque nomades, id est, vagabundi pastores. Vocabulum ipsum dicitur a νέμω, id est, pasco. Fuerunt illis temporibus in Africa non ita urbes et pagi, sicut apud nos sunt, sed unusquisque habuit suas aedes in proprio loco. A nomadibus Numidae nomen habent. *Mapalia*] id est, casas, significat illud totum stabulum, quod continet domunculam et stabulum pecudum. *Raris*] id est, non iunctis.

Vs. 344. *Armentarius Afer*] Africae temperies valde laudata est, praecipue in istis regionibus, quae sunt circa Carthaginem, ut dicit Plinius, reddi ibi in certis locis trecentuplum seminis, id est, von einem scheffel 300 scheffel. In nostris regionibus, wans Korn wol gereth, so gibt ein scheffel 9 scheffel, in Mysia 10. In Genesi [13]) etiam praedicat Isaac benedictionem Dei, dicit se accepisse ex uno modio centum.

Vs. 345. *Amyclaeumque*] id est, Laconicum, quia Laconici canes fuerunt praestantissimi; fuerunt enim boni venatores. Amycle urbs Laconiae. *Cressamque*] id est, Cretensem.

11) Vide supra p. 374. annot. ad Virg. Georg. I, 399.

12) *Acanthida*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *acalanthida*.

13) Genes. 26, 12.

Vs. 347. *Sub fasce*] Hoc non intelligo de fasciculis magistratuum, sed de illis ipsis, quos gestabant milites, quia milites ipsi gestabant sua impedimenta, non fuerunt ita delicati ut nostri bellatores. Romanus et Macedonicus miles fuerunt excellentes disciplina militari, per quam imperium orbis adepti sunt.

Vs. 348. *Expectatum*] id est, ante expectationem hostis.

Vs. 349. *At non*] scilicet est simile in septentrione. *Scythiae gentes*] Scythia est post Sarmatiam, an die Muschgen und Reussen.

Vs. 350. *Ister*] id est, Danubius. Sunt duo maxima flumina, quorum alterum Nilus a meridie versus septentrionem fluit; alterum ab occidente in orientem, quorum ostia dicit Herodotus distare 15 dierum.

Vs. 351. *Sub axem*] id est, sub ipsum polum, id est, ubi est magna elevatio. Pulchre describit loca septentrionalia, quae magnam elevationem habent.

Vs. 356. *Cauri*] id est, venti spirantes ab occasu solstitiali.

Vs. 357. *Tum sol*] id est, sunt perpetuae nebulae.

Vs. 358. *Nec cum*] id est, nec in ortu, nec in occasu.

Vs. 359. *Lavit*] Coniugationis tertiae lavere.

Vs. 361. *Undaque*] Sicut ego vidi congelatum Rhenum et Albim, ut magnae moles transvehi possent.

Vs. 363. *Aeraque dissiliunt*] Hoc verum est, sicut etiam vitra dissiliunt, quia frigus comprimit aërem, qui intus est.

Vs. 364. *Securibus*] Pulchra hypotyposis.

Vs. 366. *Induruit*] Addam aliud mendacium. In oppidis Saramaticis quando advehunt ligna rustici, et volunt emungere nares, tunc totas abiiciunt.

Vs. 369. *Agmine cervi*] Cervi magnis agminibus stant, et ita se mutuo calore fovent. Est pulchrum exemplum mutuae benevolentiae.

Vs. 372. *Puniceae pennae* [14])] id est, pennae suspensae ad terrendos cervos, nostri lodices suspendunt.

14) *pennae*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *pinnae*.

Vs. 380. *Fermento*] Mit dem bier. Est quiddam coctum ex hordeo et lupulo. Hordeum per se statim putresceret, si nihil esset additum: ideo sumunt lupulum, qui addit hordeo calorem et acrimoniam quandam, et prohibet putrefactionem. Nomen lupuli non est recens. Plinius[15]) vocat lupum salictarium. Verba eius sunt: Teneris lupi salictarii turionibus in salactariis utimur, wan der hopf iung ist, so macht man salath und salsamenta daraus. Dicuntur autem turiones omnis teneritas radicum vel florum, Graece *φριγωνία* [16]). Lupulus a fervendo nomen habet, quia addit calorem in coctura. Aegyptus, quia non habet vinum, dicitur invenisse hanc rationem coquendae cerevisiae. Et ipsum nomen cerevisia Gallicum est.

Vs. 380. *Sorbis*] Sorba sylvestria poma.

Vs. 381. *Hyperboreo*] quia est ad Boream.

Vs. 384. *Si tibi*] De loco idoneo pascuis. *Aspera*] id est, spinosa.

Vs. 385. *Lappae*] Kletten. *Tribuli*] Die grossen Kartten distel. *Laeta*] quia, quando nimis pingues sunt, tunc non multum habent lanae.

Vs. 394. *At cui*] Wer viel milch wil haben, der treib das vieh in einen locum, ubi est magna luxuries graminis. *Cytisum*] Klee. *Lotus*] quando herbam significat, tunc est species quaedam similis vulgari cytiso; sed quando ponitur pro arbore, tunc significat eyn sandelbaum.

Vs. 398. *Excretos*] id est, adultos.

Vs. 404. *Nec tibi*] id est, opus est etiam custodibus.

Vs. 405. *Spartae*] id est, Laconicos. *Molossum*] A loco.

Vs. 407. *Furem*] id est, illi depellunt nocturna latrocinia.

Vs. 409. *Onagros*] walde esel.

Vs. 410. *Damas*] Medium quiddam inter capras et cervos, sunt maculosae.

Vs. 414. *Disce et*] Remedia contra venena, quae etiam valent contra pestem. *Cedrum*] Credo eandem vim habere nostra folia querna.

Vs. 415. *Galbaneo*] Galbanum est resina quaedam nascens in Syria, grave olens, quam ego puto esse nostrum thus. Verum thus est generosius quiddam.

Vs. 417. *Fugit*] id est, abdidit se in latebras.

Vs. 419. *Adspergere*] id est, ut adspergat pecori virus.

Vs. 425. *Est etiam*] Alia descriptio. Ego credo nullam esse nationem, quae habeat minus venenorum quam Germaniam.

Vs. 432. *Exhausta* [17])] id est, quando desiccantur paludes.

Vs. 437. *Cum positis*] id est, quando in aestate redit positis exuviis.

Vs. 440. *Morborum quoque te*] De morbis pecudum. Epidemia est morbus, qui vagatur per omnes homines, et existit propter coeli inclementiam, ut est pestis. Sic Attica quaedam pestilentia est celebrata, in qua homines tanto aestu sunt correpti, ut se immergerent in flumina, et qui revaluerunt, neque se, neque suos potuerunt agnoscere. Lucretius in fine sui poematis meminit huius pestis. *Λιμὸς* est pestis et fames, et plerumque simul grassantur.

Vs. 441. *Ubi frigidus imber*] quia frigus valde nocet animalibus, et inprimis nervi et cerebrum laeduntur frigore, quia, quando frigus circumstat humidum, tunc facile corrumpit.

Vs. 442. *Ad vivum*] id est, intra cutem.

Vs. 443. *Illotus*] id est, immundus, id est, vide, ne sudor corrumpat cutes pecudum.

Vs. 447. *Mersatur*] Lavant saepius, ne sudor faciat situm in cute pecudum.

Vs. 448. *Amurca*] id est, fecibus olei, quia oleum alioqui est res valde sanans. Ita Augustus interrogavit quendam, quomodo perduxisset vitam suam ad tam longam senectam, respondit ille: Foris oleo, intus mulso. Ita in Livio videtis. Hannibal ordinaverat, ut milites in frigore prius oleo ungerent corpora; oleum enim interiora leniter fovet. Et Galenus dicit illas nationes recte uti butyro pro oleo, quibus non est oleum, sicut nos utimur. Debemus autem uti ante cibum butyro, quia alioqui post cibum natat in orificio stomachi, et dilatat, non claudit stomachum. In summa, Deus cumulavit inos ingentibus donis, et homo habet multa praesidia et remedia adversus varios casus, si modo accedat mediocris diligentia.

---

15) Conf. Plin. Hist. Nat. XXI, c. 50. Ed. Franz. (c. 15. Editt. antiq.)

16) *φριγωνία*] sic Ed. 1544.; in Lexx. Gr. hanc vocem non inveni.

17) *Exhausta*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *exusta*.

Vs. 451. ***Scillamque***] Die grossen Zwibeln. ***Bitumen***] Leym. Est natum bitumen, non facticium, quali nostri utuntur. Illud ficticium ex pellibus coquitur; sed poeta loquitur de nato bitumine, quod in Sicilia nascitur, et habet quandam naturam calcis.

Vs. 454. ***Ulceris***] id est, Nihil est melius quam excindere ulcus. ***Vivitque tegendo***] Sicut scitis, morbi crescunt dissimulati.

Vs. 456. ***Abnegat***] Sicut dicitur: Aversatur Deus preces et vota inertium.

Vs. 458. ***Cum fuerit***] Primum, inquit, fit ulcus, postea scabies; scabiem vero febris sequitur, ibi, inquit, venam in pede incidas.

Vs. 461. ***Bisaltae***] Mosci et Ruteni, non anxie discerno, quia illae gentes confuse habitarunt: ideo etiam dicuntur nomadae, et hodie promiscue habitant, non assignant illis certas sedes, fuerunt circumfusi toti illi septentrionali orae, Dani, Getae, Gotthi, Daci, item Cimbri, quos Homerus Cimmerios vocat, illi vagati sunt toto septentrione, iam fuerunt propiores Thraciae, iam recesserunt, et hodie Walachia, quam anno superiori occupavit Turca, est vere Getica, et versus Sarmatiam plurimae sunt solitudines: ideoque poeta dicit: In deserta Getarum. Interdum vix invenitur habitatio in quadraginta miliaribus. Ideo Getae in istis longis itineribus portant secum farinam, et incidunt venam equo, et ita pultem praeparant et comedunt.

Vs. 464. ***Succedere***] id est, captare.

Es. 465. ***Carpentem***] id est, fastidientem cibos.

Vs. 466. ***Procumbere campo***] id est, non potest sequi gregem.

Vs. 468. ***Compesce***] id est, exseca ulcus.

Vs. 470. ***Non tam***] Iam describit luem epidemiam, id est, non est unum genus morbi.

Vs. 473. ***Cunctamque***] Quaedam lues sunt universales, ut epidemiae.

Vs. 474. ***Alpes***] Addit exempla: in Alpibus plurimum est pecudum. ***Norica***] Der gantz tractus von Regensburg bis gen Salzburg. Styria etiam pertinet ad Noricum, et illa appellatio est Asiatica; nam Styri ex Asia venerunt, et in illis locis consederunt. Flaccus vocat Styros gentes, quae habitaverunt non longe a Colchis, et postea in haec loca transierunt. Tales etiam fuerunt veteres Germani, qui, quando fuerunt sterilitates magnae, tunc quaesiverunt alias sedes, et nunc in Italiam, nunc in Galliam profecti sunt. In Italia Mediolanum Senones condiderunt, qui hodie sunt illi, da Brandenburg liegt, etc. Noricum plurima pascua habuit.

Vs. 475. ***Timavus***] Fluvius est, qui influit in Illyrico in mare non procul a Venetiis. ***Iapydis***] Iam vocatur Dalmatia in Illyria. Illyria est vetus sedes Henetorum, qui vere sunt die Wenden, et Venetiae nomen habent ab Henetis.

Vs. 482. ***Nec via***] Credo eum adhuc loqui de illa Attica epidemia.

Vs. 486. ***Hostia ad aram***] Hostiae erant vittatae, quia significabant ministerium verbi, et illa sunt sumpta a patribus, etiamsi causae hostiarum non erant illis notae.

Vs. 490. ***Altaria fibris***] quia, der putris humor steckt noch darinnen, das sichs nicht lest anzunden.

Vs. 491. ***Reddere vates***] quia, quando mactabantur victimae, tunc diligenter considerabant, an adessent omnes partes, et si deerant, tunc ominosum esse iudicabant, et multa inde divinabant. Sic C. Caesar, quando interfectus est, et prius sacra faceret ascensurus in curiam, pecudi deerat iecur. Illa erant portentosa, et homines superstitiosi coeperunt studiosius scrutari, et nescio, quas divinationes postea fecerint[18]), quia mundus semper habet divinationes, quae non habent veras et naturales causas, sed sunt superstitiosae; nam quicquid non habet mandatum divinum et causas in natura, est superstitiosum, ut quod homines aqua consecrata se consperserunt, existimantes consecuturos se remissionem peccatorum; hoc plane fuit superstitiosum. Sed medicorum praedictiones habent causas physicas et naturales, ut quod medicus ex celeritate pulsus, de calore interno iudicat, ex tarditate, de frigore interno, Item his diebus, quando fuit coniunctio ☉ et ☽ in ♎ in signo humido, fuerunt frequentes pluviae, et magna turbatio aeris, quia semper in quartis sunt insignes mutationes. Item fuit ♂♄☽ in eodem signo. Item ☽ et ☿, ideo fuerunt magni flatus. Illa non sunt superstitiosa. ***Nec responsa potest***] id est, fibrae putrefactae non possunt dignosci.

Vs. 493. ***Summaque***] id est, culter madefit pure.

---

18) fecerint] Ed. 1544. fecerunt.

Vs. 497. *Obesis*] Dick und fet, proprie quod nos vocamus, eyn glatten balck.

Vs. 499. *Avertitur*] id est, aversatur, fastidit, active.

Vs. 506. *Gemitu gravis*] Ein schweren athem.

Vs. 510. *Lenaeos*] Vino etiam utimur contra putrefactionem.

Vs. 515. *Ecce autem*] De tauris.

Vs. 522. *Purior electro*] Puto enim loqui non de electro metallo, sed de electro succino. Vocatur autem electrum [19]) agsteyn, quia similitudine imitatur electrum metallum, quod est mixtum quiddam ex argento et auro. Deinde nobis nota est natura electri succini, adversus paroxysmos epilepticos est valde bonum remedium, et prodest quoque in partu. Plinius dicit in Baltico sinu esse collectum, veteres Graeci dixerunt, destillare ex arboribus circa Padum, sed passim nascitur.

Vs. 526. *Non Massica*] id est, causa huius non est intemperantia, ut in morbis hominum saepe morbi habent occultas causas.

Vs. 532. *Quaesitas*] id est, desideratas esse.

Vs. 534. *Rastris*] id est, ligonibus.

Vs. 537. *Non lupus*] id est, lupo deest, quod venetur.

Vs. 540. *Vagantur*] id est, non possunt fugere impediti morbo.

Vs. 542. *Fluctus*] quia mare eiicit mortua corpora.

Vs. 543. *In flumina*] scilicet ex mari.

Vs. 550. *Chiron*] Magister Achillis, et dicitur fuisse medicus. Antiqua doctrina magna ex parte fuit inquisitio naturae, et Deus excitavit quaedam excellentia ingenia, quae ista monstrarent hominibus, talis fuit Chiron. Dicunt natum esse ex Philyra, fortassis quia in sylvis vixit.

Vs. 552. *Pallida Tisiphone*] quia haud dubie illae saevae pestilentiae sunt flatus diaboli, et boni angeli depellunt et arcent illos flatus. *Tisiphone*] id est, ulciscens caedem, propterea quod homicidas poenae divinitus comitantur: ideo sic vocatur furia. Altera vocatur *Megaera*, id est, invidia, indignatio; tertia *Alecto*, id est, non desinens, quia illi cruciatus conscientiae non desinunt. Tisiphone est causa finalis; Megaera, causa formalis, id est, ipse dolor; Alecto modus, ipsa perpetuitas.

Vs. 556. *Iamque catervatim*] Es werden grosse cumuli cadaverum.

Vs. 559. *Coriis*] id est, Man kans leder nicht gebrauchen, und die cadavera schinden.

Vs. 564. *Pabulae*] id est, tuberculi, id est, contagio homines quoque inficiuntur.

Vs. 566. *Sacer ignis*] Sie kriegen sanct Antonii feur, quam credo eum complecti omnes inflammationes.

Iam sequitur materia iucundior.

19) electrum] Ed. 1544. electum.

In librum IV. Georgicon Virgilii.

Quartus liber habet descriptionem naturae apum, in quo est inprimis elegans et mirabilis proprietas. Nam quia persequitur idem argumentum, descriptiones sunt accuratiores, quam in superioribus libris, in quibus videtis multa esse abrupta. Sed hoc argumentum magis pertexit, postea habetis hic multarum rerum appellationes, ut plantarum, insectorum, etc. Dicuntur autem insecta, quae non habent colla, Graece ἐγκόμματα [1]) id est, incisa, alias annulosa, quod annulos habent pro collo, seu quod sunt distincta annulo, cum non habeant collum.

Vs. 1. *Protinus*] Propositio, dicam de apibus et de melle. *Aërii mellis*] Mel aërium vocat, quia omnia, in quibus eminet dulcedo, in illis abundat aëria humiditas. Sicut vina, quo sunt dulciora, sunt magis aëria: ita mellis natura est aëria. Et quando quis nimium edit, tunc celerrime vertitur in bilem, sicut aer celerrime vertitur in ignem. Quia bilis est igneae naturae, mel aëriae: ideo in igneam qualitatem statim vertitur.

Vs. 4. *Magnanimosque duces*] Pulchra translatio. Transtulit appellationes politiae et reipublicae ad apes. Et profecto apibus sunt impressae imagines multarum virtutum. Primum habent prudentiam, quia habent regem, cui obtemperant, aedificant domunculos, faciunt hexagonos ita directos, ut nemo possit facere directiores, mittunt certam cohortem ad agendas excubias, etc. Deinde habent iustitiam, quia sedi-

1) ἐγκόμματα] Ed. 1544. male: εὐκόματα.

tiosos puniunt et ignavos etiam. Tertio habent fortitudinem, quia acerrime dimicant, sicut poeta inquit: Animas in vulnere linquunt. Sunt etiam frugales et temperantes admodum. Nam ignorant Venerem, nascuntur sine concubitu. Colligunt enim rorem, et illum rorem transferunt in domunculos, et incubant ut aves. Ex illo rore gignitur vermiculus, ex quo fit apis.

Vs. 6. *In tenui labor*] id est, argumentum est tenue, sed non est tenuis labor illa ornare verbis.

Vs. 8. *Principio*] De loco, ubi sint alvearia collocanda.

Vs. 9. *Ventis*] quia ventus dissipat. Ego ipse vidi, quomodo veniebant apes obviae aliis, et partem oneris in se transferebant.

Vs. 13. *Lacerti*] proprie Eydes.

Vs. 14. *Meropesque*] Merops, ein goller. Est avis habens pectus propemodum gilvum, et caput candidum.

Vs. 15. *Progne* [2])] id est, hirundo, id est, istae aves, quae devorant muscas, absint, ut sunt meropes, hirundines, item parrae, parra ein Meyse, aliàs parix.

Vs. 19. *Fugiens*] Eleganter est usus, id est, celeriter decurrens.

Vs. 20. *Palmaque*] dattelbaum. Palma arbor, da die datteli auff wachsen. *Obumbret* [3])] id est, quando egrediuntur, habeant aliquam umbram.

Vs. 25. *In medium*] id est, in mediam aquam vel torrentem colloca salices et lapides, ut habeant suos pontes, in quibus considant, et mutuo se colligant, si quando dispersae sunt.

Vs. 30. *Haec circum*] De pascuis. *Casiae*] Nescimus, quid sit; das man heysst Cassiam fistulam, ist ein ander Ding. Aliqui dicunt veteres vocasse, quod nos vocamus granum gnidium, Kellerhals, quod ego non puto verum esse. Non existimo hunc florem gratum esse apibus.

Vs. 31. *Thymbrae*] Thymbra, satureia, cunila idem significant, Germanice gartenkol. Interdum cunilam et satureiam pro origano usurpant, quia est quiddam simile origano.

Vs. 34. *Alvearia*] a et e contrahuntur in unam syllabam, quod Graecis usitatissimum est.

Vs. 35. *Aditus*] vorn die locher an binenstöcken. *Frigore*] Ipsae apes facillime laeduntur frigore, quia est animal alioqui frigidum sine sanguine.

Vs. 36. *Calor*] quia est naturae aëriae, ideoque facile resolvitur.

Vs. 39. *Linunt*] id est, diligenter muniant suas domunculas. *Linunt*] id est, oblinunt. *Oras*] id est, rimas. *Fuco*] id est, aliqua parte favi. Nam varia sunt opera mellis, mel, cera, et postea crassius quiddam. Haec etiam ex Aristotele [4]) petenda sunt, qui admodum fuit diligens in descriptione apum; item ex Columella, qui fuit diligentior.

Vs. 40. *Munera*] id est, officia.

Vs. 41. *Visco*] Vogel leym.

Vs. 45. *Cubilia*] id est, alvearia.

Vs. 47. *Taxum*] Eyben, id est, non accipias venenatas arbores.

Vs. 48. *Ure*] Apes non possunt ferre fumum.

Vs. 49. *Odor coeni gravis*] id est, wo es stinckt. Latini, ut mihi videtur, grave olens pro omni foetore et malo odore usurpant.

Vs. 50. *Saxa sonant*] ubi est Echo, quia, quando ipsae strident, tunc redditur Echo, et ita perturbantur. Nam sonum agnoscunt, et sono ducuntur etiam. Et quamquam habent naturales inclinationes, tamen est quoque in eis quaedam agnitio, ut in caeteris quoque animalibus, sicut in asinis, de quibus scribit Plutarchus, quod memoriam aliqua ex parte habeant, et pulchram historiam recitat. Scribit asinum quendam solitum esse ferre sales, qui cum ad paludem venisset forte, se immersit aquae, volens se volutare. Servit autem levari se onere. Cum sales resoluti essent, postea cum rursus iter faceret per eundem locum, ibi se quoque volutavit, idque tertia vice faciebat. Tandem imposuerunt ei pannum, et cum solito more in aqua corpus volutaret, sensit plurimum se gravari,. cum videlicet panni humectati essent. Et deinceps cum ferret sales, non amplius sese volutavit. Item asinus agnoscit herbam, quae vocatur scolopendrion, veteri appellatione asplenum. Hanc, quando male affectus est, quaerit: ergo necesse est eum habere discrimen, quo discernat a reliquis herbis. Quare quamquam in animantibus sunt inclinationes, quae sunt principales causae, tamen accedit quoque agnitio. Sic in apibus est naturalis inclinatio, ut faciant domunculas, sed ta-

2) *Progne*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *Procne*.
3) *Obumbret*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *inumbret*.

4) Aristot. Hist. animal. V, 19. Ed. Schneider.

men accedit agnitio quaedam. Profecto in equis et canibus est magna cognitio; item in leonibus. Scitis historiam de leone, qui Romae agnoverat suum medicum in circo. Nam leoni olim extraxerat spinam, et cum postea leoni obiectus esset, ut dilaceraretur, leo non nocuit etc. Et ego audivi principem Fridericum, qui Heydelbergae regnavit, educasse catulos leonum, qui comederunt de ipsius mensa. Item habuit secum in cubiculo, et tamen aliis nocuerunt.

Vs. 54. *Libant*] id est, degustant.

Vs. 60. *Nubem*] id est, ipsum agmen.

Vs. 62. *Huc*] id est, ad illa loca, qua volant.

Vs. 63. *Meliphylla*[5])] id est, Melissa, mutterkraut. Est valde nobilis herba et mulieribus utilis, et in remediis memoriae praecipua. Est herba, quae convenit illi sapienti naturae apum. *Cerinthe*] id est, lilium convallium, meyenblumeleyn, quamquam non confirmo. Est omnium florum primus, statim in principio veris prodit.

Vs. 64. *Cie*] id est, pulsa. *Matris*] id est, Cybelis.

Vs. 68. *Regibus incessit*] Ab *incesso*[5a]), quod verbum additur nominibus affectuum. Aristoteles dicit apes foris neque provocare alia insecta, nec pugnare inter se, sed tantum ante alveolos. Ita bonus civis debet pugnare pro patria, eamque tueri, non procul quaerere latrocinia. Plutarchus etiam comparat rempublicam apibus, inquiens: Sicut quando apes egrediuntur sine magno murmure, signum est boni status: ita quando in republica non sunt magni tumultus, et homines consentiunt, tunc signum est bene constituti status. Sic Homerus tertio Iliados de Graecorum exercitu inquit: Tacite procedebant observantes.

Vs. 70. *Namque morantes*] id est, quando sunt tranquillae, significatur concordia et incolumitas apum. Sed quando magnus fremitus est, et volitant vagabundae, significat discordiam. Aristoteles etiam dicit, quod amisso rege faciant quidem domunculas, sed non mella.

Vs. 71. *Rauci canor*] id est, fremitus, id est, ipsae morantur in alveariis frementes.

Vs. 74. *Spicula*] id est, aculeos. *Rostris*] id est, cuspidibus in cauda. Reges quoque habent aculeos, sed non utuntur, quia reges debent esse clementes, etc. *Aptantque lacertos*] Lacertus, oben das dick am arm, idem quod musculus. Dicuntur autem lacertus et musculus sic a figura. Et certissimum est corpora lacertosa et musculosa esse valde robusta, sicut antea[6]) dixi de Maximiliano, qui potuit contorta hasta duos asseres confodere.

Vs. 77. *Sudum*] id est, diem serenum.

Vs. 80. *Cadunt*] id est, quando pupugerunt, amittunt aculeum, et amisso aculeo moriuntur. Sunt tantum conditae ad mellificandum et belligerandum. Sic bonus dux debet esse foris bonus bellator, et domi bonus gubernator.

Vs. 83. *Ipsi*] scilicet, reges.

Vs. 87. *Pulveris*] id est, glebas iniicito tunc dissipabis eas.

Vs. 93. *Squamis*] id est, fulgidus, habet lucidas alas.

Vs. 94. *Inglorius alvum*] Pulchra imago sordidi et ignavi principis.

Vs. 95. *Ita corpora plebis*] Quales sunt mores principum, tales sunt civium iuxta versiculum, scilicet: In vulgus manant exempla regentum. Istae descriptiones sunt plane exempla et paradigmata communium morum.

Vs. 97. *Spuit ore*] id est, non sunt rutilae, sed similes pulveri, quod est illutum sputo.

Vs. 99. *Lita*] id est, notata.

Vs. 102. *Et durum Bacchi*] id est, unde fit bonum mulsum, scilicet ex vino. Est enim duplex. In Italia fit ex vino et melle, alibi ex aqua et melle.

Vs. 111. *Servet*] scilicet depulsis avibus, id est, sit terriculamentum in horto, quod depellat aves.

Vs. 112. *Pinusque*] est duplex: hortensis, quam nos non habemus, altera sylvestris.

Vs. 118. *Forsitan*] id est, si non properarem, adderem aliquid de herbis.

Vs. 119. *Paesti*] Oppidum est in Lucania, ubi bis crescunt rosae, sicut scitis in aliis locis esse maiorem commoditatem faciendi hortos, quam in aliis. Sicut in Thuringia est admodum parum hortorum, ad Rhenum vero plurimum.

Vs. 120. *Intuba*] id est, Endivia.

Vs. 122. *Cucumis*] id est, pepo. Nam est quaedam cognatio inter cucumerem et peponem.

5) *Meliphylla*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *melisphylla*.

5a) *incesso*] Ed. 1544. *incesco*.

6) Vide supra p. 400. annot. ad Virg. Georg. III, 81.

Vs. 123. *Narcissum*] Narcissus est similis illi flori, quam nos vocamus colchicum, zeytlosen, est exigua diversitas. Colchicum in Septembri prodit, et est postremum omnium florum. In mea patria est consuetudo, ut rustici veniant in urbem ornati colchico, agitantes convivia, et dicunt se illo flore moneri, ut subeant nova opera. *Acanthi*] Branchiae ursinae, berenklau.

Vs. 125. *Oebaliae*] id est, Tarenti, quia est condita haec urbs a Lacedaemoniis, qui vocantur Oebaliae ab Oebalo rege.

Vs. 127. *Corycium*] id est, militem piratam. Nam Pompeius dedit piratis agros. Ibi inquit fuisse militem quendam, qui habuerit magnum quaestum ex horto suo. Columella etiam scribit quendam patremfamilias reliquisse duobus filiis agrum, illos autem convertisse agrum in hortos, et quotannis ex illis habuisse ducentos aureos. Ita magnus profectus est ex hortis.

Vs. 131. *Verbenas*] Eisenkraut. *Vescumque papaver*] id est, insipidum propter nimiam humiditatem et frigiditatem.

Vs. 137. *Ille comam*] Ille mos adhuc mansit in Italia, ut saepe vescantur herbis, sicut narratur iocus de pictore quodam. Is in aestate comederat herbas apud suum dominum in Italia, et cum instaret hyems, voluit discedere. Dominus interrogavit, quid causae haberet, cur discederet. Ille respondit, nihil admodum, sed vereri, quia per aestatem herbas comedisset, ne in hyeme foenum edere cogeretur.

Vs. 141. *Pinus*] id est, nuces pineas.

Vs. 145. *Eduramque pirum*] Der nicht seer hart ist. Tale est, *egelida* aqua, id est, non valde gelida. *Spinos*] Spinus genere masculino (inquit Servius) significat arborem prunorum, pflaumen baum. Alioqui vulgo exponunt spinum pro acatiis. schledorn.

Vs. 146. *Platanum*] est arbor proprie Graeca, sterilis, similis tiliae.

Vs. 149. *Nunc age*] Iste est locus iucundissimus huius libri, propterea quod describit multas proprietates, et ut ita dicam, dynames apum. Sed primum addit poeticam picturam, quod istas proprietates et dona donaverit eis Iupiter, propterea quod eam paverant in Creta.

Vs. 151. *Curetum*] id est, Cretensium. Caeterum Curetes fuerunt peculiaris populus Cretae, et alias vocantur Idaei dactyli, id est, berckknecht, quia in Creta primum patefactae sunt venae aeris. Ideo etiam fingunt poetae Curetas tintinnabula pulsasse. *Crepitantia*] quia apes non solum habent visum, sed etiam auditum et olfactum, quod inde animadverti potest, quia odoribus aromaticis eplasiorum sunt inimicissimae, dem apoteckergeruch, et quando incidunt in olentes graviter, tunc acerrime eos pungunt; fortassis etiam gustum habent, quia non colligunt succum mellis, nisi ex suavissime olentibus herbis.

Vs. 152. *Antro Dictaeo*] id est, in Creta.

Vs. 153. *Solae*] id est, Iupiter ornavit eas industria singulari prae caeteris animantibus, sicut multa animalia quaedam peculiaria habent. Picus est imago ingrati mariti, quia sub autumnum eiicit coniugem, ne cogatur per hyemem nutrire, postea in vere recipit ad se. Item hoc etiam observandum est, quod apicula potest vivere usque ad decimum annum, regulariter sex annos. Et nullum insectum tamdiu durat.

Vs. 154. *Habent*] id est, habent imaginem civilis vitae. *Magnis*] id est, naturalibus, sie halten ihre leges. Hominibus etiam est impressa lex, sed illa est corruptio hominum, ut non obtemperent legi naturae. Reliqua animantia bruta omnia obtemperant legibus naturae.

Vs. 156. *Venturaeque*] id est, sunt providentes.

Vs. 158. *Victu*] id est, victui. Describit iam diversitatem operum, aliae faciunt mella, aliae advehunt succum, aliae excubias agunt.

Vs. 159. *Pars*] Ein teyl fleugt aus. Iuniores evolant, adultiores manent in tectis iuxta versiculum, ἔργα νεῶν etc., id est, iuvenes debent laborare, esse in operis militiae, seniores debent domi sedere ad gubernacula, regere et gubernare consilia. *Pars*] id est, grandiores.

Vs. 160. *Lachrymam*] id est, liquorem. Est usitatum vocabulum medicis, quamquam sunt discrimina inter lachrymam et succum. *Gluten*] id est, glutinum. Apes convehunt partim succum ex floribus haustum, partim gummi collectum ex arboribus, et ex illo gummi faciunt glutinum et caeras, ex succo mella.

Vs. 163. *Educunt foetus*] id est, incubant vermiculis. Legunt quendam bonum et purum rorem, praesertim in oleae foliis illum important, et illi incubant. Inde postea fit vermiculus, cui accedunt alae, et quando rex predits eu an-

scitur, statim est alatus. Reliquae apes non tam cito alas habent. Incubat autem apis 40 diebus, et incubans simul ore facit mella. Rex vero circumvolat inspiciens operas apum, ut omnes sint in officio. Et quando carent rege, statim alvearia implentur fucis. Haec fere omnia Aristoteles recenset. Potest etiam sic exponi: Educunt, scilicet ex alveolis, praeeunt eis, quae recens editae sunt.

Vs. 164. *Stipant*] id est, condensant. *Distendunt*] id est, implent.

Vs. 165. *Sorti*] Duo dativi *sorti* et *vesperi* adverbiascunt.

Vs. 167. *Onera*] Quaedam eunt obviam oneratis et deonerant eas.

Vs. 168. *Ignavum fucos*] Respublicae debent primum habere gubernatores, id est, eos, qui praesunt religioni et civilibus negotiis, deinde etiam qui laborent et victum quaerant, postea defensores et praesidia. *Arcent*] id est, apes expellunt extra alvearia fucos, et ibi aculeis conficiunt, quia es arbeyt nichts, sonder stilt und er isst. *Ignavum*] quia sunt sine aculeis, es ist verzaget.

Vs. 170. *Ac veluti lentis*] Poeta voluit uti de industria comparatione grandium corporum, ut ostenderet magnitudinem sedulitatis in apibus.

Vs. 171. *Properant*] id est, fabricant, faciunt.

Vs. 173. *Gemit*] Illa grandis comparatio valde auget diligentiam et dignitatem apum.

Vs. 177. *Cecropias*] id est, Atticas. Solum Atticum non fuit adeo ferax, nec plane sterile, propterea habuit multos hortos et alvearia. *Amor habendi*] id est, sedulitas. Est eis insita quaedam sedulitas quaerendi.

Vs. 178. *Munere*] Prolepsis. *Grandaevis*] id est, adultae manent intra alveolos, quod Aristoteles expresse dicit.

Vs. 180. *Minores*] id est, iuniores evolant.

Vs. 182. *Et glaucas salices*] Non ut inde succum, sed gummi hauriant.

Vs. 184. *Omnibus una quies*] Das ist ein fein regiment. In tempore eunt cubitum, et mane surgent, ut inquit Hesiodus. Aurora promovet in via et in opere. Item Plato inquit: Quando lumen solis occidit, tunc nostrum lumen etiam cupit quiescere.

Vs. 188. *Fit sonitus*] Vesperi canitur classicum, hoc est, castrense.

Vs. 190. *Fessosque sopor*] Illae duae res sunt signa longae vitae in apibus, quod rite dormiant, et ignorant Venerem, sicut Ovidius[7]) inquit:

Is quoque, qui gracili cibus est in corpore, somnus.

Vs. 193. *Aquantur*] id est, evolant aquatum.

Vs. 195. *Saburram*] id est, onus navium, quo solent naves onerari, ne propter levitatem disiiciantur.

Vs. 196. *Librant*] id est, tollunt se, quando sunt venti, tunc librant se lapillis, ut habeant aliquod pondus, ne dissipentur a ventis et dispergantur.

Vs. 197. *Illum adeo*] De continentia et de propagatione apum, id quod cum nullo animante habent commune in tota natura.

Vs. 199. *Solvunt*] id est, conservant vigorem nativum illa continentia. Scanderbegus[8]) et Mathias rex Hungariae, quia illa duo fulmina, imperatores Turcicos Amirathem[9]) et Mahometem[10]) represserunt, semper soliti sunt pro concione hortari suos milites ad continentiam.

Vs. 200. *Natos*] id est, rorem, ex quo postea fit vermiculus, cum incubant. Iste vermiculus intra 40 dies absolvitur, et iam recens Graece σχαδὼν dicitur. Et istos pullos suos stridore et sonitu vivificant apes, sicut leo vociferatione excitat suos pullos, et illo halitu afflat calorem, et magnitudinem animi. Haec est pulchra imago ministerii verbi, quo Christus vivificat Ecclesiam suam.

Vs. 201. *Quirites*] Alludit ad Romanam rempublicam.

Vs. 202. *Refigunt*[11])] id est, reficiunt subinde suum genus. Et quia est magna foecunditas, ideo coguntur facere plures alveolos. De industria apum multo est illustrior descriptio apud Aristotelem[12]) et apud Plinium[13]).

Vs. 206. *Ergo ipsas*] Dicit de aetate apum; plerumque septem annos complent. Aristoteles dicit quasdam etiam ad decimum annum pervenire, quae est satis magna aetas huic insecto.

---

7) Ovid. ex Ponto epist. I, 10, 21.

8) Scanderbegus] sic scripsi; Ed. 1544. male: Scanderbergus. De illo duce insigni conf. Ios. v. Hammer Gesch. des Osman. Reichs T. I. p. 480 sqq.

9) Amirathes, proprie Murad.

10) Mahometem] sic Ed. 1544. pro: Muhammed.

11) *Refigunt*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *refingunt*.

12) Aristot. Hist. anim. V, 19. Ed. Schneider.

13) Plin. Hist. Nat. XI, c. 4 sqq. Ed. Franz.

Necesse est itaque magnam praestantiam esse apum, sed tamen illam longinquitatem vitae etiam arte conservant, scilicet mirabili temperantia, munditie et continentia, quia adeo sunt temperantes, ut etiam voraces puniant. Deinde magna est mundities, quia in alveolis nihil reperitur sordium, omnia immunda evehunt, adeo ut etiam sua excrementa in peculiarem locum convehant.

Vs. 208. *Immortale*] Quotannis procreant alias, quia pereunt multis modis, pereunt frigoribus, caloribus, interficiuntur ab hominibus. Hanc eis gratiam reddidimus pro mellificatione. Sic plerumque homines ingrati sunt erga magnos viros de republica benemeritos, ut exemplum Themistoclis testatur.

Vs. 210. *Praeterea regem*] De obedientia et iustitia apum, apud Xenophontem inquit ille ad Cyrum: Tu es natura rex, sicut rex apum, quia homines tibi libenter et sponte obtemperant. Tales sunt heroici viri, quos sponte sequuntur homines, et labores sunt dulces, habent etiam successus mirabiles, qui sine illis heroibus nullo modo contingerent. Sicut extincto Alexandro exercitus ipsius nihil erant, sed similes, ut Deades dixit Polyphemo oculo amisso.

Vs. 211. *Nec populi Parthorum*] In Oriente magna res fuit regia potestas. Talis non erat Romae, ibi volebant videri studiosi libertatis. *Hydaspes*] Fluvius in Media.

Vs. 212. *Rege incolumi*] Pulcherrima sententia. Sic vivente Alexandro erat concors exercitus, et magna voluptas erat eis obedire Alexandro.

Vs. 215. *Ille operum custos*] Rex non est otiosus, circumit tota die, et videt, an singulae faciant suas operas.

Vs. 219. *His quidam signis*] Excursus de anima, unde in animantibus fit quaedam similitudo animae rationalis, de qua re scitis multa disputari a philosophis. Deus indidit animantibus quosdam impetus sine iudicio, sine cogitatione, sine ratione, ut in equis, canibus, leonibus et cervis videre licet. Equus habet sensus interiores, habet quandam ratiocinationem, agnoscit herum suum, meminit loca. Idem fit in canibus et leonibus. Quid igitur interest inter cogitationes illas equi et hominis? Respondeo. Homines habent actum reflexum, bruta non habent. Homines iudicant illam suam cogitationem. Ego legens, dicens, scio, quid legam vel dicam. Sed bruta non habent actus reflexus, faciunt impetu quodam sua opera. Apis facit sua opera, nullum habet actum reflexum, facit hexagonum, et nescit, an faciat hexagonum: sic facit mella, caeras, sed non diiudicat. Secundo pecudes tantum singularia animadvertunt, homines universalia.

Vs. 220. *Haustus*] Quidam dixerunt omnia animantia rapere aliquid ex aëre, qui sit quiddam divinum infundens rationem. Sed vos scitis illa esse aliena a doctrina Christiana, et vera philosophia. Est absurdum dicere mentem esse ortam ex aliqua corporali natura, scilicet ex aëre.

Vs. 221. *Deum*] id est, aërem.

Vs. 224. *Arcessere*] Ab *ad*, et a verbo *cieo*, id est, advoco, id est, hinc hauriunt vitam. Scriptura sacra manifeste discernit hominum animas a vita pecudum, sicut textus[14]) inquit: Corpus occidere possunt, animam non possunt. Item Christus loquitur cum Mose in monte Tabor[14a]), et tamen Moses diu erat sepultus: ergo anima est separabilis quidam spiritus a corpore vivens. Talia testimonia sunt observanda. Quod autem animantibus sunt impressae quaedam imagines et similitudines animarum, sciamus simpliciter esse signa et exempla mirabilis illius opificii, quae testantur mundum non extitisse casu.

Vs. 228. *Si quando*] id est, quando voles eximere mella. Mellatio dicitur. *Sedem*] id est, alveolos.

Vs. 229. *Relines*] id est, aperies, recludes, resignabis.

Vs. 230. *Ore*[15]) *fove*] id est, exspue aquam in alveolos, ut apes fugiant, quia aegre ferunt eripi sibi illud suum opus, sicut debet facere bonus paterfamilias. Et dicunt apes circa illud tempus, quando eximuntur mella, avidius rorare, cum tamen alioqui sint parcissimae. *Fumosque*] id est, fac fumum ad alveolos, et fumo eas abige.

Vs. 231. *Duo tempora*] Bis eximuntur mella in principio veris et in autumno.

Vs. 232. *Taygete*] id est, Pleias Arcadica, quia Arcades primi fuerunt studiosi rerum coelestium, unde etiam dicuntur fuisse priores luna. *Ostendit*] Orientibus Pleiadibus cosmice in Maio fere, quia ipsi maturius eximunt. Nam citius habent dies calidiores.

---

14) Matth. 10, 28. Luc. 12, 4.
14a) Matth. 17, 3. Marc. 9, 4. Luc. 9, 30.
15) *Ore*] sic Ed. 1541.; Ed. Wagner. *Ora*.

Vs. 234. ***Aut eadem***] Alterum tempus est in autumno occidentibus Pleiadibus cosmice in Octobri. ***Aquosi Piscis***] id est, Ceti, quia Cetus oritur et occidit cum Pleiadibus. Alii intelligunt de Notio pisce, quia una cum Pleiadibus oritur acronyche. Sed altera expositio est magis perspicua.

Vs. 235. ***Hybernas***] ut intelligatur tempus Octobris. Duo sunt tempora mellationis, unum est post ortum cosmicum Pleiadum, alterum post occasum cosmicum Pleiadum.

Vs. 236. ***Ira modum supra est***] Aristoteles dicit iram esse calcar fortitudinis, et recte dicit. Non debetis imaginari omnes affectus esse simpliciter et per se vitiosos. Multi sunt boni affectus in natura et στοργαί. Sic iracundia heroica est bonus affectus, qualis tribuitur Achilli. Et Virgilius de Aenea inquit: Magna se exuscitat ira, etc. Haec ira non est vitiosa, quia est heroica. Ita affectus in genere sunt motus inditi divinitus. Sed natura nostra est vitiosa et inordinata. Ideo habet multos vitiosos affectus, qui sunt sine timore et fide. Ita Paulus[16]) inquit: Concupiscentiam nesciebam. Vocat concupiscentiam ἀταξίαν omnium affectuum et motuum in natura. Quamquam igitur est talis ἀταξία, tamen etiam sunt multi boni affectus, ut parentum erga suos liberos; item iracundia adversus turpitudinem. Ita illi animalculo, quia debet habere fortitudinem, est etiam inditum calcar fortitudinis.

Vs. 236. ***Venenum***] Iratae apes interdum interficiunt homines. Inprimis appetunt olentes immodice vel bonis vel malis odoribus, quia nihil possunt ferre immoderatum, sunt factae ad mediocritatem et munditiem.

Vs. 238. ***In vulnere ponunt***] Hoc est antiquum dictum Romanum. Milites oportet in acie mori, id est, inter praeliandum. Et illud: Imperatorem oportet stantem mori, etc. Itaque nos singuli in nostro munere debemus imitari illam apum fortitudinem, subire cuncta pericula pro defensione religionis et patriae.

Vs. 239. ***Parcesque futuro***] Si erit dura hyems, plus relinques eis cibi in alveariis.

Vs. 241. ***Thymo***] scilicet ad fugenda venena.

Vs. 243. ***Stellio***] Ein molch. Est maculosa lacerta. Inde iurisconsulti vocant crimen stellionatus, dem man keynen namen kan geben. ***Blattis***] Blattae, motten, quiddam simile tineis. Sic dicimus: Illae chartae sunt a blattis corrosae.

Vs. 244. ***Immunis fucus***] Fucus est nothus ex genere apum. ***Immunis,*** id est, gaudet immunitatem, nullas publicas operas sustinet, immittit se in illa cava loca, ut praedetur mella.

Vs. 245. ***Crabro***] die wespen. Ex putrefacto bove nascuntur apes, id est, apes significant Ecclesiam, quae ex illa victima, scilicet Christo, nascitur. Ex putrefacto equo nascuntur crabrones, id est, ex heroicis viris et praestanti nobilitate oritur degener nobilitas, die faulen Junckherren. Ex asino putrefacto nascuntur scarabei, id est, ex monachis nascuntur mali doctores. Plura dicemus de hac re.

Vs. 246. ***Tineae***] Motten.

Vs. 248. ***Quo magis***] id est, volunt sarcire sua diligentia illa furta et rapinas.

Vs. 250. ***Foros***] id est, sedilia.

Vs. 251. ***Si vero***] De morbis apum. ***Casus***] id est, morbos. Sicut homines aegrotant, ita apes interdum. Est etiam singularis diligentia conveniens statui reipublicae, quod apes eiiciunt cadavera ex alvearibus.

Vs. 259. ***Fame et***] id est, laborant fastidiis.

Vs. 258. ***Aut intus***] id est, non evolant.

Vs. 263. ***Aestuat***] id est, quale est murmur maris, vel sicut ignis in fornace reddit quendam strepitum.

Vs. 264. ***Odores***] id est, medicamenta. ***Galbanum***] Puto esse illud nostrum thus, quia illud pretiosum thus, quod olim fuit, est in magno pretio, vel si non est nostrum thus galbanum, est tamen aliqua species ignobilis thuris. ***Suadebo***] scilicet domino hortante, id est, munditie et nitore, et novo pabulo reficiendae sunt apes.

Vs. 267. ***Gallae***] id est, aliquid acerbi, quod valet contra putrefactionem. Est notum vobis, quo utuntur in atramento.

Vs. 269. ***Defruta***] gesotten weyn, vinum, quod deferbuit, id est, coctum vinum, ita ut tantum tertia pars relinquatur. Illa cocta vina retinent nativam dulcedinem. ***Psithia***] id est, uvas passas, a loco.

Vs. 270. ***Grave olentia***] Differunt grave olens et foetidum. Grave olens est, quod offendit nimio odore et denso. Foetidum autem est sua natura inimicum et noxium cerebri. ***Centaurea***] Est duplex centaureum: maius, quod nos vulgo ra-

16) Rom. 7, 7.

ponticum vel rhabarbarum vocamus. Id hic nascitur, sicut ego Lipsiae vidi. Centaureum minus vocatur Germanice tausentgulden. Et dicitur centaureum inde, quod eius magnus usus est in curandis vulneribus. Centaureum minus etiam Chironeum vocatur, quia dicunt Chironem, praeceptorem Achillis, centaureo curasse sua vulnera. Utriusque centaurei est magnus usus in glutinandis vulneribus. Praeterea in febribus maximam vim habent.

Vs. 271. *Amello*] Nullus est scriptor, qui faciat mentionem huius floris excepto Columella et Virgilio. Hermolaus Barbarus putat esse speciem camamyllorum, quae vocant.

Vs. 275. *Violae*] id est, folia imitantur violas, quae sunt purpureae.

Vs. 276. *Torquibus*] id est, coronis.

Vs. 277. *Asper in ore sapor*] Octo sunt appellationes saporum, quae sunt regulares et praecipuae. 1. Dulcis, Graece γλυκὺς, ut mel, vinum. 2. Pinguis, vulgo unctuosus, Graece λιπαρὸς, ut oleum, butyrum. 3. Amarus, πικρὸς, contrarius dulci, ut fel, nitrum. 4. Acer, Graece δριμὺς, ut piper, zinziber. 5. Acerbus, vulgo Ponticus, item stipticus, Graece στρυφνὸς, ut acatia sorba, id est, poma immatura, nuces. 6. Acidus, Graece ὀξὺς, vulgo acetosus, ut acetosa herba. 7. Austerus, Graece αὐστηρὸς, est vicinus acerbo, ut sunt vina austera. 8. Salsus, ἁλμυρὸς Graece, etc.

Vs. 278. *Mellae*[17])] id est, Gallici fluminis.

Vs. 281. *Sed si quem*] De restitutione apum, quando penitus extinctae sunt. Etiam in parvis rebus mirabilis providentia Dei conspicitur, ut admoneamur hanc naturam non extitisse casu. Sic quaedam animalcula nascuntur mirabili quodam modo, ut apes ex rore collecto, cui incubant in suis domunculis, sicut gallinae ovis. Inde nascitur primum quidam vermiculus, ex quo postea fit apis. Ista est ordinaria generatio apum. Praeter hanc est extraordinaria, ubi videlicet apes nascuntur ex bove putrefacto, coniecto in aliquem locum clausum, ubi putris vapor non potest exhalare. Sed ibi sunt addendae herbae quaedam, ut thymus casiae, ut iste vapor temperetur. Haec, sicut proxime dixi, est pulcherrima imago et pictura Ecclesiae, quae est nata ex bove mactato, id est, ex Christo crucifixo. Et sicut apes halitu et mirabili stridore vivificant suos pullos: ita Ecclesia crescit sonitu et verbo. Postea ex equis nascuntur crabrones, id est, ex heroica nobilitate venit degener nobilitas, in qua non est virtus illa maiorum, sicut videtis ex praestantissimis principibus natos esse homines ignavissimos. Illi crabrones sunt inimici apibus, quia Ecclesia habet duplices hostes, Centauros et hypocritas. Centauri sunt tyranni, qui manifesta vi oppugnant, ut Nero, etc. Hypocritae sunt monachi et similes, qui serunt impia dogmata, et adsciscunt sibi cohortem, ut possint tueri suam impietatem, quia Iudas semper habet suam cohortem. Talis cohors est degener nobilitas. Ex asinis nascuntur scarabei, illi ipsi significant hypocritas et monachos. Et dicunt scarabeum esse pugnax animal, armatum cornibus, id est, ex hypocritis venit istud genus persecutionum, quod multo magis nocet Ecclesiae, quam Centauri. Ex mortuo Christo evolarunt ingentia agmina apum, id est, Evangelium Christi sparsum est per totum orbem terrarum.

Vs. 283. *Arcadii magistri*] id est, Aristaei. Fuit etiam unus ex praestantissimis ducibus Graeciae, quem dicunt invenisse mella. Fuit aliquis celebris princeps, qui res magnas gessit, fuit sapiens gubernator.

Vs. 285. *Tulerit*] id est, progenuerit.

Vs. 287. *Nam qua*] id est, hoc solet in Aegypto fieri. *Canopi*] Civitas in Aegypto. *Pellei*[18])] id est, Alexandrini, vel potius Macedonici, ubi regnaverunt Macedonici reges orti ex Pella, oppido Macedoniae. Illic quoque regnavit Ptolemaeus, der ein bastart Philippi ist gewesen. Regnum Aegypti, ist die zeyt das gewaltigest regnum gewesen neben den Monarchiis, sicut hodie regnum Galliae.

Vs. 289. *Phaselis*[19])] id est, lintribus vel cymbis. *Sua rura*] Quia in Aegypto non pluit, sicut in Deuteronomio etiam ostenditur, sed Nilus certis temporibus exundat, et illis exundationibus terra foecunda fit. Interdum non exundat Nilus suo tempore, et tunc fames impendet, ut temporibus Iosephi et Traiani. Est plane hoc miraculum divinum. Post Caniculam cum est summa ariditas in omnibus locis, tunc Nilus exundat, et irrigat agros, videlicet illo tem-

17) *Mellae*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *Mellea*.

18) *Pellei*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *Pellaei*.

19) *Phaselis*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *faselis*.

-pore, cum demessae sunt segetes, et praeparandi iterum sunt agri ad futuram sationem.

Vs. 291. *Nigra arena*] id est, solo, quia nigrum est praestantius.

Vs. 292. *Septem*] id est, septem ostiis effunditur Nilus in mare.

Vs. 293. *Indis*] id est, Aethiopibus, hinden hereyn a meridie.

Vs. 294. *In hac*] scilicet arte, de tauro.

Vs. 296. *Tecti*] id est, quaeritur aliquis angustus locus, aliquod angustum stabulum.

Vs. 297. *Parietibusque*] i et e coëunt.

Vs. 299. *Bima*] id est, biennali, das zwey jar alt ist.

Vs. 300. *Spiritus oris*] Spiritus includendus est, man muss ihn zu todt schlagen, quia, si sanguis erumperet cito, et exhalarent isti naturales humores, tunc non posset fieri talis putrefactio.

Vs. 305. *Hoc geritur Zephyris*] id est, circa tempus paschae, quia, cum sit pictura Ecclesiae, quae nascitur ex Christo crucifixo, so muss das tempus auch respondiren passioni Christi.

Vs. 310. *Trunca pedum*] id est, truncata pedibus, genitivo usus est pro ablativo.

Vs. 311. *Magis*] id est, magis magisque crescunt.

Vs. 315. *Quis Deus*] Dicunt hanc fabulam de Aristaeo a Virgilio subiectam esse loco laudationis, qua antea in hoc loco extulerat Gallum, qui est damnatus ab Augusto. Ideo Virgilius in gratiam Augusti mutavit hunc locum.

Vs. 316. *Ingressus*] Accusativi casus, id est, initium.

Vs. 323. *Thymbraeus Apollo*] A campo, da vil origanum wechst. Thymbra respondet utrique vocabulo, origano et satureiae.

Vs. 328. *Relinquo*] Querela et expostulatio.

Vs. 329. *Quin age*] Amplificatio.

Vs. 331. *Molire*] id est, deseca vites.

Vs. 334. *Milesia vellera*] Miletus habuit plurimas et quoque pulcherrimas oves, et ibi lana fuit praestantissima et multo tenuior quam reliquae, sicut hodie Anglica lana est tenuior et melior nostra.

Vs. 335. *Hyali*] id est, caeruleo colore.

Vs. 336. *Drymoque*] Querna. *Xantho*] id est, flava. *Ligea*] id est, sonora. *Phyllodoceque*] id est, foliis ornata.

Vs. 338. *Nysaeque*[20])] A loco. *Spioque*] A specu. *Thaliaque*] A florendo. *Cymodoce*] A fluctibus.

Vs. 339. *Cydippeque*] Ab equis. *Lycorias*] A lupis.

Vs. 341. *Clioque*] A laudibus. *Beroe*] A sonitu.

Vs. 343. *Ephyre*] A loco. *Opis*] Ab oculis, ab adspectu.

Vs. 355. *Penei*] i et e coëunt.

Vs. 366. *Omnia sub magna*] Amplificatio.

Vs. 367. *Phasin*] In oriente. *Lycum*] In Rhaetis, qui praeterfluit Augustam.

Vs. 372. *Eridanus*] id est, Padus. Non est maius flumen in Europa, quod ad latitudinem attinet. Illa sunt maxima flumina Europae: Danubius, Rhenus, Padus, Rhodanus, etc.

Vs. 379. *Adolescunt*] id est, accenduntur. *Panchaeis*] id est, Sabaeis.

Vs. 381. *Libemus*] Ante cibos semper soliti sunt veteres libare, quae consuetudo haud dubie sumpta est a patribus.

Vs. 382. *Patrem rerum*] Alludit ad illam phantasiam. Thaleti sententia est, primum corpus esse aquam. Tumidum est materia omnium generationum, sicut calor est tanquam pater.

Vs. 387. *Carpathio*] est inter Rhodanum et Cyprum.

Vs. 388. *Caeruleus Proteus*] Quid hic velit, nescio. Si aqua est primum corpus, tunc bene convenit ad Protea. Ex aqua autem, id est, ex materia humida fiunt varia corpora. Omnia corpora ad extremum resolvuntur in prima, id est, in elementa, sicut etiam ex illis fiunt. Hoc fortasse significat Proteus.

Vs. 390. *Emathiae*] id est, Thessaliae.

Vs. 391. *Pallenem*] id est, Phlegram, patriam Gigantum.

Vs. 402. *Gratior umbra est*] Pulchra descriptio meridiei.

Vs. 415. *Diffudit*[21])] id est, ut conciperet quendam divinum impetum.

Vs. 416. *Perduxit*] id est, obduxit. Est sumptum vocabulum ab artificibus. Ita Persius inquit: Auroque sacratas perduxit facies, id est, er hat die statuas ubergult.

---

20) *Nysaeque*] sic Ed. 1544. in hoc comment.; in textu autem *Nesaee*; conf. Wagneri annot. crit. ad h. v.

21) *Diffudit*] sic Ed. 1544.; Ed. Wagner. *diffundit*.

Vs. 418. ***Habilis vigor***] id est, habilitas quaedam, id est, fuit multo celerior et agilior quam antea.

Vs. 425. ***Iam rapidus***] id est, iam erat meridies. ***Torrens***] id est, urens Aethiopas.

Vs. 427. ***Hauserat***] ☉ existente in ♋ vel ♌.

Vs. 430. ***Gens***] id est, pisces.

Vs. 431. ***Exultans***] id est, exiliens. ***Rorem amarum***] id est, rorem marinum, libanothida. Alii sic exponunt: ipse excussit undas et guttas maris a se.

Vs. 435. ***Acuunt***] id est, excitant.

Vs. 439. ***Manicis***] id est, vinculis manuum.

Vs. 447. ***Neque est***] id est, non potest te quicquam fallere.

Vs. 451. ***Glaucus***] Sicut nos Germani plerumque habemus glaucos et caeruleos oculos. Poeta finxit hanc fabulam, quae alibi nusquam est.

Vs. 461. ***Rhodopeiae***] E non eliditur Graeca consuetudine.

Vs. 462. ***Rhesi tellus***] id est, Thracia, ibi est Constantinopolis.

Vs. 463. ***Getae***] Proprie die Walachia.

Vs. 467. ***Taenarias fauces***] est profundissimus specus. Nam scribunt, quod in eum demissa sint longissimis funibus plumba; et tamen non potuerunt invenire fundum. Ideo etiam dicunt illic esse aditum ad inferos. ***Ostia Ditis***] Pulchra hypotyposis et commendatio eloquentiae. Videtis, quantae res nunc gerantur eloquentia.

Vs. 483. ***Eumenides***] Sic quoque Ovidius[22]) inquit:

> Tum primum lachrymis victarum carmine fama[23]),
> Eumenidum maduisse genas.

Vs. 484. ***Rota***] Ixion interfecit socerum, ideo istam poenam luit apud inferos.

Vs. 491. ***Respexit***] Ovidius[24]) haec omnia brevius descripsit:

> Avidusque videndi,
> Flexit amans oculos, et protinus illa relapsa est.

Vs. 510. ***Mulcentem***] Elegans est versiculus. Hoc facit magna eloquentia.

22) Ovid. Metam. X, 45 sq.

23) fama,] sic Ed. 1544; Ovid. Ed. Bipont.: fama est.

24) Ovid. Metam. X, 54 sq.

Vs. 517. ***Tanaimque***] In Muscovia vel Tartaria.

Vs. 520. ***Quo munere***] id est, propter quod officium. ***Ciconum***] id est, Thracum.

Vs. 524. ***Oeagrius***] Thracense flumen.

Vs. 525. ***Lingua***] Idem narrat Aristoteles in lib. de partibus animal.[25]) de quodam sacerdote occiso a latrone, cuius sacerdotis praecisi capitis lingua locuta est, et nominavit latronem. Id fortasse divinitus accidit, ut homicida ille ad poenam retraheretur.

Vs. 530. ***At non***] id est, Cyrene non destituit Aristaeum.

Vs. 534. ***Exitium***] Constructio est: Hinc Nymphae miserae apibus miserabile exitium.

Vs. 535. ***Napaeas***] Napi significat floridum pratum, inde Napaeus.

Vs. 543. ***Luco***] id est, sacello.

Vs. 545. ***Orphei***] Dativus Graecus, e et i coëunt.

Vs. 551. ***Intacta***] id est, non domitas.

Vs. 552. ***Post ubi***] id est, novendinale sacrum, sicut nos servamus octavas, sic veteres nonum diem servabant.

Vs. 557. ***Nubes***] id est, magna agmina apum.

Vs. 558. ***Uvam demittere***] id est, connexas apes botri figura. Ita Homerus[26]) inquit apes βοτρυδὸν considere, id est, botri figura. Idem etiam est apud Columellam.

Vs. 561. ***Euphratem***] Videtis scriptum esse istum librum, cum Caesar Augustus gereret bellum in Asia et Aegypto, victo Antonio, id est, iste liber est scriptus, cum iam Augustus regnassit annis 12. ***Volentes***] Illa est singularis commendatio. Significat iustum imperium Augusti, quia illi volentes populi obtemperabant. Xenophon in Oeconomia dicit esse summam laudem gubernatoris politici et oeconomici[27]) volentibus imperare, id est, quando subditi cogitant

25) Aristot. de partibus animal. III, 10.

26) Hom. Il. II, 89.

27) oeconomici] sic scripsi; Ed. 1544. oeconomicis.

suam salutem esse commendatam principibus, et veram iustitiam et sapientiam admirantur. Deus fecit tantum duo regimina, et illorum regiminum pulcherrimam imaginem impressit naturae humanae. Cor regitur consilio rationis. Illud est politicum et voluntarium imperium. Sed quia illam gubernationem politicam turbavimus propter vitium originis, ut cor non obtemperet rationi: ideo voluntas imperat locomotivae, quae sine ulla recusatione cogitur omnia facere. Illud imperium est regale, non est politicum. Dominus imperat servo, ut cogatur facere, quicquid dominus imperat. Ita est impressa duplex gubernatio naturae humanae civilis et servilis. Civilis est cordis et rationis, servilis est locomotivae. Servilis deinde est duplex. Alia est regia, alia tyrannica. Tyrannica est, quando membra externa faciunt aliquid reclamante ratione.

Vs. 564. *Parthenope*] id est, Neapolis. *Oti*] Ipsi vocaverunt otium vitam privatam, non esse in reipublicae administratione.

LXXXIX. PHIL. MEL. ENARRATIO AENEIDOS VIRGILII.

Melanthonis scholia marginalia in Aeneidos Virgilii libros inveniuntur in illis Operum omnium huius poetae editionibus 37 vel 38, quas supra p. 285—296. enumeravimus, ex quibus hasce 13 in manibus, tenemus: 1) Ed. *Basil.* 1533., 2) Ed. *Basil.* 1535., 3) Ed. *Hal. Suev.* 1540., 4) Ed. *Basil.* 1543., 5) Ed. *Tigur.* 1547., 6) Ed. *Basil.* 1551., 7) Ed. *Tigur.* 1561., 8) Ed. *Tigur.* 1570., 9) Ed. *Tigur.* 1577., 10) Ed. *Tigur.* 1581., 11) Ed. *Tigur.* 1587., 12) Ed. *Francof. ad Od.* 1599., 13) Ed. *Mogunt.* s. a., quarum extremam litt. *Mog.*, ceteras annorum numeris significabimus.

Hae Editt. in duas classes sunt distribuendae, quarum altera eas complectitur, quae Melanthonis scholia marginalia *integra* eaque in margine quidem *sola* continent; altera vero eas, quae illa scholia Mel. *partim mutata* et cum *aliorum* scholiis in margine *permixta* exhibent, illorumque *haud pauca omittunt*. Prioris classis sunt Editt. 1533., 1535., 1540., 1547. et *Mog.*; alterius vero ceterae Editt. Quam ob causam in notis criticis solas illas quinque Editt. afferemus. — Ex Mel. scholiis ea, quae nil nisi singulas voces textus in margine repetitas sine ulla adnotatione continent, omittemus.

IN VIRGILII AENEIDA
SCHOLIA PHILIPPI MELANTHONIS.

In Aeneidos librum I.

Duplex est Aeneidos argumentum: bella Aeneae et navigatio. Per navigationem civilis vitae et privatae exemplum exhibet. Bellis adumbrat Heroum vitam.

Vs. 1 [1]) *Arma virumque cano* etc.] Propositio totius operis [2]). Vs. 3. *multum ille* etc.] Emphasis. Vs. 6. *Inferretque Deos* etc.] Movet suspicionem impietatis. Vs. 8. *Musa mihi* etc.] Invocatio. Vs. 9. *Quidve dolens* etc.] Amplificatio a persona. Vss. 12 sqq. *Urbs antiqua* etc.] Exordium vel narratio, quae a loci descriptione sumpta ducitur per causas, propter quas Iuno remorata est Troianos. Vss. 25 sqq. *Necdum etiam* etc.] Subiungit alias causas. Vss. 36 sq. *cum Iuno* etc.] Occasio et consilium Iunonis. Vs. 37. *Mene incoepto* etc.] Propositio. *Nec posse* etc.] Ab exemplo a minori. Vs. 38. *Quippe vetor* etc.] Extenuatio. Vss. 47 sqq. *una cum gente* etc.] Comparationis applicatio vel exempli. Vss. 55 sqq. *Illi indignantes* etc.] Natura ventorum. Vss. 62 sq. *regemque dedit* etc.] Boni principis officium. Vss. 65 sq. *namque tibi* etc.] Exordium ab officio. Vss. 67 sq. *Gens inimica* etc.] Narratio. Vs. 69. *Incute vim* etc.] Petitio. Vss. 71 sqq. *Sunt mihi* etc.] Remuneratio. Vs. 75. *et pulchra* etc.] Matrimonii fructus. Vss. 78 sq. *Tu mihi* etc.] A beneficio. Vss. 84 sqq. *Incubuere mari* etc.] Descriptio subitae tempestatis. Boreae in hoc non meminit, quippe qui serenator sit. Vss. 94 sq. *O terque* etc.] Exclamatio constans comparatione. Vs. 96. *Contigit oppetere*] Arguit ab indignitate malorum. Vs. 102. *Aquilone*] Aquilonis meminit, quia impetuosus est ventus. Vs. 108. *Treis Notus.*] Distributio. Vs. 109. *Aras*] Quod eo loco foedus ictum est inter Romanos et Poenos, arae dicuntur. Est autem locus inter Africam et Sardiniam. Vs. 119. *gaza*] Gaza,

---

1) Versuum, quibus haec scholia in margine apposita sunt, numeros, quibus illae Editt. carent, ex Ed. Wagner. adscripsi et verba Virgilii, ad quae haec scholia pertinent, adieci.

2) Hoc scholion et sequens in Editt. et 1547. et Mog. desunt.

Persica vox, opes significat. Vs. 135. *Quos ego*] ἀποσιώπησις. *sed motos* etc.] Sedatur tempestas a Neptuno. Vs. 136. *Post mihi non* etc.] Increpatio [3]). Vss. 140 sq. *illa se iactet in aula* etc.] Per ἀντίθεσιν irridet Aeolum. Eius enim domum ironice modo aulam, modo carcerem per contemptum vocat. Vss. 148 sq. *Ac veluti magno* etc.] Descriptio seditionis. Vs. 152. *silent* etc.] Eloquentiae fructus. Vs. 156. *Flectit equos* etc.] Coaptatio. Vss. 162 sqq. *Hinc atque hinc* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 172. *optata potiuntur* etc.] Delati Troiani ad portum Africum. Vs. 176. *rapuitque in f. flammam*] ἀντονομασία. Vss. 180 sqq. *Aeneas scopulum* etc.] Describit principem non tam sui, quam suorum curam agere. Vs. 188. *Achates*] Achates comes Aeneae fingitur; ἄχος enim dolor est, et Aeneas semper suorum curam habuit. Vs. 198. *O socii* etc.] Oratio Aeneae consolationis plena, qua bonus princeps suos hortatur ad patientiam, et suadet hilaritatem, quod iam ante tot mala feliciter superaverint, futurum, ut exsuperent et illud. Vs. 213. *Littore ahena* etc.] περίφρασις. Vs. 215. *Implentur* etc.] ἀντονομασία. Vss. 223 sqq. *Et iam finis erat* etc.] Iovem habere curas humanarum divinarumque rerum fingit. Est autem alienus locus insertus, ut commodius ordinem operis ac historiae insinuaret. Vss. 231 sqq. *Quid meus* etc.] Interrogatio propositionis vice. Vs. 239. *Solabar, fatis* etc.] Argumentum a fatis. Vs. 242. *Antenor potuit* etc.] Ab exemplo, et a minori ad maius. Vs. 250. *Nos, tua* etc.] Applicatio. Vs. 253. *Hic pietatis* etc.] Exclamatio. Vs. 261. *Hic tibi* etc.] Respondet Iupiter Veneri inconstantiae obiectionem diluens. Est autem continua quaedam narratio, qua summa Romanae historiae ab Aenea usque ad Augustum complectitur. Vs. 275. *Inde lupae* etc.] Regnum Romanorum. Vss. 284 sq. *Phthiam* etc.] Graeciam intelligit, quae diruta est a Mummio consule. Vs. 286. *Nascetur pulchra* etc.] Re vera autem credidit se ab Iulo ortum traxisse Caesar; ob id impensius Venerem colebat. Vss. 297 sqq. *Haec ait* etc.] Prosequitur historiam de Aenea. Vs. 305. *per noctem*] οὐ χρὴ παννύχιον. Vss. 315 sq. *arma Spartanae*] Miro consilio fingit similem habitum Spartanae virginis, et Thraciae. Instituit enim Lycurgus cum iuvenes, tum virgines palaestrae operam dare. Vide Plutarchum in Lycurgo[4]). Vss. 327 sq. *O quam te memorem* etc.] A persona virginis captat benevolentiam ulterius quaerendi. Vs. 334. *Multa tibi* etc.] A gratiarum actione. Vss. 340 sqq. *Inperium Dido* etc.] Origo Carthaginiensis regni. Vs. 349. *Impius ante* etc.] Impietatis et tyrannidis exemplum. Vss. 353 sqq. *Ipsa sed* etc.] πάθος a circumstantiis. Vs. 361. *Conveniunt* etc.] Animus plebis in tyrannum. Vs. 372. *O Dea* etc.] πάθος. Vss. 373 sq. *Et vacet annales* etc.] Attentio. Vss. 375 sqq. *Nos Troia* etc.] Narratio Aeneae. Vs. 378. *Sum pius* etc. Pietas. Vs. 383. *Euroque*] Eurus inter orientis stationem et septentrionem versatur. Recte igitur hic Euri meminit, quem secundum ventum habuerunt in Africam. Vs. 399. *Haud aliter* etc.] Adaptatio. Vs. 402. *Dixit, et avertens* etc.] Conclusio. Vs. 410. *Talibus incusat* etc.] Redit ad historiam. Vss. 411 sqq. *At Venus* etc.] Homericum est, qui fingit Ulyssem circumdari nebula a Minerva etc. Odyss. 7. [5]). Vs. 417. *Thure calent*] Thus in Arabia crescit. Vs. 425. *et concludere fulco*] Alludit ad veterem morem, quo sulcus ducebatur tanto spatio, quanto urbs futura esset. Vss. 428 sq. *immanesque columnas* etc.] Portus, in quibus possent commercia fieri mercimoniis advectis et caetera. Vs. 437. *O fortunati* etc.] Paululum reflectit ab historia. Vs. 441. *Lucus in urbe* etc.] τοποθεσία. Vs. 443. *signum*] Portentum. Vs. 446. *Sidonia Dido*] Dido, dicta Sidonia, a Sidone, quae civitas primum fodit metalla. Vs. 457. *Bellaque* etc.] πάθος. Vs. 465. *largoque humectat* etc.] Hyperbole. Vs. 468. *Hac Phryges* etc.] Fingit Homerus omnes Troianos ab Achille solo fugari, Graecos ab Hectore. Vs. 482. *Diva solo* etc.] Vis invidiae. Vs. 485. *Tum vero* etc.] πάθος a circumstantiis. Vss. 489 sq. *Eoasque acies* etc.] Memnon, quia ab oriente venerat, Aurorae filius fuisse legitur. Historiam autem Memnonis et Amazonum vide apud Quintum Calabr. [5a]). Vs. 496. *Regina ad templum* etc.] Comparatione explicat formam Didonis. Vs. 507. *Iura dabat* etc.] Officium regis. Vs. 514. *Laetitiaque metuque*] In re nova et dubia adiungit fere hos

3) Hoc schol. in Editt. 1533., 1535. deest.

4) Plutarch. vita Lycurgi c. 14.

5) Hom. Od. VII, 14 sqq.

5a) Quintus Calaber poeta saec. VI. scripsit Paralipomena Homeri.

duos affectus. Vss. 517 sq. *Quae fortuna* etc.] Omnia generis deliberativi. Vs. 522. *O regina*, etc.] Salutatio, qua benevolentiam captat. Vs. 524. *Troes te miseri* etc.] Propositio. Vs. 527. *Non nos aut* etc.] Occupatio, qua confutat, quae a Didone obiici poterant. Vs. 529. *Non ea vis* etc.] Confutatio a persona Troianorum. Vs. 539. *Quod genus hoc* etc.] Per admirationem patheticam Didonem hortatur ab honesto, quod iure gentium nemini negetur hospitium. Vs. 548. *Non metus*,] A gratitudine. Vs. 551. *Quassatam* etc.] Peroratio. Vs. 555. *Sin absumpta* etc.] ἀποστροφή ad Aeneam. Vs. 561. *vultum demissa*] Decorum. Vs. 562. *Solvite corde* etc.] Consolatio. Vss. 563 sq. *Res dura*, etc.] Excusatio a necessario. Vs. 565. *Quis genus* etc.] A persona Troianorum, quos dignos esse dicit hospitio. Vs. 571. *Auxilio tutos* etc.] Pollicitatio. Vss. 572 sq. *Vultis et his* etc.] Hospitalitas. Vs. 575. *Atque utinam* etc.] πάθος. Vs. 582. *Nate Dea*] πάθος. Vs. 591. *et laetos oculis*.] Amoris sedem esse oculos, veteres poetae dixerunt. Vss. 592 sqq. *Quale manus* etc.] Ex abrupto orditur, significans insperatum et improvisum apparere. Vss. 601 sqq. *Non opis est nostrae* etc.] Agit gratias, quas potest, artificioseque utitur extenuatione. Vs. 607. *In freta dum* etc.] Amplificatione declarat se memorem fore. Vs. 611. *Ilionea petit* etc.] Hoc pertinet ad decorum. Vss. 617 sq. *Tune ille Aeneas* etc.] Per interrogationem devenit in Aeneae laudes. Vs. 621. *Auxilio Beli*] Belus, nomen appellativum, quod regem notat, alias Baal dicitur. Vs. 625. *Ipse hostis* etc.] Laudis exaggeratio ab hoste laudatore. Vs. 630. *Non ignara* etc.] Νόημα. Vs. 637. *At domus* etc.] Apparatus convivii. Vs. 643. *Aeneas* etc.] πάθος. Vs. 646. *Omnis in Ascanio* etc.] ᾿επιφώνημα, id est, acclamatio superioris sententiae. Vs. 655. *Baccatum*.] Bacca, inter uniones gemma nobilissima. Vs. 657. *At Cytherea* etc.] Digressio. Vss. 659 sq. *donisque furentem*] Ratio consilii. Vss. 664 sqq. *Nate, meae* etc.] Narratio et expositio rei gestae. Captat autem benevolentiam a persona et potentia Cupidinis. Vs. 677. *Regius accitu* etc.] Consultatio ab occasione. Vs. 684. *Falle dolo* etc.] A facili. Vs. 700. *stratoque super discumbitur* etc.] Discumbunt in lectis, veteri more. Vs. 712. *devota*] Devovere est penitus se addicere alicui rei. Vs. 716. *Et magnum* etc.] Affectus. Vss. 717 sqq. *Reginam petit*] Vis amoris. Vs. 722. *Iam pridem* etc.] Convivii prolixi mos. Vs. 724. *Crateras magnos*] Κοῦροι δὲ κρατῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. Vs. 731. *Iuppiter*] Iupiter ξένιος. Vss. 732 sqq. *Hunc laetum* etc.] Votum, quod fiebat apud veteres, dum libabant Diis vina. Vs. 740. *cithara* etc.] Musica utebantur et Graeci et Romani in conviviis. Vs. 751. *Nunc quibus* etc.] Memnon, rex Orientalium, quem Titonus, frater Laomedontis, ex Aurora sustulit.

In Aeneidos librum II.

Vs. 1. *Conticuere omnes* etc.] Exordium et captatio benevolentiae a commiseratione. Vs. 6. *Et quorum pars* etc.] πάθος a se ipso. Vs. 7. *Myrmidonum* etc.] A maiori. Vs. 10. *Sed si tantus* etc.] Castigatio. Vss. 13 sqq. *Fracti bello* etc.] Narratio. Vs. 21. *Est in conspectu* etc.] A descriptione loci. Vss. 29 sq. *Hic Dolopum* etc.] Demonstratio. Vs. 34. *Sive dolo* etc.] Suasio et dissuasio. Vs. 36. *Aut pelago* etc.] Inimicorum dona suspecta et inauspicata. Vs. 49. *Quicquid id est* etc.] ἐπιφώνημα. Vs. 54. *Et si fata* etc.] Amplificatio per digressionem. Vs. 60. *Hoc ipsum ut* etc.] A minori arguit, quod dicit: Si tantum dolis efficere potuit unus; si non, quid multi, vel omnes Graeci parare videbantur. Vs. 71. *Cui neque* etc.] Notat supplicem fuisse, et illusioni aptum. Vs. 76. *Ille haec*] Attentio. Vs. 77. *Cuncta equidem*] Insinuatione dubiae fidei suspicionem removet. Vs. 82. *Palamedis*] Palamedis historiam inducit, quo verisimiliorem reddat narrationem. Vs. 99. *In vulgum*] Nota *vulgus* generis masculini. Vs. 101. *Sed quid ego* etc.] ἀποσιώπησις. Vs. 103. *Idque audire* etc.] Peroratio. Vs. 108. *Saepe fugam* etc.] Fide conciliata proditionem aggreditur. Vs. 116. *virgine causa*] Iphigenia. In Aulide enim Agamemnonis filiam mactabant. Vs. 120. *Obstupuere* etc.] Subiti pavoris descriptio. Vs. 132. *Iamque dies* etc.] Ritus sacrorum. Vs. 137. *Nec mihi iam* etc.] Affectu commiserationem movet, loco perorationis. Vs. 141. *Quod te, per* etc.] Petitio a pietate. Vs. 146. *Ipse vero primus* etc.] Temeritatem regis notat, atque adeo uti omnem culpam vel in Deos, vel in ipsum miserum regem reiiciat. Vs. 154. *Vos, aeterni ignes*, etc.] Propositio. Vs. 155. *Testor numen* etc.] Iuramento fidem aucupatur. Est autem

insinuatio [6]) per obtestationem. Vs. 162. *Omnis spes* etc.] Narratio. Vs. 167. *Corripuere* etc.] Amplificatio. Vss. 169 sq. *Ex illo fluere* etc.] Impietatis poena. Vs. 172. *Vix positum* etc.] Confirmatio. Vss. 173 sq. *salsusque — sudor*] Omnis namque sudor salsus est. Vs. 178. *Omnia ni repetant* etc.] Sumptum hoc est ex disciplina Romana, ubi repetebantur auspicia, si quid male publice cessisset. Vs. 183. *Hanc pro Palladio* etc.] Artificioso utitur commento, ut sub religionis specie Troianis imponat. Vs. 193. *Ultro Asiam* etc.] Alludit ad Romanorum imperium, qui Troiani sunt. Vss. 195 sq. *Talibus insidiis* etc.] Epilogus. Vss. 197 sq. *Quos nequeo* etc.] Amplificatio a maiori. Vs. 201. *Laocoon, ductus* etc.] Nova narratio. Vs. 202. *taurum*] Taurus proprie Neptuno dicatus fertur. Vs. 210. *Ardentesque* etc.] ὑποτύπωσις serpentum [7]). Vs. 223. *Quales mugitus*] A simili comparatio. Vs. 228. *Tum vero* etc.] Exemplum superstitionis. Vss. 230 sqq. *sacrum qui* etc.] Poena impietatis. Vs. 241. *O patria* etc.] Exclamatio, quae interposita est movendi affectus gratia. Vs. 246. *Tunc etiam* etc.] Nota obiter locum divini fati et voluntatis, quae hominum mentes obcaecat. Vs. 265. *Invadunt urbem* etc.] Versiculus emphaticus. Vs. 268. *Tempus erat* etc.] Descriptio initii noctis. Vs. 272. *Raptatus bigis* etc.] Auget hic amplificationem per comparationem. Vss. 279 sq. *ultro flens* etc.] Desiderantis animi significatio. Vs. 289. *Heu fuge* etc.] Propositio. Vs. 290. *Hostis habet* etc.] Utile. Honestum. Vs. 291 sq. *Sat patriae* etc.] A maiori, cum a me non posset defendi Troia, quanto minus a vobis. Vs. 296. *Vestamque*] Quo Vesta colebatur, quod omnia fere calore nutriantur naturali. Vs. 304. *In segetem veluti* etc.] Comparatio humilis. Vss. 324 sqq. *Venit summa* etc.] Copiose et cum energia Troiae excidium explicat. Vs. 337. *Erinnys*] Ab ἐρυννάω dicta, id est, mordeo, consumo. Vs. 341. *Coroebus*] Huic Coroebo fuit desponsata Cassandra. Vss. 348 sqq. *Incipio super his* etc.] A rei necessitate et ab honesto hortatur Aeneas socios ad patriam defendendam quoquo modo. Vs. 354. *Una salus* etc.] ἐπιφώνημα. Vss. 355 sq. *inde lupi ceu* etc.] Comparatio. Vss. 356 sq. *ventris — rabies*] Rabiosissima res fames, et ob hoc malesuada dicta. Vs. 361. *Quis cladem* etc.] Exclamatio. Vss. 363 sqq. *Urbs antiqua* etc.] Ab affectu Troiae casum miserabiliorem reddit. Vs. 367. *Quondam* etc.] γνώμη. Vs. 373. *Festinate viri* etc.] Increpatio ab exemplo. Vs. 374. *rapiunt — feruntque*] Ἄγουσι καὶ φέρουσι. Vs. 386. *Coroebus*] In Coroebo notat impotentis et inconsulti animi iuvenem, qui prosperis nimium efferatur. Vs. 389. *Danaumque insignia*] Graeci Minervam, Danai Apollinem ferebant [8]). Vs. 402. *Heu nihil invitis* etc.] γνώμη. Vs. 403. *Ecce trahebatur* etc.] Nova narratio, quae ornatus gratia interponitur. Vs. 407. *Non tulit hanc* etc.] Amoris impatientis exemplum. Vs. 416. *Adversi rupto ceu* etc.] Comparatio ducta a ventis. Vs. 425. *Divae armipotentis*] Homerus solet cuique vel rei vel homini epitheton addere; hunc Virgilius imitatus, Divam armipotentem vocat. Vs. 431. *Iliaci cineres* etc.] Obtestatio, qua perite Virgilius proditionis amovet ab Aenea suspicionem. Vs. 435. *Iphitus et Pelias* etc.] Redit ad narrationem. Vs. 460. *Turrim in praecipiti*] Huius turris meminit et Homerus [9]). Vs. 469. *Pyrrhus*] Ferocis animi naturam in Pyrrho notat. Vs. 477. *Scyria pubes*] Quam Achilles ex Scyro Cycladum duxit. Vs. 488. *ferit aurea sidera* etc.] ὑπερβολή. Vs. 490. *Amplexaeque* etc.] πάθος. Vs. 492. *labat*] Labare. verbum est emphaticum. Vs. 496. *Non sic aggeribus* etc.] Comparatio Homerica [10]). Vs. 499. *Cum stabulis* etc.] Late redit a comparatione ad institutum. Vss. 503 sq. *Quinquaginta* etc.] πάθος a loco. Vs. 506. *Forsitan* etc.] Nova narratio. Vss. 519 sq. *Quae mens* etc.] Increpat Hecuba consilium mariti ab impossibili. Vs. 526. *Ecce autem* etc.] Nova narratio. Vs. 535. *At tibi pro* etc.] Obtestatur Deos cum increpatione. Vss. 537 sqq. *Persolvant* etc.] Circumstantiae loci et personae. Vs. 540. *At non ille* etc.] A dissimili. Vs. 547. *Referes* etc.] Per amarum iocum irridet Priamum iam victum. Vs. 555. *Troiam incensam* etc.] Affectus a loci circumstantia. Vs. 558. *Avulsumque* etc.] ἐπιφώνημα movens commiserationem. Vss. 564 sqq. *Respicio: et quae* etc.] πρέπον. Bonus im-

6) insinuatio] sic Editt. 1535—1547. et Mog.; Editt. 1533. sinuatio.

7) serpentum] sic Editt. 1547. et Mog.; Editt. 1533., 1535. serpentium; in Ed. 1540. hoc schol. deest.

8) Hoc schol. in Editt. 1533., 1535. deest.

9) Hom. Il. XXI, 526.

10) Conf. Hom. Il. V, 87 sqq.

perator non cedere debet, nisi ex necessitate. Vss. 567 sqq. *Iamque adeo* etc.] Sequentes viginti duos versus quidam ceu non genuinos omittunt[11]). Vss. 568 sq. *Servantem* etc.] Facit narrationem probabilem. Vs. 575. *Exarsere ignes* etc.] Ira sanguinis ardor circa cor est. Vss. 577 sqq. *Scilicet haec* etc.] Argumenta affectus per ironiam. Vs. 583. *Non ita* etc.] Praesumptio aut occupatio. Vs. 590. *et pura* etc.] Deorum auxilium. Vs. 594. *Nate, quis* etc.] Oratio Veneris, qua Aeneam hortatur, ut pietatis magis rationem habeat. Vs. 601. *Non tibi* etc.] Translatio. Vs. 608. *Hic, ubi* etc.] Dicitur Troia tempore belli terrae motu concussa, quod crebrius accidere solet maritimis urbibus. Vs. 626. *Ac veluti* etc.] Comparatio. Vs. 632. *Deo*] Nota, Deus, pro Venere. Vss. 634 sqq. *Ast ubi iam* etc.] Decorum; decuit enim senem et principem non superesse excisae patriae; nec boni principis est, privatam salutem optare republica perdita. Vss. 646 sq. *Exuviasque petet* etc.] Comprobatio. Vss. 647 sqq. *Iam pridem* etc.] Propter concubitum Veneris fulmine petitus et tactus est Anchises. Vs. 657. *Mene efferre* etc.] Decorum servat, increpatque parentem aspera oratione, ab inhonesto. Vs. 662. *Iamque aderit* etc.] Ab exemplo. Vs. 664. *Hoc erat* etc.] Aversio ad Venerem. Vs. 668. *Arma viri* etc.] Solatium. Vss. 673 sq. *Ecce autem* etc.] Affectus uxoris. Vs. 675. *Si periturus* etc.] Decorum[12]). Vs. 680. *Cum subitum* etc.] Prodigium hoc significat regem fore Ascanium. Et huic simile quoddam dicitur de Servio Tullo. Vs. 689. *Iupiter omnipotens* etc.] Superstitiosa Anchisae petitio. Vs. 693. *Intonuit laevum*] Sinistra tonitrua prospera erant. Vs. 695. *Illam, summa* etc.] Fortassis hic alludit ad cometam Iulii Caesaris [12a]). Vs. 707. *Ergo age* etc.] Exemplum pietatis. Vs. 713 sqq. *Est urbe* etc.] Descriptiones temporum et locorum videntur aliquid evidentiae addere orationibus. Vs. 718 sqq. *Me bello* etc.] Religio enim erat, non nisi lotis manibus sacra facere vel attingere. Vs. 723. *Succedoque* etc.] Decorum [13]). Vs. 727. *Tela, neque* etc.] Fortis viri est non pertimescere; pii, pertimescere propter alienum periculum. Vss. 735 sq. *Hic mihi nescio* etc. Amovet suspicionem negligentiae. Vs. 738. *Heu misero*] Coniugem describit amissam. Vss. 745 sq. *Quem non* etc.] πάθος. Vss. 749 sqq. *Ipse urbem* etc.] Exemplum amoris coniugalis. Vs. 761. *asylo*] Asylum locus est, quo quisque se tuto potest recipere; hinc enim neminem extrahi licet, neque depraedari. A verbo συράω, id est, traho, vel σιλεύω, id est, praedor. Vss. 775 sqq. *Tum sic* etc.] Obiurgatio. Vss. 777 sqq. *non haec sine* etc.] Ratio. Vss 780 sq. *Longa tibi* etc.] Vaticinia. Vss. 785 sqq. *Non ego* etc.] Mortuam innuit et sepultam terra detineri. Vs. 788. *magna Deûm genitrix*] quae Ops et Cybele dicitur. Vss. 793 sq. *imago, Par levibus* etc.] Spiritus descriptio.

In Aeneidos librum III.

Vs. 1. *Postquam res* etc.] Transitio. Commiserationem movet ab effectu [14]). Sicut in secundo libro descripsit poeta excidium Troiae: ita hic navigationem; praecipue considerandi mores, et situs gentium. Vs. 18. *Aneadasque*] Est enim oppidum in Thracia Aèneadum nomine. Vs. 26. *Horrendum*] Prodigium horrendum. Vs. 30. *Membra quatit* etc.] Natura timoris. Vs. 35. *Gradivumque patrem*] Martem a grassando, quia bello grassatur. Vss. 39 sqq. *gemitus* etc.] Conquestus de sepulchro Polydori. Vs. 54. *Res Agamemnonias*] Impietas. Vs. 55. *Fas omne abr.*] Iura hospitalitatis fregit. Vs. 62. *Ergo instauramus* etc.] Mos expiandorum manium, qui non perfuncti sunt legitimo funere. Vs. 64. *atraque cupresso*] Cupressus mortis symbolum. Vs. 72. *Provehimur portu* etc.] Deli descriptio. Vs. 83. *Iungimus hospitio*] Hospitalitas et amicitia. Vs. 84. *Templa Dei* etc.] Religio Aeneae. Vs. 90. *Vix ea fatus* etc.] Alludit ad timorem vaticinantium. Vs. 91. *laurusque Dei*] Solebant Phoebi sacerdotes lauri foliis comestis vaticinari. Vss. 102 sqq. *Tum genitor* etc.] Oraculum falso interpretatur Anchises. Vs. 104. *Creta Iovis* etc.] Narratio. Vs. 111. *Cybele*] Cybele a rotunditate dicta, terram significat. Vs. 115. *Cnosia regna*] Cnosis urbs

11) Sequentes — omittunt.] sic Editt. 1533., 1535.; Editt. 1540., 1547. et Mog. Duos et viginti, qui sequuntur versus, quidam ceu non nuinos, hoc loci obmittunt.

12) Hoc schol. in Editt. 1547. et Mog. deest.

12a) Haec spectare videntur ad ea, quae Plutarchus in vita Iulii Caesaris c. 63. narrat.

13) Hoc schol. ab Editt. 1547. et Mog. abest.

14) effectu.] sic. Editt. 1535 — 1547., Mog.; Ed. 1533. affectu.

Cretae insignis. Vs. 121. *Fama volat* etc.] Occasionem recenset vacantis regni Cretici, verisimiliorem narrationem reddens. Vs. 136. *Connubiis* etc.] Periphrases poeticae. Vss. 137 sqq. *subito cum tapida* etc.] Pestis descriptio. Vs. 141. *tum steriles* etc.] Pestilentiam insequitur fames. Vss. 143 sq. *Rursus ad oraculum* etc.] Apolline enim irato, pestis credebatur esse. Vs. 147. *Nox erat* etc.] A temporis descriptione. Vs. 154. *Quod tibi* etc.] Penates edocent in somnis Aeneam, quo tendat. Vs. 163. *Est locus* etc.] A loco. Vs. 168. *Iasiusque pater*] Frater Dardani, quem cum occidisset, primum in Cretam, deinde ad Phrygiam pervenit. Vs. 179. *Anchisen facio certum*] Aeneas patri visa narrat. Vs. 182. *Tum memorat* etc.] Iubet Italiam petere. Vs. 191. *cava trabe*] Navis περίφρασις. Vs. 194. *Tum mihi*] Tempestatis descriptio. Vs. 209. *ex undis Strophadum*] In Strophadas pervenit. Vs. 212. *Harpyiaeque colunt* etc.] Fabula Harpyiarum. Vs. 216. *Virginei volucrum vultus*] Consensu scriptorum volunt poetae per Harpyias furias significare vel latrones; est enim ἁρπάζω rapio [15]). Vs. 223. *In partem praedamque* [16]) *Iovem*] Dabantur enim Iovi praedarum decimae. Vs. 231. *Instruimus mensas* etc.] Veteres enim, quoties epulabantur, libabant laribus. Vs. 239. *dat signum sp. Misenus*] Misenus cecinit classicum. Vss. 247 sqq. *Bellum etiam pro* etc.] Vaticinium Harpyiae dirum et amarum; praedicebat enim mala in terra, quam summe expetebant Troiani. Vss. 270 sq. *nemorosa Zacynthos* etc.] Insulae sunt sub imperio Ulyssis. Vs. 280. *Actiaque Iliacis* etc.] Alludit ad ludos Actiacos institutos ab Augusto Caesare, devicto Antonio ad Actium, in honorem Apollinis. Vs. 297. *Et patrio Andromachen.*] Ex Thebis Lydiis erat Andromache. Vs. 301. *Solemnes quum* etc.] Observabat barbarorum morem in cremandis cadaveribus. Vs. 306. *Ut me conspexit* etc.] Subiti eventus. Vs. 313. *Implevit clamore* etc.] πάθος. Vs. 321. *O felix una* etc.] Oratio affectuosa, quam ducit ab exemplo, simul casum suum explicans. Vs. 327. *Servitio enixe* etc.] Achillis vel Apollinis. Vs. 332. *patriasque — ad aras*] Pyrrhus enim patrem suum pro deo colebat. Vs. 339. *Quid puer* etc.] περισσολογία. Vs. 341. *Ecqua tamen*] Muliebris cura. Vs. 347. *Agnoscitque suos* etc.] Helenus Troianos in hospitium ducit. Vs. 358 sqq. *His vatem* etc.] Ab Heleno Aeneas petit consilium. Vs. 366. *Prodigium canit*] Prodigium in malam partem sumitur. Vs. 371. *Sacrati capitis*] Sacra. Vs. 374. *Nate Dea* etc.] Helenus praemonet Aeneam de omnibus. Vs. 379. *Expediam dictis* etc.] Ut connubium Didonis, tempestatem in mari Siculo, patris mortem et alia. Vs. 392. *Alba solo* etc.] Albae origo. Vs. 396. *Has autem terras* etc.] Docet Italiae partem versus Graeciam vitandam. Vs. 403. *Quin, ubi transmissae* etc.] Peregrina sacra. Sacravit enim Aeneas patrio ritu. Vs. 415. *Tantum aevi* etc.] ἐπιφώνημα. Vs. 420. *Dextrum Scylla* etc.] Monstra explicat Scyllae et Charybdis. Vs. 424. *At Scyllam caecis* etc.] Fortassis alludit ad historiam, qua scribitur Scylla piratica classis fuisse, quae sit insidiata navibus hospitum. Vs. 444. *foliisque*] Folia Sibyllae. Vs. 445. *carmina*] Vaticinia carmine heroico complectebantur. Vs. 461. *Haec sunt* etc.] Epilogus. Vs. 462. *Vade age*] Hortatio. Vs. 474. *Quem Phoebi* etc.] Valedictio. Vs. 479. *Ausoniae pars illa*] Demonstratio. Vs. 482. *Nec minus* etc.] πάθος. Vs. 483. *Fert picturatas* etc.] Tanta donat, quanta merebatur. Vs. 486. *Accipe et haec* etc.] Ascanii dignitas. Vs. 490. *Sic oculos* etc.] Amplificatio per distributionem. Vs. 493. *Vivite felices*] Valedictio per gratulationem. Vs. 500. *Si quando Thyberim* etc.] Alludit ad amplitudinem Romani imperii. Vs. 508. *Sol ruit*] Temporis descriptio. Vs. 516. *Arcturum* etc.] Sidera septentrionalia, quae nautae observant. Vs. 522. *humilemque*] Aqua enim altior est terra. 525. *cratera corona*] Mos coronandi pocula. Vs. 529. *Ferte viam vento* etc.] Votum Anchisae; huic sacrorum curam assignat Virgilius, quia senior. Vs. 540. *Bello armantur* etc.] Reddit rationem. Vss. 548 sqq. *Haud mora* etc.] Regrediuntur Troiani ex Italia, petituri alterum latus. Vs. 554. *Trinacria Aetna*] Trinacria Aetna, a tribus promontoriis. Vs. 560. *Eripite, o socii*] ὑποτύπωσις. Vs 563. *Laevam cuncta* etc.] Describit, quam propinqua fuerit Charybdi navis. Vs. 571. *sed horrificis* etc.] Descriptio Aetnae. Vs. 583. *monstra*] Sicilia monstrifica. Vs. 591. *Ignoti nova f. viri*] Achaemenides. Vs. 595. *Et quondam* etc.]

---

15) est enim ἁρπόζω rapio.] sic Editt. 1533., 1535.; Editt. 1540., 1547. et Mog. ἁρπάζω enim rapio est.

16) *In partem praedamque*] sic Ed. Wagner.; illae antiq. Editt. *In praedam partemque.*

Decorum. Vs. 599. *Cum fletu* etc.] Insinuatio. Vs. 602. *Hoc sat erit* etc.] Confutatio. Vs. 607. *et genua amplexus* etc.] Observa veterem supplicandi ritum. V. 614. *Nomine Achaemenides*] Qui sit. Vs. 616. *Hic me, dum* etc.] Cur hic sit. Vss. 618 sq. *domus sanie* etc.] Descriptio antri Cyclopis. Vs. 620. *Sidera* etc.] Exclamatio. Vs. 628. *Haud impune* etc.] Hoc demum est sapere, in periculo sapere. Vss. 646 sqq. *Cum vitam* etc.] Commiserationem movet a circumstantiis. Vs. 653. *Addixi*] Addicere est se dedere in servitutem alterius. Vs. 663. *Luminis* etc.] πάθος. Vss. 672 sq. *quo pontus* etc.] ὑπερβολή. Vs. 679. *quales cum vertice*] Comparatio. Vs. 694. *Ortygiam*] ὀρτύγιον Graeci dicunt, quicquid venustum est. Vs. 701. *Camerina*] Camerina, urbs prope paludem. Vss. 710 sq. *Hic me pater* etc.] ἀποστροφή ad patrem; dicit enim eum frustra ereptum ex periculis, quia Italiam non contigit petere. Vs. 717. *Fata renarrabat*] Epilogus.

In Aeneidos librum IV.

In hoc libro plus est elegantiae quam eruditionis; in V. et VI. plus eruditionis. Vss. 3 sqq. *Multa viri virtus* etc.] Argumenta, quibus potest moveri. Totus hic liber affectibus constat. Vim enim amoris in persona Didonis graphice depingit, et ratio variorum affectuum in hoc libro docetur. Exordio insinuatione utitur, qua Aeneam laudat; aequius igitur censet, ut talem amet. Vs. 23. *Agnosco veteris* etc.] Obtestatio, in qua rationis consilio appetitui aliquantulum resistit. Vs. 28. *Ille meos* etc.] Peroratio. Vs. 31. *O luce* etc.] Salutatio. Vs. 32. *Solane perpetua* etc.] Obiurgatio vice propositionis. Vs. 34. *Id cinerem* etc.] Confutatio ab inutili. Vs. 39. *Nec venit in m.* etc.] A necessario. Vs. 45. *Diis equidem* etc.] A praeiudiciis. Vs. 47. *Quam tu urbem* etc.] A consequentibus. Vs. 50. *Tu modo posce* etc.] Peroratio. Vs. 52. *Orion*] Orion adversus navigantibus. Vs. 60. *Ipsa tenens* etc.] Iuno pronuba. Vs. 65. *Heu vatum ignarae* etc.] Exclamatio. Vs. 74. *Nunc media* etc.] Amplificatio. Vs. 76. *Incipit effari* etc.] Vis amoris. Vs. 80. *Post ubi* etc.] πάθος. Vs. 86. *Non coeptae* etc.] Negligentes reddit amor. Vss. 90 sqq. *Quam simul* etc.] Ironia, qua argumentum a turpi proponit. Vs. 95. *Una dolo* etc.] A causa inhonesta. Vs. 99. *Quin potius* etc.] Consilium. Vs. 101. *Ardet amans* etc.] A facili, antecedenti et opportuno. Vs. 102. *Communem hunc* etc.] Epilogus. Vs. 108. *aut tecum* etc.] Venus approbat sententiam Iunonis. Vs. 115. *Mecum erit* etc.] Narratio et consilium. Vs. 118. *In nemus ire* etc.] A circumstantiis facilitatem rei ostendit. Vss. 121 sqq. *Dum trepidant* etc.] Astutia Iunonis. Vs. 128. *Annuit, atque* etc.] Venus annuit. Vs. 135. *Stat sonipes* etc.] Plenus et sonorus versus. Vs. 143. *Qualis ubi* etc.] Comparat Aeneam Apollini, praesertim propter habitum pharetrae. Vs. 146. *Cretesque Dryopesque*] Hic poeta videtur imitatus fuisse Callimachum. Vs. 152. *Ecce ferae* etc.] Descriptio venationis. Vs. 158. *Spumantemque* etc.] Observa iuvenilem affectum, maiora viribus optantem. Vs. 165. *Speluncam Dido* etc.] Coniugium Didonis et Aeneae. Vss. 167 sq. *Dant signum* etc.] Prodigia inauspicatarum nuptiarum. Vs. 174. *Fama, malum* etc.] Excursus famae, et est προσωποποιΐα. Vs. 188. *Tam ficti pravique* etc.] Fama omnia depravat atque exaggerat. Vs. 208. *Adspicis haec?* etc.] Increpatio. Vs. 211. *Femina, quae* etc.] A sexu. Vss. 212 sqq. *cui littus* etc.] A circumstantiis indignationem movet. Vs. 215. *Et nunc ille* etc.] A persona Aeneae. Vs. 216. *Maeonia mentum* etc.] Alludit ad Phrygios sacerdotes Cybeles. Vs. 223. *Vade age*] Propositio. Vs. 227. *Non illum* etc.] A persona Aeneae. Vs. 229. *Sed fore* etc.] Ab honesto. Vs. 232. *Si nulla accendit* etc.] A persona filii. Vs. 235. *Quid struit?* etc.] Interrogatio. Vs. 237. *haec summa est*] Epilogus. Vss. 239 sqq. *et primum pedibus* etc.] Mercurii habitum, quem hic describit, et ad sermonis et eloquentiae naturam referas, qua nihil velocius neque validius. Vss. 247 sq. *Atlantis duri* etc.] Montem excelsum depingit. Vs. 262. *Tyrioque* etc.] Proprie describit purpuram. Vs. 266. *Fundamenta locas* etc.] Propositio. Vs. 268. *Ipse Deûm* etc.] πάθος. Vs. 269. *Regnator* etc.] Narratio. Vs. 272. *Si te nulla* etc.] Argumentum ab honesto. Vs. 278. *Et procul* etc.] Homericum est; finguntur enim Dii venti quidam illi. Vs. 285. *Atque animum* etc.] Anceps animum. Vs. 300. *Saevit inops* etc.] Furibundum amorem nota. Vs. 305. *Dissimulare* etc.] Propositio per increpationem. Vs. 309. *Quin etiam hyberno* etc.] Ab intempestivo. Vs. 312.

Ignotas peteres] A maiori. Vs. 314. *Mene fugis*] Precatio. Vs. 317. *Si bene quid* etc.] A merito et honesto. Vss. 318 sq. *Dulce meum* etc.] Movet affectus a funeris calamitatibus. Vs. 327. *Saltem si qua* etc.] Extenuatio. Vs. 331. *Dixerat* etc.] Translatio. Vss. 333 sqq. *Ego te* etc.] Captatio benevolentiae in re dubia, a Didonis et sua persona. Vs. 337. *Pro re pauca* etc.] Propositio. Vs. 338. *Speravi, ne* etc.] Excusatio per translationem. Vs. 344. *Et recidiva manu* etc.] Necessitas fatorum. Vs. 347. *Hic amor* etc.] Arguit a simili. Vs. 351. *Me patris* etc.] Necessitas a manibus patriis. Vs. 353. *Admonet in somnis*] Pietas. Vs. 354. *Me puer Ascanius*] A Deorum monitis. Vs. 357. *Testor utrumque* etc.] Obtestatio. Vs. 359. *Intrantem* etc.] Emphasis a sensu. Vs. 360. *Desine meque*] Peroratio. Vs. 365. *Nec tibi diva*] Exprobratio a persona Aeneae per abruptum principium. Vs. 369 sqq. *Num fletu* etc.] Ab affectibus personae probat Aeneae crudelitatem. Vss. 378 sqq. *eiectum littore* etc.] Commemoratio beneficiorum. Vs. 379. *Scilicet is* etc.] Amara ironia. Vs. 381. *I, sequere Italiam* etc.] Concessio, qua prohibet a difficultate. Vs. 393. *At pius Aeneas* etc] Viri est, affectum ratione vincere. Vss. 397 sq. *Tum vero* etc.] Troiani solvunt ora. Vss. 402 sqq. *Ac velut ingentem* etc.] Sedulitatem Troianorum studio formicarum comparat, imitatus Homerum, qui similitudinem a muscis duxit. Vs. 408. *Quis tibi* etc.] πάθος per aversionem. Vs. 412. *Improbe amor* etc.] Exclamatio. Vs. 416. *Anna, vides* etc.] Petit Dido Annam pro se apud Aeneam intercedere. Est autem oratio generis deliberativi. Vss. 424 sqq. *I, soror, atque* etc.] Ab honesto, nempe reddenda gratia, quod non laesisset. Vs. 435. *Extremam* etc.] πάθος. Vs. 440. *Fata obstant* etc.] Callide reiicit in Deos. Vs. 441. *Ac velut*] Homerica comparatio [17]). Vs. 449. *Mens immota* etc.] Affectu moveri potest, vinci non debet. Vs. 454 sq. *latices nigrescere* etc.] Nota portenta, quae portendere solebant mortem. Vs. 462. *bubo*] Bubo, letalis avis. Vss. 466 sq. *semperque relinqui* etc.] Pessimum erat portentum regibus et principibus, esse solitarium. Vs. 473. *ultricesque sedent* etc] Conscientia non quiescit. Vs. 475. *Decrevitque* etc.] Propositio. Vs. 476. *Exigit* etc.] Narratio. Vs. 477 sqq. *consilium* etc.] Consilium aperit sorori, quonam pacto magicis artibus detinere velit Aeneam. Fictum autem est; ita enim celabat mortem. Vs. 492. *Testor, chara* etc.] Insinuatio a necessitate. Vs. 499. *pallor simul* etc.] Mortis instantis effigies. Vs. 510. *Ter centum* etc.] Trecentos Ioves habuit vetustas. Vs. 522. *Nox erat*] Descriptio temporis. Vs. 525. *Cum tacet*] Nox silens. Vss. 529 sqq. *At non* etc.] Pathetica ortio, qua Dido consulit, sequaturne Troianos, an moriatur. Est autem deliberatio mire vehemens, et est primum caput deliberationis sine exordio. Vss. 538 sq. *Iussa sequar?* etc.] Ironia. Vs. 545. *Insequar?* [17a]) A difficili. Vs. 547. *Quin morere* etc.] Epilogus. Vss. 548 sq. *Tu lachrymis* etc.] Reiicit mali causam in germanam. Vs. 556. *Huic se forma* etc.] Mercurius eodem habitu Aeneae apparet. Vs. 560. *Nate Dea* etc.] Obiurgatio a necessario. Vs. 562. *nec Zephyros* etc.] A facili [18]). Vs. 569. *Eia age, rumpe* etc.] Epilogus. Vs. 571. *Tum vero* etc.] Sententia removet dubitationem. Vs. 576. *Ecce iterum* etc.] Vigilantia principis. Vs. 584. *Et iam prima* etc.] Crepusculum. Vs. 590. *Pro Iuppiter* etc.] Abruptum principium et propositio cum magna emphasi. Vs. 594. *Ferte citi*] ἀποστροφή. Vs. 595. *Quid loquor?* etc.] Correctio. Vs. 596. *Infelix Dido* etc.] Exclamatio cum ratione. Vss. 598 sq. *Quem secum* etc.] Ironia. Vs. 603. *Verum anceps* etc.] Complexio. Vs. 607. *Sol, qui* etc.] Imprecatio. Vs. 622. *Tum vos, o Tyrii*] Alludit ad bella Punica. Vs. 625. *Exoriare aliquis* etc.] Hannibalem innuit. Vss. 634 sqq. *Annam, chara* etc.] Multa mandat vetulae, ut moram trahat, quo ipsa solitaria, sine interpellatione se interimat. Vs. 643. *Sanguineam* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 647. *Dardanium, non* etc.] Alludit ad ensem Aiacis, donatum ab Hectore, quo se Aiax occidit. Vss. 653 sq. *Vixi* etc.] Recordatio omnium, quae invita gessit. Vss. 657 sqq. *Felix* etc.] Verba furentis et iam moriturae. Vs. 666. *concussam bacchatur* etc.] Innuit Carthaginis direptionem, quae facta est tertio bello

17) Hom. Il. XVI, 765 sqq.

17a) *Insequar?*] sic illae antiq. Editt.; Ed. Wagner. *Inferar.*

18) Hoc schol. in Editt. 1547. et Mog. deest.

Punico. Vs. 675. *Hoc illud* etc.] Querula oratio Annae, qua mortis causam in se transfert. Vs. 688. *Illa graves* etc.] Plane morientium affectus. Vs. 693. *Tum Iuno* etc.] Loquitur ex opinione eorum, qui ante tempus mori credebantur. Vs. 698. *Nondum illi* etc.] Parcas intelligit nondum fregisse stamina.

In Aeneidos librum V.

Vs. 21. *Nec nos obniti* etc.] Non esse pugnandum cum fortuna. Vs. 24. *Fida reor fraterna*] Fida propter Acestis affinitatem. Fraterna propter Erycem, Veneris et Buteae filium. Vs. 38. *Troia Criniso*] Acestes rex, ex Egesta et Criniso fluvio prognatus. Vs. 44. *tumulique ex aggere f.*] More militari. Vs. 46. *Annuus exactis* etc.] Narratio. Vs. 51. *Hunc ego* etc.] Amplificatio a maiori, ducta a circumstantia loci. Vs. 64. *Praeterea si nona*] Alludit ad novendiale sacrum, atque adeo funebres. Vs. 77. *Hic duo rite* etc.] Parentatio. Vs. 82. *Non licuit fines* etc.] Deploratio. Vs. 84. *adytis c. lubricus* etc.] Serpens ex adytis elapsus. Vs. 88 sq. *ceu nubibus* etc.] Comparatio. Vs. 91. *serpens*] Serpens, participium hic est, non nomen. Vs. 95. *Incertus, geniumne* etc.] Nullus locus sine genio. Vs. 109. *Munera principio* etc.] Alludit ad morem Romanorum. Vs. 114. *Prima pares* etc.] Navale certamen. Vs. 138. *Corda pavor* etc.] πάθος. Vs. 139. *Inde ubi* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 144. *Non tam praecipites* etc.] Comparatio a certamine curruli. Vs. 150. *resultant*] Echo. Vs. 153. *pinus*] Materia pro re, per synecdochen. Vs. 155. *Centaurusque* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 163. *palmula*] Palmula, extrema pars remi in morem palmae protentae. Vs. 172. *Tum vero exarsit*] Ardor iuvenilis et ira. Vs. 173. *Nec lachrymis* etc.] πάθος. Vs. 181. *Illum* etc.] πάθος. Vss. 188 sqq. *Nunc nunc* etc.] Benevolentiam captat, et adhortatur a recordatione virtutis. Oratio est generis deliberativi. Vs. 196. *Extremos* etc.] Magnus animus. Vs. 201. *Attulit ipse* etc.] Proverbialis versus. Vs. 210. *At laetus* etc.] πάθος [19]). Vs. 213. *Qualis spelunca* etc.] Comparatio. Vs. 222. *Auxilia* etc.] Proverbialis versiculus. Vs. 230. *pro laude*] Laudis cupido. Vs. 235. *Dii, quibus* etc.] Invocat Deos maris. Vs. 236. *Vobis laetus* etc.] Sacrificium pollicetur. Vs. 244. *Tum satus* etc.] Aeneas dispensator. Vs. 251. *Maeandro*] Maeander fluvius tortuosus; erat autem in chlamyde flexuosa et in se remeabilis purpura. Vs. 255. *armiger*] Aquila, armiger Iovis. Vs. 273. *Qualis saepe* etc.] Comparatio a serpente. Vs. 287. *Gramineum* etc.] Τοπογραφία, qua reddatur res tenuis illustris. Vs. 299. *Tegeae*] Oppidum Arcadiae, Tegeum. Vs. 305. *Nemo ex hoc* etc.] Pollicitatio. Vs. 310. *Primus equum* etc.] Praemia. Vs. 328. *Nisus*] Nisus cadit. Vs. 335. *Salio*] Salio praereptus honor, dolo Nisi. Vss. 348 sq. *Tum pater* etc.] Aeneae aequitas. Vs. 357. *Et simul his* etc.] πάθος. Vs. 363 sq. *Nunc si cui*] Certamen caestus. Vs. 369. *Ora Dares*] Daretis stolida ferocia notatur. Vs. 382. *Tum laeva* etc.] Iuvenilis ardor. Vs. 390. *Tantane tam* etc.] Obiurgatio. Vs. 394. *Ille sub haec* etc.] Observa Entelli modestiam et generosum animum. Vs. 410. *Quid, si quis* etc.] Amplificat per comparationem. Vs. 426. *Constitit in* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 454. *ira*] Generosa ira. Vs. 458. *Nec mora* etc.] Temeritatis poenas nota. Vs. 467. *Cede Deo*] Cum Deo non pugnandum. Vs. 481. *Sternitur* etc.] Alludit ad sacrificia Italiae. Vs. 485. *certare sagitta*] Certamen sagittariorum. Vss. 490 sq. *deiectam aerea* etc.] Saepe meminit Homerus, sortiri quondam coniectis sortibus in galeam [19a]). Vs. 496. *Pandare, qui* etc.] πάθος a circumstantia aetatis. Vs. 511. *innexa pedem* etc.] Graecismus. Vs. 525. *Namque volans* etc.] Prodigiorum omen. Vs. 553. *Incedunt pueri* etc.] Equestre certamen puerorum. Vs. 568. *duxere Latini* etc.] Haec dicit propter Acciam, matrem Augusti. Vs. 588. *Ut quondam* etc.] Comparatio. Vs. 595. *Carpathium*] Carpathium, mare inter Aegyptum et Rhodum, ab insula Carpatho illic posita. Vs. 606. *Irim*] Iris nuntia Iunonis. V. 622. *Ac sic Dardanidum* etc.] Oratio hortatoria, qua ab affectu movet exordium. Vs. 626. *Septima post* etc.] Amplificatio a tempore. Vs. 628. *Sideraque emensae* etc.] A facili et opportuno. Vs. 632. *O patria* etc.] A pio. Vs. 636. *Nam mihi Cassandrae* etc.] A necessario, nempe a vaticinii autoritate. Vs. 639. *Nec tantis* etc.]

19) Hoc schol. in Editt. 1533., 1535. deest.

19a) Conf. Hom. Il. III, 316.

Ab occasione. Vs. 647. *divini signa*] A divinitate. Vs. 657. *Cum Dea* etc.] Audacia muliebris. Vs. 671. *Heu miserae* etc.] πάθος. Vs. 676. *metu*] Metus muliebris. Vs. 683. *Est vapor* etc.] πάθος. Vss. 687 sqq. *Iuppiter* etc.] Oratio deliberativa ad Iovem. Vs. 690. *Nunc, pater* etc.] πάθος regium animi solliciti pro suis. Vs. 701. *Nunc huc ingentes* etc.] Cura principis. Vs. 704. *Tum senior Nautes*] Senile consilium ab aetate, prudentia et religione commendat. Vs. 711. *Est tibi* etc.] Narratio. Vs. 712. *Hunc cape*] Consilium. Vs. 722. *Visa dehinc* etc.] Anchises filio per somnum apparet. Vs. 724. *Nate, mihi* etc.] Benevolentia iungitur vice exordii. Vs. 728. *Consiliis* etc.] Narratio. Vss. 731 sq. *Ditis tamen* etc.] Confirmatio consilii. Vs. 733. *Congressus pete* etc.] A facili vel opportuno. Vs. 737. *Tum genus* etc.] Parasceue libri sexti. Vs. 740. *et tenues fugit* etc.] Animae venti et fumi. Vs. 747. *Et Iovis* etc.] Aeneas iussa parentis exequitur. Vs. 762. *Iamque dies* etc.] Alludit ad novendiale sacrum filio. Vs. 779. *At Venus* etc.] Venus sollicita pro Troianis. Vs. 782. *Cogunt me* etc.] Exordium a necessario. Vs. 787. *cineres* etc.] Amplificatio. Vs. 793. *ecce etiam* etc.] Invidiose dictum. Vs. 796. *Quod superest* etc.] Petitio. Vs. 800. *Fas omne est* etc.] Propositio. Vs. 801. *Unde genus* etc.] Ratio. Vss. 808 sq. *Pelidae* etc.] Aeneas contra Achillem. Vs. 819. *Caeruleo per* etc.] Homerus Odyss. lib. 5. currum describit Neptuni[19b]). Vs. 823. *Palaemon*] Palaemon, portuum deus. Vs. 824. *Phorcus*] Phorcus, Sardiniae rex. Vs. 825. *Thetis et Melite*] Thetis ab alendo alumna; Melite a melos. Vs. 826. *Cymodoce*] Cymodoce, a κῦμα. Vs. 855. *Vique soporatum*] Vis somni. Vs. 864. *Sirenum*] Sirenes monstra marina. Vs. 865. *Difficiles quondam*] quia Ulyssis socios Sirenes devorarunt.

In Aeneidos librum VI.

Vs. 1. *Sic fatur*] Pius Aeneae animus. Vs. 14. *Daedalus*] Fabula de Daedalo. Vs. 22. *urna*] Ubi sortiebantur iuvenes, quis se permitteret devorari. Vss. 27 sqq. *Hic labor ille* etc.] Labyrinthus. Vs. 42. *Excisum Euboicae* etc.] Descriptio antri. Vss. 46 sqq. *Deus ecce* etc.] Enthusiasmi descriptio. Vs. 56. *Phoebe, graves* etc.] Oratio Aeneae; captat autem benevolentiam a persona Apollinis. Vs. 62. *Hac Troiana* etc.] Petitio. Vs. 68. *Errantesque* etc.] Promissio ab agenda gratia. Vs. 72. *arcanaque fata*] Alludit ad libros Sibyllinos Romae adservatos. Vs. 83. *O tandem* etc.] Oraculum Sibyllae. Vss. 92 sq. *Quas gentes* etc.] Nam et Paris ab Helena fuerat hospitio susceptus. Vs. 105. *Omnia percepi*] Prudentia. Vs. 106. *Unum oro*] Petitio ab occasione. Vs. 115. *Quin, ut te* etc.] A necessario. Vs. 117. *Alma, precor*] A facili. Vs. 119. *Si potuit* etc.] Ab exemplis. Vs. 124. *arasque tenebat*] Alludit ad ritum vetustatis; tenebat enim cornu arae, qui precabatur. Vs. 131. *Diis geniti* etc.] Dehortatio a difficili. Vs. 137. *Aureus, et foliis* etc.] Ramus aureus. Per ramum aureum intelligitur prudentia, qua nihil non quantumvis arduum et difficile potest assequi. Vs. 174. *Inter saxa* etc.] Misenus in undis periit. Vs. 190. *columbae*] Columbae Veneri dicatae ob foecunditatem. Vs. 192. *Et viridi sedere* etc.] Boni ominis est in augurio videre pascentes aves. Vs. 212. *Nec minus* etc.] ὑποτύπωσις funeris. Vs. 219. *ungunt*] Herodotus in primo libro facit mentionem ungendorum corporum. Vs. 226. *Postquam collapsi* etc.] Vento extinguebatur rogus. Vs. 232. *sepulchrum*] Monumentum. Vs. 237. *Spelunca alta* etc.] Averni descriptio[20]). Vs. 262. *antro se immisit*] Ingrediuntur infernum. Vs. 264. *Dii, quibus* etc.] Invocatio. Vs. 274. *Luctus, et* etc.] Herebi filii. Vs. 308. *Impositique*] Hos versiculos supra in quarto Georgicon reperies[21]). Vs. 324. *Dii cuius* etc.] Styx iuramentum Deorum. Vs. 332. *Multa putans* etc.] πάθος. Vs. 363. *Quod te per* etc.] Precatio. Vs. 398. *Amphrisia vates*] Apollinea; Amphrisius autem fluvius Thessaliae est, apud quem Apollo divinitate est privatus. Vs. 429. *Abstulit atra* etc.] περίφρασις. Vs. 456. *Infelix Dido*] πάθος. Vs. 459. *Per superos* etc.] Purgatio. Vs. 470. *incepto vultum*] Graecismus. Vs. 479. *Hic illi occurrit* etc.] Commemorat eos, qui ad Thebas occubuere. Vs. 484.

19b) Conf. etiam Hom. Il. XIII, 23 sqq

20) Hoc schol. in Editt. 1547. et Mog. legitur, in Editt. 1533—1540. deest.

21) Virg. Aen. VI, 306—308. ad verbum congruunt cum Georg. IV, 475—477.

Tres Antenoridas] Archilochus [22]), Acamas [23]), Elycaon. Vs. 488. ***Et conferre*** etc.] πάθος. Vs. 495. ***Deiphobum***] Deiphobum, maritum Helenes post obitum Paridis. Vs. 500. ***genus alto*** etc.] Laus a genere. Vs. 512. ***His mersere*** etc.] Signa maligni animi [24]). Vs. 523. ***Egregia interea*** etc.] Ironia. Vs. 529. ***Hortator sc. Aeolides***] Ulysses et Sisyphos. Vs. 542. ***Hac iter Elysium*** etc.] Duplex inferorum via, quarum altera ducit ad campos Elysios, altera ad malam rem. Vs. 582. ***Hic et Aloidas***] Ex Phimedia, Aloi uxore, et Neptuno. Vs. 595. ***Nec non et Tityon***] Libido late patens. Vss. 598 sq. ***Immortale iecur*** etc.] Pascitur inquirendo. Vs. 602. ***Quos super atra*** etc.] Designat incertam vitam tyrannorum esse. Vs. 607. ***Exurgitque*** etc.] Conscientia. Vs. 625. ***Non, mihi*** etc.] πάθος. Vs. 626. ***Ferrea vox***] Ex Homeri Iliados 18. [25]). Vs. 640. ***Largior hic*** etc.] Revoluto semel orbe, cum sub terra sol est. Vs. 646. ***Obloquitur numeris septem*** etc.] Orphei cythara septem tantum chordas habuit, duae postea sunt adiectae a Terpandro. Vs. 660. ***Hic manus*** etc.] Synthesis. Vs. 687. ***Venisti tandem*** etc.] Orditur ex abrupto, propter vehementiam affectus. Vs. 707. ***Ac veluti***] Comparatio. Vs. 719. ***O pater*** etc.] Elegantissimum πάθος. Vs. 724. ***Principio coelum*** etc.] Locus philosophicus. Vss. 739 sqq. ***Ergo exercentur*** etc.] Triplex purgatio. Vss. 741 sq. ***sub gurgite*** etc.] Fortassis alludit ad lustrationes funebres, quae fiebant fumis, item spargenda aqua, item cremando. Vs. 752. ***Dixerat Anch.*** etc.] Mira inventio poetae, per quam ad Romanas historias digreditur. Vs. 760. ***Ille, vides?*** etc.] Graecos multos e moenibus Helena Priamo sciscitanti indicat. Hunc hoc loco imitatur Virgilius. Vs. 772. ***umbrata gerunt*** etc.] Conditores urbium civica corona insignitos fingit tanquam servatores urbium. Vs. 797. ***Extra anni*** etc.] Ultra aequinoctialem. Nam Romana arma ad Oenopliam venerunt, quae sunt ultra aequinoctialem. Vs. 807. ***Et dubitamus*** etc.] πάθος. Vs. 821. ***natosque pater*** etc.] Exemplum Romanae fortitudinis. Vs. 826. ***Camillum***] Camillus urbem civibus, et cives urbi reddidit. Vss. 848 sqq. ***aera — marmore*** etc.] Per aera Corinthios indicat; per marmor, Parios; per actionem causarum, Athenienses; per astronomiam, Aegyptios et Chaldaeos. Vs. 856. ***Marcellus***] Marcellus, filius Octaviae, sororis Augusti, quem Augustus sibi adoptavit. Vs. 863. ***Sed frons laeta parum*** etc.] Alludit ad immaturam mortem. Vs. 866. ***Qui strepitus***] Alludit ad Marcelli comitatum propter aedilitatem. Vs. 885. ***Purpureos*** etc.] πάθος. Vs. 886. ***His saltem*** etc.] Conclusio. Vs. 894. ***Sunt geminae***] Ex Homeri Odyss. lib. 19. [26]).

In Aeneidos librum VII.

Vs. 15. ***Hinc exaudiri***] Alludit ad fabulam, qua Circe dicta est formis brutorum humanas mutare. Vs. 29. ***Atque hic*** etc.] Aeneas Italiam ingreditur. Vs. 37. ***Nunc age***] Invocatio [27]). Vs. 38. ***Quis Latio*** etc.] Nam hic orditur Aeneae bella et res in Italia gestas. In hanc autem narrationem spargit semina et causas belli. Vs. 51. ***Nulla fuit*** etc.] Duo enim fuisse infantuli filii Latino scribuntur, quos occidit Amata, cum regnum ad Aeneam iam perventum esset. Vs. 64. ***Huius apes*** etc.] Portentum. Vs. 73. ***ignem***] Ignis portentum regium, ut in 2. libro de Ascanio. Vs. 84. ***Mephitim***] Mephitis dea gravissimi odoris est. Vs. 96. ***Ne pete connubiis*** etc.] Responsa Fauni. Vss. 112 sqq. ***Consumptis*** etc.] Egestas praedicta per Harpyiam. Vs. 116. ***Heus etiam*** etc.] Religiosum enim erat, mensam edere. Vs. 133. ***Nunc pateras*** etc.] Signum laetitiae. Vs. 136. ***Geniumque***] Genius est conditio naturae. Vs. 144. ***Diditur***] Diditur, id est, spargitur, diffunditurve. Hoc verbo saepius Lucretius utitur [28]). Vs. 154. ***ramis — Palladis***] Olea signum pacis. Vs. 162. ***Ante urbem*** etc.] Alludit ad Romanum morem exercendi tirones. Vide Vegetium [29]). Vs. 170. ***Tectum augustum***] Descriptio regiae. Vs. 171. ***Urbe fuit*** etc.] Domum ab Augusto in palatio factam per transitum laudat. Vs. 185. ***Et cristae***

22) Archilochus] sic recte Ed. Mog.; Editt. 1533., 1540. Arsilochus; Editt. 1535., 1547. Archelochus.

23) Acamas] sic recte Editt. 1535., 1547., Mog.; Ed. 1533. Acomas; Ed. 1540. Acomus.

24) animi] in Editt. 1533., 1535. deest.

25) Iliados 18.] sic scripsi; conveniunt enim haec Virg. verba cum Hom. Il. XVIII, 222.; Editt. 1533—1547., Mog.: Iliados secundo.

26) Hom. Od. XIX, 562 sqq.

27) Hoc schol. in Ed. 1547. deest.

28) Hoc schol. ab Editt. 1533., 1535. abest.

29) Veget. de re milit. c. 9 sq.

etc.] Fortassis alludit ad Capitolium Romanum. Vs. 195. *Dicite Dardanidae*] Interrogatio. Vs. 202. *hospitium*] Ius hospitale. Vs. 204. *Sponte sua* etc.] Alludit ad Saturni tempora aurea, quo homines sine lege, sua sponte bene vivebant. Atque adeo legem naturae Saturni temporibus designant poetae. Vs. 216. *Consilio hanc* etc.] Narratio. Vs. 219. *Ab Iove* etc.] Commendatio Aeneae ab opibus et genere. Vs. 231. *Non erimus* etc.] Ratio petitionis ab utili. Vs. 234. *Fata per* etc.] Obtestatio. Vs. 236. *Multi nos populi*] Ab honesto. Vs. 239. *Sed nos fata*] A necessitate. Vs. 243. *Dat tibi*] Dona. Vs. 259. *Tandem laetus,*] Imprecatio. Vs. 260. *Auguriumque* etc.] Alludit ad suam cogitationem magis, quam ad petitionem Troianorum. Vs. 266. *Pars mihi* etc.] Fides. Vs. 274. *equos*] Equi, regia dona. Vs. 293. *Heu stirpem*] Exclamatio. Vs. 295. *Num capti* etc.] παθητικὴ, scilicet frustra sibi periisse tantum laboris in persequendis Troianis. Vss. 304 sqq. *Mars perdere* etc.] Exaggerat ab exemplis et a maiori. Vs. 308. *Ast ego magna*] Adaptatio. Vs. 310. *Vincor ab Aenea*] Ira indignitatis consultrix. Vs. 315. *At trahere*] Confutatio. Vss. 320 sq. *Cisseis praegnans* etc.] Amplificatio ab historia. Vs. 327. *Odit et ipse*] Amplificatio. Vs. 331. *Hunc mihi da*] Petitio. Vs. 335. *Tu potes*] A facili. Vs. 339. *Disiice compositam*] Hortatio. Vs. 347. *Coniicit, inque*] Furia immittit curam. Vss. 358 sq. *Multa super*] Exclamatio continens propositionem. Vss. 360 sq. *O genitor?* etc.] Fit autem πάθος a turpi. Vs. 365. *Quid tua* etc.] Ab honesto. Vs. 367. *Si gener* etc.] Confutatio. Vss. 376 sqq. *Tum vero infelix*] Ut vim furoris exprimat, fingit bacchantem, quod similis bacchantium discursaret. Vs. 386. *nefas*] Bacchanalia nefas vocat, propter Romanorum legem, qua cautum est de Bacchanalibus. Vs. 400. *Clamat: Io*] Hortatio ab officio. Vs. 412. *Ardea*] Ardea colonia Mycenorum. Vs. 421. *Turne* etc.] Exasperat ab ingratitudine. Vs. 423. *Rex tibi* etc.] Propositio. Vs. 424. *externusque* etc.] Ironia. Vs. 426. *Tyrrhenas* etc.] Exprobratio beneficiorum. Vs. 428. *Ipsa palam fari*] Ab autoritate. Vs. 429. *Quare age*] Consilium. Vs. 432. *Coelestum* etc.] Conclusio ab honesto. Vs. 448. *Tantaque se facies*] Alludit ad conditionem iratorum. Vs. 452. *En ego victa*] Reiicit contumeliam. Vss. 460 sqq. *Arma* etc.] His vehementibus versiculis exprimit vehementiam affectus. Vs. 462. *Ira*] Ira vitiat sanguinem. Vs. 468. *Indicit*] Indicitur bellum. Vs. 481. *Ut cervum* etc.] Occasio belli. Vs. 485. *Nutribant*] Quondam ex agris reges victitabant. Vs. 494. *Commovere canes*] Alludit ad naturam cervi. Vs. 502. *Atque imploranti*] πάθος. Vs. 506. *conclamat*] Conclamare verbum est militare. Vs. 508. *Rimanti, telum*] Furor arma ministrat. Vs. 518. *Et trepidae*] πάθος. Vs. 526. *Horrescit*] ὑποτύπωσις. Vs. 528. *Fluctus uti* etc.] Comparatio, qua describit, quomodo creverit tumultus. Vs. 546. *Dic, in amicitiam*] Ironia. Vs. 556. *Egregium*] Ironia. Vs. 565. *Amsancti*] Alludit ad historiam. Est enim Amsanctus in Hirpinis locus, quem qui intravere, subito emoriuntur. Vs. 591. *Verum ubi* etc.] Exemplum studii pacis in principe. Vs. 595. *Ipsi has* etc.] Latinus bellum dissuadet. Vss. 596 sq. *te triste* etc.] Vaticinium. Vs. 604. *Sive Getis* etc.] Indicat, quam late imperaverint Romani. Vs. 610. *Ianus*] Ianus bifrons et quadrifrons. Vs. 623. *Ardet inexcita*] Vulgus accendebatur, cum vidisset portas sua sponte aperiri. Vs. 635. *Vomeris huc*] Deseruntur agri cura bellorum. Vs. 641. *Pandite nunc*] Invocatio. Vss. 647 sqq. *Primus init bellum* etc.] Catalogus ducum, qui Turnum secuti sunt. Vs. 653. *qui laetior esset* etc.] quam ut raperetur in hoc bellum, quo periit. Vs. 675. *Homolen Othrynque*] Montes Thessaliae. Vs. 685. *Amasene*] Amasenus fluvius Campaniae. Vs. 691. *At Messapus*] Messapus peculiari fato tutus erat a ferro. Vs. 695. *Hi Fescenninas* etc.] Campaniae urbes. Vs. 698. *Ibant aequati*] Ritus ovantium. Vss. 699 sqq. *Ceu quondam* etc.] Subobscure significat ordine eos incessisse, quia compositum carmen cecinerint. Vs. 717. *Allia* etc.] Ubi Galli Romanos vicerunt. Vs. 730. *aclides*] Aclides tela, quae vulneribus factis retrahuntur. Vs. 732. *caetra*] Caetra, scutum Hispanicum. Vs. 753. *Vipereo generi*] Alludit ad historiam Marsorum, quibus fuit nativa quaedam vis contra venena. Vs. 765. *Hippolytum*] Hippolytus restitutus vitae ab Aesculapio, Apollinis filio, cuius operam Diana conduxerat. Vs. 790. *Auro insignibat*] Attribuit[30]) Argiva arma Turno, ut significet Argivum fuisse.

30) Attribuit] sic Editt. 1533., 1535.; Editt. 1540., Mog. Affingit; Ed. 1547. Attingit.

Vs. 800. *Feronia*] Dea nemoris et mercatorum. Vs. 807. *cursuque* etc.] ὑπερβολή.

In Aeneidos librum VIII.

Vs. 16. *Eventum pugnae*] πάθος per reiectionem. Significat enim se relinquere amplius cogitationi illius, quam quod verbis dici posset. Vs. 42. *Iamque tibi*] Confirmatio. Vs. 43. *Littoreis ingens*] Signum ab Heleno praemonstratum. Vs. 46. *Hic locus urbis*] Origo Albanae urbis, penes quam fuit imperium. Ideo vocat eam requiem certam laborum. Vs. 57. *Ipse ego*] A facili. Vs. 71. *Nymphae Laurentes*] Precatio Aeneae. Vs. 82. *Candida per s.*] Indicium compertum. Vs. 92. *Miratur nemus*] Fictio. Vs. 103. *Amphitryoniadae*] Sacra Herculis. Vs. 127. *Optime Graiugenûm*] Occupatio, cur, cum Troianus sit, veniat tamen supplex ad Graecum. Vs. 136. *Atlas*] Alludit ad historiam et conditionem situs Atlantis montis. Vs. 143. *His fretus*] A fiducia. Vs. 146. *Gens eadem*] Narratio. Vs. 150. *Accipe*] Petitio ab opportuno. Vs. 154. *Tum sic pauca*] Exordium ab affectu. Vs. 157. *Nam memini*] Explicatio affectus. Vs. 161. *Mirabarque*] πάθος. Vs. 163. *ardebat*] Ardor iuvenilis. Vs. 169. *Ergo et, quam*] Pollicitatio. Vs. 180. *Viscera tosta*] ὑπαλλαγή. Vs. 194. *Caci*] Fabula Caci. Vs. 220. *Felle dolor*, etc.] Vina iracundiae tribuunt, medici felli. Vs. 224. *Speluncamque*] πάθος. Vs. 235. *volucrum*] ut bubonum, strigum. Vs. 239. *Impulit* etc.] ὑπερβολή. Vs. 243. *Non secus*, etc.] Comparatio, qua extollitur res. Vss. 269 sq. *Potitius — Pinaria*] Potitii et Pinarii Herculis sacrificuli. Vss. 288 sq. *prima nov.* etc.] Monstra domita ab Hercule. Vs. 319. *Primus ab aetherio* etc.] Mirum, cur Ianum praeterierit, qui tamen ante Saturnum regnavit, et primus Italiam formavit legibus et bonis institutis. Vs. 349. *Iam tum*] πάθος. Vs. 355. *Haec duo*] Ianiculum et Saturnia. Vs. 362. *Ut ventum*] In eo loco, ubi quondam fuerunt lautae carinae. Vs. 374. *Dum bello Argolici* etc.] Oratio generis deliberativi. Habet autem exordium per insinuationem, quod indicat, quanta necessitate adacta haec postulet. Vs. 391. *Non secus, atque*] Elegans et accommoda comparatio. Vs. 394. *Tum pater*] Insinuatio. Vs. 401. *Quicquid in arte*] Promissio vel propositio. Vs. 419. *Antra Aetnaea*] Vulcania inter Siciliam et Liparem. Vs. 425. *Brontes*] βροντή, tonitru. *Steropes*] στεροπή, fulgur ab ictu ignis. Vs. 427. *Fulmen*] Fulmina omnium temporum ex humido et calido. Vs. 437. *Connexosque ang.*] Sapientiae clypeus. Vs. 460. *Demissa ab* etc.] Regius mos. Vs. 470. *Maxime Teucrorum* etc.] Exordium, quo spem iniicit Aeneae. Vs. 478. *Haud procul*] Narratio seu deliberatio, quomodo bellum sit suscipiendum. Vs. 485. *Mortua quin etiam* etc.] Crudelitas Mezentii. Vs. 514. *Hunc tibi praeterea*] Tirocinium. Vs. 523. *Ni signum coelo.*] Fulgur a Venere. Vs. 526. *Tyrrhenusque*] Tyrrheni primi invenerunt tubam. Vs. 537. *Heu quantae*] Exclamatio. Vs. 540. *Thybri pater*] Ironia et insultatio quaedam. Vs. 542. *Et primum*] Superstitio. Vs. 556. *Vota metu*] πάθος. Vs. 560. *O mihi*] Exordium a voto et exclamatione. Vs. 569. *Nate tuo*] πάθος. Vs. 572. *At vos, o superi*] Precatio. Vs. 576. *Si visurus*] Parentum affectus. Vss. 580 sqq. *Dum curae* etc.] Haec omnia sunt praesagia futurae mortis filii. Vs. 589. *Lucifer*] Lucifer stella Veneris. Vs. 590. *Quem Venus*] Aemulatio Homerica; fingitur enim Hector similis sideri autumnali. Vs. 610. *Ut procul* etc.] Venus a spuma maris prodiit, inde haec fictio poetae. Vs. 625. *clypei*] Clypeus Aeneae. Vss. 628 sqq. *illic genus* etc.] Descriptio rerum Romanarum Vs. 640. *Armati Iovis*] Ritus foederum feriendorum. Vs. 676. *Cernere erat* etc.] πάθος. Vss. 678 sqq. *Hinc Augustus*] ὑποτύπωσις. Vs. 697. *Necdum etiam* etc.] Allusio est; nam Cleopatra a serpentibus necata est. Vs. 702. *Et scissa*] Alludit ad arma. Vs. 714. *At Caesar*] Caesar triumphavit de Antonio, Dalmatis et Alexandrinis.

In Aeneidos librum IX.

Vs. 5. *Ad quem sic*] Orditur ab admiratione, impellitque, ne negligat occasionem. Vs. 11. *Lydorumque*] Hortatio. Vs. 48. *Viginti lectis* etc.] Decorum in Turno servatum. Vs. 52. *En, ait,*] Elliptica oratio. Vs. 59. *Ac veluti pleno*] Aptissima comparatio, qua describit impotentes affectus Turni. Vs. 65. *Haud aliter*] Natura irati. Vs. 81. *Aeneas classem* etc.] Fabula delectandi gratia admixta. Vs. 106. *Annuit,*] Homericum. Vs. 114. *Ne trepidate*] Ab absurdo vel impossibili. Vs. 129. *Auxilium*

solitum etc.] Exornatio propositionis. Vs. 135. *Sat fatis*] Minuit et auget confutationem. Vs. 140. *Sed periisse* etc.] Occupatio. Vs. 144. *Dant animos*] A maiori. Vs. 146. *Sed vos, o lecti*] Adhortatio. Vs. 160. *Cura datur*] Consilium. Vs. 168. *Haec super* etc.] Decorum. Vs. 176. *Nisus*] Historia de Niso et Euryalo. Vs. 181. *Ora puer* etc.] ὑπαλλαγή. Vss. 184 sqq. *Nisus ait*] Orditur ab admiratione, unde sit hic tam impotens affectus animi sui. Vs. 191. *Quid dubitem,*] Propositio. Vs. 194. *Si tibi,*] πάθος. Vs. 197. *Obstupuit*] Affectus animi generosi. Vs. 199. *Mene igitur*] Propositio. Vs. 200. *Nise fugis* etc.] Ab honesto. Vs. 205. *Est hic, est*] A possibili. Vs. 213. *Sit qui* etc.] Ratio. Vs. 217. *Quae te* etc.] Alia causa. Vss. 221 sq. *Acceleremus* etc.] Decorum. Vs. 224. *Caetera per* etc.] In nocte consilium. Vs. 234. *Tum sic*] Occupatio. Vs. 236. *Rutuli* etc.] Narratio. Vs. 241. *Quaesitum* etc.] Propositio. Vs. 244. *Vidimus* etc.] Contestatio. Vs. 252. *Quae verbis*, etc.] Collaudatio et promissa praemiorum. Vs. 257. *Imo ego*] Interrumpit sermonem senis. Vs. 269. *Vidisti quo* etc.] πάθος. Vss. 285 sq. *quam miseram* etc.] Pietas Euryali. Vs. 305. *Gnosius atque*] Creta nobilitata variis artificiis. Vs. 311. *Ante annos* etc.] Indoles. Vs. 316. *passim vino* etc.] Pro decoro Rutulos fingit prostratos vino et somno. Vss. 327 sq. *Rex idem* etc.] Ironia et irrisio. Vs. 332. *Tum caput*] Natura cadaveris. Vs. 345. *Ignaros*] Metus mortis. Vs. 358. *Armaque*] ξένια. Vs. 370. *Tercentum* etc.] Allusio ad arma Romanorum. Vs. 381. *Sylva*] Descriptio sylvae. Vs. 425. *Nisus*] Decorum in Niso offerente se pro amico. Vs. 443. *et moriens* etc.] Amicorum commorientium gloria. Vs. 447. *Nulla dies*] ἐπιφώνημα. Vs. 457. *Agnoscunt spolia* etc.] Et per spolia autores caedium. Vss. 465 sqq. *Quin ipsa* etc.] πάθος a spectaculo. Vs. 472. *Nota nimis*] πάθος; facilius enim laturi erant, si non novissent. Vs. 481. *Hunc ego*] Propositio cum conquestione ab aetate. Vs. 486. *Alitibusque*] Peregrinum πάθος a loco et iustis funeribus. Vs. 490. *Quo sequar?*] A commiseratione exhausti laboris. Vs. 493. *Figite me,*] Votum abrumpendae vitae. Vs. 525. *Vos, o Calliope*] Invocatio. Vs. 547. *vetitisque* etc.] Servi enim non militabant. Vs. 551. *Ut fera,*] Alludit ad apros proprie. Vs. 593. *Cui Remulo*] Remulus Numanus. Vs. 598. *Non pudet* etc.] Exprobratio elegans. Vs. 601. *Quis Deus*] Amplificatio a collatione. Vss. 603 sqq. *Durum a stirpe* etc.] Antiqua Italiae descriptio. Vs. 614. *Vobis picta* etc.] Altera pars comparationis. Vs. 618. *Dindyma*, etc.] Extenuatio. Vs. 634. *I, verbis virtutem*] Ironia. Vs. 640. *Nube sedens*] Acclamatio cum adhortatione. Vs. 653. *telis*] Apollini arcus attribuitur. Vs. 665. *Intendunt acres*] ὑποτύπωσις. Vs. 672. *Pandarus,*] Historia de Pandaro et Bitia. Vs. 679. *Quales aëriae*] Illustris comparatio. Vs. 700. *reddit specus* etc.] ὑπερβολή. Vs. 705. *Sed magnum*] De Phalarica vide Vegetium lib. 4. cap. 8. Vs. 710. *Baiarum*] Baiae, locus Campaniae omnium voluptuosissimus. Vs. 734. *Agnoscunt faciem*] Fraterni amoris et benevolentiae exemplum. Vs. 740. *subridens*] Risus Sardonicus. Vs. 750. *Et mediam*] Significatio magni animi. Vss. 762 sqq. *Principio* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 783. *Unus homo*] Increpatio ab impossibili. Vs 787. *Et magni*] πάθος ab honesto. Vs. 792. *ceu saevum* etc.] Comparatio elegans. Vs. 802. *Nec contra vires* etc.] Reiicit in Deos, quod tamen erat in viribus Turni.

In Aeneidos librum X.

Vss. 6 sq. *Quanam* etc.] Orditur ab interrogatione. Vs. 8. *Abnueram*] Narratio. Vss. 11 sq. *Adveniet iustum* etc.] Punicum bellum. Vs. 15. *Nunc sinite*] Epilogus. Vs. 18. *O pater, o hominum*] Captat benevolentiam a necessitate, vel desperatione rerum suarum. Vs. 25. *Aeneas ignarus*] Propositio per interrogationem. Hortatur autem, ut depellat hostem. Vs. 28 sq. *Atque iterum* etc.] A debito. Vss. 31 sqq. *Si sine* etc.] Concessio. Vs. 36. *Quid repetam*] Ab his, quae passi sunt, amplificatio elegantissima. Vs. 42. *Nil super imperio*] Quid petat argumentum ab rei conditione et aequitate. Vs. 48. *Aeneas sane*] πάθος ab aetate. Vs. 55. *Obstabit Tyriis* etc.] Epilogus, quo miserationem movet a frustratis laboribus. Vs. 62. *Da, pater, Iliacos*] Exordium a necessario. Vs. 65. *Aeneam* etc.] Confutatio. Vs. 67. *Italiam petiit* etc.] Dilutio. Vs. 69. *Hortati sumus*] Extenuatio. Vs. 70. *Num puero*] Amplificatio. Vs. 74. *Indignum* etc.] Ironia. Vs. 78. *Arva aliena*] Accusatio, qua purgationem

suam reddit verisimiliorem. Vs. 81. *Tu potes Aeneam*] A maiore de suo officio. Vs. 85. *Aeneas ignarus* etc.] Irrisio. Vs. 87. *Quid gravidam*] Inversio. Vs. 89. *Conamur? nos*] A causa superioris belli Troiani verisimile facit Venerem etiam huius belli esse autorem. Vs. 101. *silescit*] Silentium loquente Iove. Vs. 104. *Accipite ergo*] Attentio. Vs. 107. *Quae cuique*] Iupiter dicit se nulli parti profuturum, sed fatis commissurum exitum. Vs. 113. *Stygii*] Alludit ad naturam Stygis. Vss. 132 sqq. *Ipse inter medios* etc.] Retulit [31]) ad Iulium Caesarem, qui aliquoties nudo capite signa cum hoste contulit. Vss. 149 sqq. *Regem adit* etc.] Redit ad historiam de Tarchonte, quam paene in fine octavi libri reliquerat. Vs. 159. *Hic magnus*] Fingit eum consultantem de rebus suis. Vs. 163. *Pandite nunc*] Invocatio. Vs. 166. *Massicus aerata*] Catalogus ducum, qui Aeneam secuti. Vs. 199. *Fatidicae Mantus*] Manto filia fuit Tiresiae vatis. Vs. 217. *neque enim* etc.] Non decet principem totam noctem somno traducere. Vs. 226. *Pone sequens*] ὑποτύπωσις. Vs. 237. *Tela inter media*] Perstringit obscure historiam de praemissis equitibus Hetruscis. Vs. 264. *Tela manu*] Ex Homeri Iliad. lib. 3.[31*]). Vs. 279. *Quod votis* etc.] Adhortatur milites ab necessario, utili et honesto. Vs. 282. *Facta patrum*] Consilium. Vs. 288. *Pontibus exponit*] ὑποτύπωσις. Vs. 306. *Fragmina remorum* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 312. *Occiso Therone*] Commemoratio caedium. Vss. 322 sq. *Pharon — clamantis*] Melanchthon legit *Pharo* in Dativo, et *clamanti*. Vs. 333. *Suggere tela*] Excitat sese recordatione suae virtutis. Vs. 345. *Hic Curibus*] Promiscue recenset, ut etiam res est gesta. Vs. 356. *venti*] Comparatio a ventis. Vs. 369. *Quo fugitis*] Propositio ab honesto. Vs. 371. *Spemque meam*] πάθος. Vs. 373. *Est via, qua*] Consilium. Vs. 375. *Numina nulla*] A possibili. Vs. 377. *Ecce maris*] Ab impossibili. Vs. 379. *et medius* etc.] Pallantis strages, quam suis exhortatis edidit. Vs. 384. *Ossibus haerentem*] ὑποτύπωσις. Vss. 391 sq. *Daucia* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 428. *nodumque*] Nodus, alias deperditum peditum multitudo est. Vs. 439. *Interea soror*] Soror Turni nympha erat. Vs. 443. *cuperem* etc.] πάθος irae. Vs. 450. *Aut leto insigni*] Exemplum gloriae. Vs. 455. *Stare procul*] Pulchra ferocientis descriptio. Vss. 468 sqq. *sed famam* etc.] Confutatio precum ab exemplo. Vs. 492. *qualem meruit*] σαρκασμός. Vs. 497. *nefas*] Danaidum, quae iugularunt maritos. Vs. 501. *Nescia mens*] Exclamatio, ne quis secundis rebus infletur. Vs. 507. *O dolor*] Exclamatio. Vs. 513. *Proxima quaeque*] ὑποτύπωσις pulcherrima. Vs. 516. *Omnia sunt*] πάθος. Vs. 517. *Tunc adiit, dextraeque*] Alludit ad priscum morem; solebat enim litari principibus iugulatis aliquot hostibus. Vs. 546. *Et totum clypei*] ὑποτύπωσις. Vs. 553. *Loricam, clypeique*] ὑποτύπωσις. Vs. 564. *tacitis r. Amyclis*] Unde proverbium tractum: Amyclas silentium perdidit. Vs. 585. *Dicta parat*] Vera fortitudo neque maledica est neque minax. Vs. 592. *Lucage, nulla* etc.] σαρκασμός. Vs. 616. *Et Dauno*] Potentiale πάθος. Vs. 618. *Ille tamen*] Ab honesto. Vs. 619. *Pilumnusque*] Pilumnus ex Iove. Vs. 637. *In faciem Aeneae*] Decorum; neque enim decebat Turnum fugere. Vs. 649. *Quo fugis*] Ironia, per amphibologiam. Vs. 668. *Omnipotens*] Turni querela ab honesto. Vs. 690. *Succedit pugnae* etc.] Decorum in Tyrrhenis observatum, qui infensum Mezentium [32]) oderant. Vs. 698. *Sed Latagum*] ὑποτύπωσις. Vs. 704. *In lucem genitori*] Alludit ad visum Hecubes. Vs. 707. *Ac velut ille*] Mezentius comparatur apro. Vs. 716. *Venerat antiquis* etc.] Fictiones citra omnem necessitatem obscurae historiae. Vs. 726. *Gaudet, hians*] Comparatio emphatica et Homerica. Vs. 738. *Paeana*] παῖαν vox triumphantis. Vs. 742. *Ad quem subridens* etc.] Relatum ad naturam ingeniorum humanorum, qui casus et fata imminentia contemnunt. Vs. 761. *Tisiphone*] Tisiphone, id est, ultio cordis. Vs. 782. *et dulces* etc.] πάθος a patria. Vs. 791. *Hic mortis durae*] ἀποστροφὴ ad Lausum. Vs. 802. *furit* etc.] ὑποτύπωσις. Vs. 816. *Per medium* etc.] Extenuatio. Vs. 828. *Manibus, ut cineri*] Alludit ad impietatem Mezentii. Vs. 830. *Aeneae magni*] A victore insigni vinci, est gloriosum. Vs. 846. *Tantane me*] Exclamatio. Vs. 858. *Haud deiectus equum*] πάθος ab equo; sunt enim in equo praesagia. Vs. 872. *Et furiis* etc.] Adfectus. Vs. 875. *Sic pater*] Aeneas

31) Retulit] sic Editt. 1533 — 1540. et Mog.; Ed. 1547. Alludit.
31*) Hom. Il. III, 3 sqq.

32) Mezentium] sic Editt. 1535 — 1547. et Mog.; Ed. 1533. Mercurium.

pius. Vs. 889. *congressus*] Nempe pedes cum equite. Vs. 897. *Ubi nunc* etc.] Irrisio.

In Aeneidos librum XI.

Vs. 4. *Vota Deum*] Amplificatio a Deûm solennitate. Vs. 14. *Maxima res*] Propositio. Vs. 15. *Quod superest*] A signo. Vs. 18. *Arma parate*] Consilium et hortatio. Vs. 24. *Ite, ait, egregias*] πάθος eorum, qui perierunt. Vs. 42. *Tene, inquit*] Propositio. Vs. 45. *Non haec* etc.] A debito. Vs. 53. *Infelix nati*] Exclamatio. Vs. 54. *Hi nostri*] Ironia. Vs. 56. *Vulneribus pulsum*] Mitigatio ab honesto. Vs. 68. *Qualem virgineo*] Comparatio pulcherrima. Vs. 73. *Extulit Aeneas,*] Pompa funebris. Vs. 75. *et tenui* etc.] Commendatio tacita purpurae; nam nulla melior fuit Sidonia vel Tyria. Vs. 90. *It lachrymans*] Humani adfectus. Vs. 101. *oleae*] Olea indicium pacis. Vs. 104. *Nullum cum* etc.] Ratio. Vs. 108. *Quaenam vos*] Conquestio per interrogationem. Vs. 110. *Pacem me*] A maiori. Vs. 111. *equidem* etc.] Excusatio. Vs. 118. *Vixet, cui vitam*] Demonstratio. Vs. 124. *O fama* etc.] Captatio benevolentiae a laude. Vs. 149. *Sed venit in medios*] εἴκων a gestu. Vs. 154. *Haud ignarus eram*] Ab omine γνώμη de temeritate. Vs. 158. *Vota* etc.] Exclamationes. Vs. 162. *Obruerent Rutuli*] Optatio. Vs. 164. *Nec vos arguerim*] Occupatio. Vs. 168. *Ducentem in Latium*] Consolatio. Vs. 178. *Dextera causa*] Vindicta. Vs. 188. *Ter circum*] Ritus funerum. Vs. 195. *Frenaque* etc.] πάθος. Vs. 199. *In flammam iugulant*] Alludit ad priscum morem; solebant enim vino flammas extinguere, priusquam omnia igni periissent. Vss. 213 sqq. *Iam vero in tectis* etc.] παρασκευὴ ad consilium Latini de pace, et contentionem Turni et Drancis. Vs. 234. *Ergo concilium*] Consultatio de rebus regni. Vs. 243. *Vidimus, o cives*] Oratio mirum in modum erudita, et sine exordio. Vs. 248. *Postquam introgressi,*] Repetitio eorum, quae dicta sunt. Vs. 252. *O fortunatae* etc.] Propositio per interrogationem. Vs. 257. *Quos Simois*] Dissuadet a Graecorum exemplis. Vs. 258. *et scelerum* etc.] πάθος ab auxesi. Vs. 269. *Invidisse Deos*] ἐπιφώνημα. Vs. 272. *Et socii amissi*] Aves Diomedeae. Plinius lib. 10. cap. 44. Vs. 278. *Ne vero, ne me*] Epilogus dissuasionis. Vs. 281. *Munera, quae* etc.] Consilium. Vs. 284. *In clypeum* etc.] Ratio. Vs. 289. *Hectoris Aeneaeque*] Comparat Aeneam cum Hectore. Vs. 302. *Ante equidem*] Perturbati animi exordium a tempore. Vs. 305. *Bellum importunum*] Narratio. Vs. 312. *Nec quemquam*] Occupatio. Vs. 314. *Nunc adeo*] Consultatio. Vs. 332. *Ire placet, pacisque*] Romanorum insignia. Vs. 335. *Consulite* etc.] Clausula. Vs. 343. *Rem nulli*] Benevolentia ab assensu, qua exorditur. Vs. 347. *Cuius ob auspicium*] Antithesis. Vs. 357. *Quod si tantus*] Ironia. Vs. 361. *o Latio* etc.] Exclamatio invidiosa. Vs. 364. *Primus ego*] Argumentum a necessario. Vs. 366. *Pone animos*] Ironia. Vs. 368. *Aut si fama*] Occupatio. Vs. 371. *Scilicet ut Turno*] Ironia. Vs. 372. *Nos, animae*] Ab honesto. Vs. 374. *Si patrii quid*] Abruptus finis. Vs. 377. *Larga quidem*] Recriminatio. Vs. 383. *Proinde dona*] Ironiae. Vs. 392. *Pulsus ego?* etc.] Expurgatio obiectorum. Vs. 395. *Procubuisse* etc.] Diluit argumentum cum regis tum Drancis. Vs. 403. *Nunc et Myrm.*] Extenuatio. Vs. 404. *Nunc et Tyt.*] Ironia. Vs. 408. *Nunquam animam*] Decorum. Vs. 410. *Nunc ad te*] Consultatio per concessionem. Vs. 417. *Egregiusque* etc.] De Mezentio loquitur. Vs. 420. *Auxilioque*] Ab auxiliis. Vs. 422. *sunt illis* etc.] A calamitatibus hostium. Vs. 425. *Multa dies*] A fortuna, quae potest vertere omnes casus istos. Vs. 429. *At Messapus*] Dilutio. Vs. 434. *Quod si me*] Postrema consultationis pars. Vs. 438. *Ibo animis*] Contemptus. Vs. 442. *Devoveo*] Petitum a Romana historia de formis devovendi. Vs. 447. *Nuntius* etc.] Expeditio Aeneae. Vs. 463. *maniplis*] Non temere dixit manipulos, quia antiquis mos fuit uti manipulis pro vexillis. Vs. 470. *Deserit, ac tristi*] πάθος. Vs. 471. *Multaque se*] Sapientia post factum. Vs. 473. *Praefodiunt alii*] Tumultuarius populi labor. Vs. 498. *Obvia cui* etc.] Decorum. Vs. 517. *Tu Tyrrhenum*] Consilium. Vs. 535. *Camilla*] De ortu et educatione Camillae. Vs. 538. *Venit amor*] Causa, cur amaverit[33]) Diana Camillam. Vs. 543. *mutilata*] Alii *mutata.* Vs. 575. *Spiculaque ex* etc.] Habitus virilis. Vs. 579. *Et fundam*] ὑποτύπωσις. Vs. 600. *Insultans sonipes*] Bonum omen. Vs. 603. *Nec non Messapus*] Historica descriptio. Vs. 619. *Reiiciunt*

33) amaverit] Editt. 1533 — 1547. et Mog. amavit.

parmas] ὑποτύπωσις. Vs. 624. *Qualis ubi alterno*] Alludit ad Euripum. Vs. 637. *Hastam intorsit*] ὑποτύπωσις. Vs. 648. *Amazon*] Camilla Amazon. Vs. 655. *Larinaque* etc.] Romana nomina. Vs. 659. *Quales Threiciae* etc.] A Tanai ad Thermodontem transtulerunt sedes suas, ex Scythia in Thraciam. Vs. 682. *sparus*] Sparus, rusticum telum et recurvum. Vs. 698. *Congeminat* etc.] ἔλλειψις. Vs. 715. *Vane Ligur* etc.] Ligurum perfidia. Vs. 732. *Quis metus*] A turpi. Vs. 734. *Femina palantes*] A circumstantiis. Vs. 736. *At non* etc.] Luxus. Vs. 741. *Haec effatus*] Elegans ὑποτύπωσις. Vs. 759. *Aruns*] Aruns Camillae occisor. Vs. 794. *Audiit* etc.] Ex Homeri Iliad. lib. 16.[34]). Vs. 807. *Laetitia* etc.] Affectus. Vs. 825. *Effuge et haec* etc.] Sollicitudo morientis Camillae pro republica. Vs. 830. *Et captum leto*] Conflictatio animae. Vss. 846 sq. *neque hoc* etc.] Non moriemur inulte[35]). Vs. 855. *Cur, inquit,*] Dicta per indignationem. Vs. 858. *et aurata* etc.] Gestus sagittantium. Vs. 875. *Quadrupedumque*] Aemulatus est hic naturam. Vs. 879. *Qui cursu*] Caedes Latinorum. Vss. 901 sq. *Ille furens* etc.] Invidiae impediuntur.

In Aeneidos librum XII.

Vs. 4. *Poenorum qualis* etc.] Turnus leoni comparatur. Vs. 19. *O praestans*] Oratio Latini. Vs. 22. *Sunt tibi regna*] Captatio benevolentiae. Vss. 27 sq. *Me natam* etc.] Fatum. Vs. 33. *quantos primus* etc.] Ab incommodis. Vs. 44. *quem nunc*] πάθος. Vs. 49. *Deponas*] Generositas. Vs. 68. *Si quis ebur*] Comparatio formae et pulchritudinis. Vs. 82. *Poscit equos*] Orithyia, filia Erechthei, Boreae uxor. Vs. 87. *auro squalentem* etc.] Quod auri splendorem, aeris duritiem habet. Vss. 116 sq. *Campum* etc.] Singulorum certamen. Vs. 142. *Nympha decus*] Benevolentia a commemoratione beneficiorum. Vss. 170 sq. *Setigeri* etc.] Ex Homeri Iliad. lib. 3.[36]). Vs. 184. *Convenit Evandri* etc.] Lex pacis. Vs. 206. *Ut sceptrum*] Ex Homeri Iliad. lib. 1.[37]). Vs. 230. *Obiectare animam?*] Dissuadet foedus ab inhonesto. Vs. 247. *Namque volans*] Augurium. Vs. 309. *dura quies*] Mors[38]). Vs. 324. *Turnus* etc.] Turni virtus absente Aenea. Vs. 347. *Dolonis*] De Dolone vide Homer. Iliad. lib. 10.[39]). Vs. 358. *Fulgentum tinguit*] σαρκασμός. Vs. 384. *Interea Aeneam* etc.] Aeneae medetur. Vs. 422. *Quippe dolor* etc.] Deorum auxilium. Vs. 435. *Disce puer*] Paternum exemplum. Vs. 440. *Et pater Aeneas*] Hortatio a virtute avunculi. Vs. 451. *Qualis ubi*] Impetus Aeneae. Vs. 461. *Primus in adversos*] Malum consilium consultori pessimum. Vs. 498. *Terribilis*] Ira. Vs. 514. *Tres uno* etc.] ἀγέλαστος. Vs. 551. *Ac velut*] Impetus Aeneae ac Turni. Vs. 552. *Pro se quisque*] Atrox proelium. Vs. 570. *Scilicet expectem*] Ironia. Vs. 572. *Hoc caput*] Adhortatio. Vs. 588. *Vestigavit apes*] Comparatio ab apibus. Vs. 603. *Et nodum* etc.] Regina laqueo sibi vitam finit. Vs. 627. *Sunt alii* etc.] Ab opportunitate. Vs. 636. *An fratris*] πάθος. Vs. 640. *Oppetere ingentem*] Ratiocinatio. Vs. 645. *Terga dabo?* etc.] Confirmat se. Vs. 647. *Este boni*] Invocat manes. Vs. 651. *Vectus equo*] ὑποτύπωσις. Vs. 655. *Deiecturum arces*] Amplificatio a crudelitate hostium. Vs. 659. *Praeterea* etc.] πάθος. Vs. 666. *Turnus, et obtutu*] Mens perturbata in Turno. Vs. 684. *Ac veluti*] Comparatio. Vs. 690. *Sic urbis*] Adaptatio. Vs. 715. *Ac velut ingenti*] μονομαχία taurorum. Vs. 725. *Iuppiter ipse*] Ex Homeri Iliad. lib. 22.[40]). Vs. 731. *Arrectaeque*] Ex Homeri Iliad. lib. 3.[41]). Vs. 777. *Faune precor*] Turni preces ad Faunum. Vs. 793. *Quae iam finis*] Iupiter ad Iunonem. Vs. 809. *Iuppiter, et*] Iuno ad Iovem. Vs. 821. *Cum iam* etc.] Petitio de non commutandis nominibus. Vs. 832. *Verum age*] Concessio. Vs. 840. *Nec gens* etc.] Romani imperii maiestas. Vs. 845. *Dirae*] Dirae ex nocte. Vs. 867. *Illi membra* etc.] Turnus concussus timore. Vs. 872. *Quid nunc*] Querela Iuturnae. Vs. 889. *Quae nunc deinde*] Aeneas ad Turnum. Vs. 894. *Ille caput*] Turnus Aeneae. Vs. 908. *Ac velut in somnis*] Comparatio verissima de somnio. Vs. 927. *Ingens ad terram* etc.] Turnus occiditur. Vs. 950. *Hoc dicens*] Mors.

34) Hom. Il. XVI, 249 sqq.
35) inulte] sic Editt. 1533., 1540.; Editt. Mog., 1535., 1547. inultae.
36) Hom. Il. III, 361 sqq.
37) Hom. Il. I, 234 sqq.
38) Mors] sic Editt. Mog., 1535—1547.; Ed. 1533. Mora.
39) Hom. Il. X, 313 sqq.
40) Hom. Il. XXII, 209 sqq.
41) Hom. Il. III, 361 sqq.

His in Virgilii Aeneidos libros XII. scholiis adiungimus

PHIL. MEL. SCHOLIA IN LIBRUM MAPHAEI VEGII.

Aeneidos poema duodecim libros complectens nonnullis imperfectum est visum, atque extremum librum desiderari, quapropter Maphaeus Vegius Laudensis*) decimum tertium librum tanquam Aeneidos libri XII. supplementum conscripsit. Hic liber in Pulmannianis et Nic. Erythraei editionibus et fere omnibus illis Operum Virg., quas supra p. **285—294.** enumeravimus (Ed. Tigur. **1547. 4.** excepta), invenitur. Huic quoque libro Melanthon scholia marginalia adiecit, quae exstant in fere omnibus Editt. p. **285—294.** descriptis. Inter eas Editt., quas in manibus tenemus, exhibentur ab hisce: 1) Ed. *Basil.* **1533.** 8., 2) Ed. *Basil.* **1535.** 8., 3) Ed. *Hal. Suev.* **1540.** 8., 4) Ed. *Basil.* **1543.** 8., 5) Ed. *Basil.* 1551. 8., 6) Ed. *Tigur.* **1561.** 8., 7) Ed. *Tigur.* **1570.** 8., 8) Ed. *Tigur.* **1577.** 8., 9) Ed. *Tigur.* 1581. 8., 10) Ed. *Tigur.* **1587.** 8., 11) Ed. *Francof. ad Od.* **1599.** 8., 12) Ed. *Mogunt.* s. a. 8.

Harum vero Editt. tres classes sunt distinguendae, quarum prima eas complectitur, quae *sola Melanthonis* scholia continent, altera eas, in quibus *etiam aliorum* scholia sunt *adiecta*, tertia eam, in qua non tantum *aliorum* scholia *addita* sunt, sed etiam *multa Melanthonis omissa.* Primae classis sunt Editt. **1533.**, **1535.**, **1540.**, **1543.**, 1551., et *Mogunt.* s. a.; secundae sunt Editt. **1561.**, **1570.**, **1577.**, **1581.**, **1587.**; tertiae denique est Ed. **1599.** Quam ob causam in notis criticis solas illas sex Editt. **1533—1551.** et *Mog.* afferemus. — Ex scholiis ea, quae nil nisi singulas voces textus in margine repetitas sine ulla adnotatione continent, omittemus.

---

*) Maphaeus (Maffei) Vegius, Laudi urbe Mediolanensi 1407 natus, Pii II. Pontif. Max. datarius, orator et poeta insignis quidem, sed Virgilii spiritum poeticum non adaequans, a. 1458. mortuus, praeter hoc Aeneidos supplementum etiam alios scripsit libros: De perseverentia in religione lib. VII.; De educatione liberorum et claris eorum studiis ac moribus lib. VI. (Basil. 1541. 8.); Dialogus de miseria et felicitate (Paris. 1511. 8.); Philalethes s. Veritas invisa et exulans. (Lips. 1499. Argent. 1515. 1516. 4.); Antonias s. de vita S. Antonii lib. IV. (Antwerp. 1559. 8.); Paraphr. in VII. Psalmos poenit. etc. — Opera eius in Bibliotheca Patrum maxima T. XXVI. p. 632 sqq. sunt recusa. (vid. C. Ios. Bouginé: Handbuch der allgem. Litterargesch. Tom. I. p. 574. et Sam. Baur: Neues Histor.-Biograph.-Literar. Handwörterb. Tom. V. p. 569 sq.). Scriptores, qui huius auctoris vitam exposuerunt, nominavit Frid. Gotth. Freytag in Analectis litterar. de libris rar. p. 1043 sqq. et in Adparat. litterar. Tom. II. p. 1241. — De hoc Aeneidos supplemento conf. etiam Io. Alb. Fabricii Biblioth. lat. digesta et aucta diligentia Io. Aug. Ernesti Tom. I. p. 315.

Vs. 1.[1]) *Turnus* etc.] Quae post Turni cladem acta sint, recenset Maphaeus. Vss. 3 sqq. *Magnanimus* etc.] Sonori versiculi. Vss. 6 sq. *ceu frondibus* etc.] Comparatio. Vs. 13. *Sicut acerba* etc.] Comparatio[2]). Vs. 28. *Disce Iovem revereri*] Deûm religio. Vs. 31. *Meta furoris* etc.] Poena periurii. Vs. 36. *Nunc armis* etc.] Translatio. Vss. 44 sqq. *Vos memores* etc.] Adhortatio, ut cautiores sint in suscipiendis bellis. Vs. 58. *Primum aris* etc.] Sacrificium. Vss. 74 sqq. *Et puerum* etc.] Consolatur Iulum perpessis tandem laboribus. Vss. 85 sqq. *O socii* etc.] Commemoratio calamitatum. Vs. 90. *iam finis adest*] Consolatio. Vs. 107. *veluti exiguis* etc.] Comparatio a milvo desumpta. Vs. 125. *funus*] Funus Turni. Vss. 127 sq. *largumque pluentes* etc.] ὑπερβολή. Vss. 134 sq. *ceu spumantis* etc.] Comparatio. Vss. 143 sqq. *quantos humana* etc.] Sententia, deplorans inconstantem fortunae aleam. Vss. 146 sqq. *O furor,* etc.] Exaggerat regnorum incommoda et calamitates. Vs. 158. *Quid Turne*] Conversio ad Turnum. Vss. 164 sqq. *abrumpere foedus* etc.] Poena violati foederis. Vs. 171 sq. *Inde ego* etc.] Ab incommodis. Vss. 177 sqq. *At nunc Turne* etc.] πάθος. Movet commiserationem, dum comminiscitur, quantos dolores pater Turni accepturus sit. Vss. 210 sqq. *Urbem ingens* etc.] Incendium Ardeae. Vss. 220 sqq. *Ac veluti* etc.] Comparatio a formicis sumpta. Vss. 230 sq. *Haud aliter* etc.] Adaptatio. Vss. 234 sq. *Tum vero* etc.] Augurium sinistrum. Vss. 258 sqq. *quo me tantis* etc.] Exclamatio. Vss. 267 sqq. *Qui iam sublimes* etc.] πάθος ab inconstantia rerum humanarum. Vss. 272 sqq. *Non fuit* etc.] A naturae donis, quibus praeditus erat Turnus. Vs. 275. *Ille decor*] Pulchritudo humana. Vs. 290. *O superi*] Convertit sermonem ad superos. Vs. 299. *Qualis ubi* etc.] Comparatio. Vss. 309 sqq. *Mille viros* etc.] Oratores ad Aeneam mittuntur, et mille viri. Vss. 333 sqq. *victi obtestamur* etc.] Excusatio.

---

1) Hos versuum numeros, quibus illae Editt. carent, ipse adscripsi, et verba, a quibus hi versus ordiuntur, vel singulas eorum voces, ad quas scholia Mel. pertinent, adieci.

2) Hoc schol. in Editt. 1543., 1551. legitur, ab Editt. 1533 —1540. et Mog. abest.

Vs. 341. *Turni*] Reiicit in Turnum belli causas. Vss. 352 sqq. *At vero* etc.] Poena rupti foederis. Vss. 357 sqq. *Tu melior* etc.] Narratio continens precationem. Vss. 364 sqq. *Et cupidae* etc.] Amplificatio laudum Aeneae. Vs. 372. *Ergo age*] Epilogus. Vss. 381 sqq. *Quicquid id est* etc.] Annuit Aeneas. Vss. 395 sqq. *Congestas* etc.] Comburuntur socii. Vss. 402 sqq. *Iamque sequens* etc.] Troiani accedunt ad moenia Latini. Vss. 421 sqq. *tunc cum* etc.] Aeneae et Latini congressus. Vs. 434. *Nunc age*] Hortatio. Vss. 454 sqq. *ceu quando* etc.] Comparatio. Vss. 482 sq. *Auratum gemmis* etc.] Munera. Vss. 493 sqq. *Convenere* etc.] Apparatus convivii. Vs. 510. *Incipiunt fando*] Confabulantur. Vss. 523 sqq. *Esse paterna* etc.] Troianae gentis origo. Vs. 538. *Aeneas urbem* etc.] Aeneas designat urbem aratro. Vss. 552 sqq. *Gnate* etc.] Venus consolatur Aeneam, promittitque immortalitatem. Vss. 558 sq. *Namque erit* etc.] Exponit prodigium. Vs. 570. *Quam statuis* etc.] Urbs de nomine uxoris Lavinia dicitur. Vss. 587 sq. *et iam decedens* etc.] Latinus moritur. Vss. 595 sqq. *Omnipotens genitor* etc.] Precatio Veneris ad Iovem, ut ad astra recipiat Aeneam. Vs. 606. *Olli hominum* etc.] Iupiter Veneri. Vs. 623. *Tum Venus* etc.] Venus demittit se. Vs. 630. *Indigetem*] Aeneas Indigetis nomen sortitus est.

XC. PHIL. MEL. ENARRATIO FASTORUM OVIDII.

Ex Ovidii poematis, ad quae nunc progredimur, (praeter *Metamorphoseon* libros, quorum enarratio infra sequetur) *Fastorum libros VI. priores* *), qui soli ex duodecim ab Ovidio scriptis aetatem tulerunt, scholiis illustravit, quae, quod equidem scio, primum **1539.** prodierunt sic inscripta:

> *Ovidii Fastorum libri VI., cum scholiis Phil. Melanchthonis. Accedunt Claudii Ptolemaei in errantium stellarum significationes per Nicolaum Leonicum e Graeco translatae. Halae Suevorum* **1539.** 8. **).

Hanc editionem secutae sunt hae:

> *Ovidii Fasti cum Phil. Melanchthonis commentariis. Basileae per Henricum Petrum.* 1541. ***).

> *Ovidii Fasti, Tristia, de Ponto. Praeterea Cl. Ptolemaei stellarum significationes per Nic. Leonicum. Scholia Phil. Melanchthonis. Basileae, ex aedibus Hr. Petri,* **1544.** **12.** †).

> *P. Ovidii Nasonis Fastorum lib. VI. Tristium libri V. De Ponto lib. IIII. Item, Claudii Ptolemaei in errantium* (sic) *Stellarum significationes, per Nicolaum Leonicum e Graeco translatae. XII Romanorum menses, in ueteribus monimentis Romae reperti. Sex priorum mensium digestio, ex sex Ouidij Fastorum libris excerpta. Adiecimus quoque in Fastorum libros Scholia Philippi Melanchthonis. Basileae.* (Hic index cinctus est figuris ligno incisis). — (In fine:) *Basileae, per Henrichum Petri, Anno Salutis humanae, M. D. XLVIII. Mense Martio.* 8. **33** plagg. litt. A—Z, Aa—Kk sign., **465** pagg., **31**½ foll. non num. (pag. **3**—**194.** Ovidii Fastorum libri VI. c. scholl. margin., inter quae in his et seqq. libris etiam varietas lectionis affertur; p. **195**—**337.** Eius Tristium libri V. c. scholl. marg.; p. **338**—**465** [fol. Gg 1ª]. Eius de Ponto libri IV.; fol. Gg 1ᵇ—Hh 2ᵇ Claudii Ptolemaei inerrantium stellarum significationes, per Nicolaum Leonicum e Graeco translatae; fol. Hh 3ª—Ii 1ª XII Romanorum menses in veteribus monimentis Romae reperti; fol. Ii 1ᵇ—5ᵇ Sex priorum mensium digestio, ex sex Ovidii Fastorum libris excerpta; fol. Ii 6ª—Kk 8ª Phil. Melanchthonis in libros VI. Fastorum Ovidii Scholia, quibus in calce Clausula typogr. est addita; ult. pag. vacat). Huic Tomo (I.) adiunctus est Tomus (II.) sic inscriptus: *P. Ovidii Nasonis amatoria. Heroidum Epistolae. Auli Sabini epistolae tres. Elegiarum libri tres. De arte amandi libri tres. De remedio amoris libri tres. In Ibin. Ad Liuiam, de morte Drusi. De nuce. De medicamine faciei. Fragmenta ex Epigrammatis Nasonis. Carmen ad Pisonem. Additis Guidonis Morilloni in Heroidas, et A. Sabini Epistolas, ac in Ibin argumentis.* (Hic Index figuris ligno incisis cinctus est) — (In fine:) *Basileae, per Henrichum Petri, Anno Salutis M. D. XLVIII. Mense Martio.* 8. **30**½ plagg. litt. Aaa—Zzz, AAa—HHh (½ pl.) sign., **485** pagg., seq. pag. non num. admonitionem ad lectorem et Clausulam typogr. cont., ult. fol. album ††).

> — *Fastorum libri VI. Tristium libri V. De Ponto libri IIII. Item Claudii Ptolemaei in errantium* (sic) *Stellarum significationes, per Nicolaum Leonicum a Graeco translatae. XII. Romano-*

---

*) Hos, Mylio teste (in Chronologia Scriptorum Melanthonis ad a. 1537.), Melanthon praelegit a. 1537. exorsus 11. Octob., et finivit 23. Decemb. anni sequentis.

**) Haec Ed. in Biblioth. acad. Ienensi est.

***) Hanc Ed. Mylius l. l. ad a. 1541. sic affert: „Hoc anno vidi editos commentarios Phil. in Fastos Ovidii, Basileae per Henricum Petrum.“ Indicem huius Ed. accuratius perscribere nequeo.

†) Hanc Ed. Schweiger in l.: Handb. der class. Bibliogr. Tom. II. P. 2. p. 654. memorat.

††) Haec Ed., quae in meis libris est, Schweigero latuit.

rum menses, in ueteribus monumentis Romae reperti. Sex priorum mensium digestio, ex sex Ouidij Fastorum libris excerpta. Adiecimus quoque in Fastorum libros Scholia Philippi Melanthonis. Coloniae Martinus Gymnicus excudebat, Anno M.D.XLVIII. 8. **26** plagg. litt. A—Z, Aa—Cc sign., **413** pagg., $1^1/_2$ foll. non num. vacant (pag. **3**—**160**. Ovidii Fastorum libri VI., adiectis in margine scholiis et varietate lectionis; p. **161**—**176**. Cl. Ptolemaei inerrantium stellarum significationes per Nicol. Leonicum e Graeco translatae, praemissa epistola ad lectorem; p. **177**—**190**. Phil. Melanthonis in libros VI. Fastorum Ovidii Scholia; seq. fol. vacat; p. **193**—**307**. Ovidii Tristium libri V. c. scholl. marg. et varietate lect.; p. **308**—**413**. Eius de Ponto libri IV. c. scholl. marg. et var. lect. *).

P.** Ovidii Nasonis poetae Sulmonensis Fastorum libri VI. Tristium libri V. De Ponto libri IV. In Ibin. Cum Commentariis doctiss. virorum, Ant. Constantij Fanensis, Pauli Marsi, Barth. Merulae, Domitij Calderini, Zarotti: multo quam hactenus usquam, et elegantius et emendatius excusis. His accesserunt Enarrationes Viti Amerpachij, Iacobi Micylli et Philippi Melanchthonis Annotationes, longe doctissimae: quibus loca uel deprauata, uel obscuriora, parumque recte hactenus ab alijs intellecta, ita emendantur et explicantur, ut uix quicquam desiderare amplius horum librorum studiosi possint.* (Infra haec Insigne typogr.: Superior humani corporis pars tribus capitibus instructa columnaeque imposita.) ***Cum locuplete rerum et uerborum in his memorabilium Indice. Basileae per Ioannem Heruagium, Anno **1550**. ***Mense Martio.*** — (In fine:) ***Basileae, per Ioannem Heruagium, Anno*** **1550**. ***Mense Martio.*** Fol. Sign. a, a—z, A—Z, Aa—Zz, AA—ZZ, Aaa—Hhh, 4 foll. non num., **793** pagg., $5^1/_2$ foll. non num. (fol. a **2**ᵃ—**4**ᵇ Iac. Micylli praefatio ad lectorem, Pauli Marsi Piscinatis praefatio in Fastos, eiusdemque vita Ovidii; pag. **1**—**387**. Ovidii Fastorum libri VI. cum Antonii Constantii Fanensis argumento eiusque et Pauli Marsi scholiis; p. **387**—**391**. Phil. Melanthonis in libros Fastorum scholia; p. **391**—**398**. Viti Amerpachii praefat. et scholia in eosdem; p. **399**—**409**. Inerrantium stellarum significationes ex Plinio, Columella, Ptolemaeo etc.; p. **410**. Barthol. Merulae epistola nuncupat. ad Marcum Cornelium; p. **411**—**543**. Ovidii Tristium libri V. cum Merulae in eos enarrationibus; p. **544**—**573**. Viti Amerpachii epist. nuncup. ad Ioh. Hodioviscum et expositio librorum V. Trist. Ovidii; p. **573**—**578**. V. Amerpachii epist. nuncup. ad Bohuslaum Hodioviscum, Oratio Aiacis ex XIII. Transform. conversa in solutam orationem per eundem, Responsio Ulyssis; p. **577** (iterat.)—**718**. Ovidii de Ponto libri IV. cum Merulae et Micylli in eos enarrationibus, praemissa Merulae in eas praefatione ad Marcum Cornelium; p. **719**—**739**. V. Amerpachii epist. nuncup. ad Christoph. a Mingwitz et expositio illorum librorum de Ponto; p. **740**—**793** [fol. Hhh **1**ᵃ] Ovidii in Ibin carmen cum Domitii, Zarotti et Micylli commentariis; fol. Hhh **1**ᵇ—**6**ᵃ Rerum et verborum in Ovidii Fastorum, Tristium, de Ponto, commentariis memorabilium Index, in cuius calce Clausula typogr. addita est; ult. pag. vacat) **).

P.** Ovidii Nasonis Fastorum lib. VI. Tristium libri V. De Ponto lib. IIII. Item, Claudii Ptolemaei inerrantium Stellarum significationes, per Nicolaum Leonicum e Graeco translatae. XII Romanorum menses, in ueteribus monimentis Romae reperti. Sex priorum mensium digestio, ex sex Ouidij Fastorum libris excerpta. Adiecimus quoque in Fastorum libros Scholia Philippi Melanchthonis. Basileae.* (Hic Index figuris ligno incisis cinctus est) — (In fine:) *Basileae, per Henrichum Petri, Anno Salutis humanae, M. D. LI. Mense Augusto.* 8. **33** plagg. litt. A—Z, Aa—Kk sign., **465** pagg. et $15^1/_2$ foll. non num. (pag. **3**—**194**. Ovidii Fastorum libri VI. cum scholl. margin., inter quae in his et seqq. libris etiam varietas lectionis affertur; p. **195**—**337**. Eius de Tristibus libri V. c. scholl. marg.; p. **338**—**465** [fol. Gg **1**ᵃ]. Eius de Ponto libri IV. c. scholl. marg.; fol. Gg **1**ᵇ—Hh **2**ᵇ Claudii Ptolemaei inerrantium stellarum significationes, per Nic. Leonicum e Graeco translatae; fol. Hh **3**ᵃ—**5**ᵇ XII Romanorum menses in veteribus monimentis Romae reperti; fol. Hh **6**ᵃ—Ii **1**ᵃ Menses quidam ex antiquorum fastis, variis in locis reperti; fol. Ii **1**ᵇ—**5**ᵇ Sex priorum mensium digestio, ex sex Ovidii Fastorum libris excerpta; fol. Ii **6**ᵃ—**8**ᵃ Ph. Melanchthonis in libros VI. Fastorum Ovidii Scholia, in quorum calce Clausula typogr. legitur; ult. pag. vacat). Hunc Tomum (I.) sequitur Tomus (II.), cuius Index cum Indice Tomi (II.) editionis Basil. **1548**. et verbis et figuris omnino congruit. In fine huius Tomi legitur Clausula: ***Basileae, per Henrichum Petri, Anno Salutis, M.D.LI Mense Augusto. 8. **30**$^1/_2$ plagg. litt. Aaa—Zzz, AAa—HHh ($^1/_2$ pl.) sign., **485** pagg., seq. pag. non num. (Admonitio et Clausula), ult. fol. album ***).

— ***Fastorum libri sex. Quibus accessere Claudii Ptolemaei Inerrantium Stellarum significationes per Nicolaum Leonicum e Graeco translatae. XII. Romanorum menses, in ueteribus***

---

*) Haec quoque Ed., quam ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo, Schweigero incognita fuit.

**) Haec Ed., quae in Biblioth. regia Stuttgard. et in meis libris est, a Schweigero l. l. p. 628. 654. et in Ovidii Operum Ed. Bipont. (1783. 8. 3 Tomi) Tom. I. in notitia literaria p. LIV sq. memoratur.

***) Hanc Ed., quam etiam Schweiger l. l. p. 654. memorat, ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo.

monumentis Romae reperti. Sex priorum mensium digestio, ex Ouidij Fastorum sex libris excerpta. Adiecimus quoque in Fastorum libros Scholia Philippi Melanchthonis. Coloniae Agrippinae Excudebatur Gualthero Fabricio IV. L. Anno M. D. LV. 8. 12 plagg. litt. A—M sign., 190 pagg., ult. fol. non num. vacat (pag. 3—160. Ovidii Fastorum libri VI. c. scholl. marg. et varietate lectionis; p. 161—176. Cl. Ptolemaei inerrantium stellarum significationes per Nic. Leonicum e Graeco translatae, praemissa epistola; p. 177—190. Phil. Melanchthonis in libros VI. Fastorum Ovidii Scholia.) Haec sequuntur cum propriis indicibus: *P. Ovidii Nasonis de Tristibus. Libri quinque. Coloniae Agrippinae Excudebatur Gualthero Fabricio IV. L. Anno M. D. LV.* 8. 7½ plagg. litt. A—H (½ pl.) sign., 120 pagg. — *P. Ovidii Nasonis de Ponto. Libri IIII. Coloniae Agrippinae Excudebatur Gualthero Fabricio IV. L. Anno M. D. LV.* 8. 7 plagg. litt. A—G sign., 108 pagg. 2 ult. foll. non num. vacant. In utrisque libris scholl. et varietas lect. in marg. adscripta sunt *).

P. Ovidii Nasonis Fastorum libri sex. Quibus accessere Cl. Ptolemaei stellarum significationes per Nicol. Leonicum e graeco translatae. Adiecimus quoque in Fastorum libros scholia Phil. Melanchthonis. Coloniae Agrippinae, Gualth. Fabricius 1560. 8. 8 foll. non num. et 190 pagg. **).

— — (Idem Index ac in Ed. Colon. 1555.) *Coloniae Agrippinae, Excudebatur Gualthero Fabricio. Anno M. D. LXIIII.* 8. 12 plagg. litt. A—M sign., 190 pagg., ult. fol. non num. vacat (pag. 3—160. Ovidii Fastorum libri VI. c. scholl. marg. et var. lect.; p. 161—176. Cl. Ptolemaei inerrantium stellarum significationes per Nic. Leonicum e Graeco translatae, praemissa epistola; p. 177—190. Phil. Melanchthonis in libros VI. Fastorum Ovidii scholia.) Haec subsequuntur cum propriis indicibus: *P. Ovidii Nasonis de Tristibus libri V.* (Infra haec Insigne typogr.) *Coloniae Agrippinae, Ad Intersignium Monocerotis. Anno M.D.LXX.* 8. 7½ plagg. litt. A—H (½ pl.) sign., 120 pagg. *P. Ovidii Nasonis de Ponto libri IIII.* (c. Insigni typogr.) *Coloniae Agrippinae Ad Intersignium Monocerotis. Anno M.D.LXVIII.* 8. 7 plagg. litt. A—G sign., 108 pagg., 2 ult. foll. non num. vac. In utrisque libris scholl. et var. lect. in marg. sunt adiecta ***).

— *Fastorum libri VI. cum Ioan. Freigii argumentis et annotatt. Tristium et de Ponto libri. It. Cl. Ptolemaei stellarum significationes per Leonicum e Graeco translatae. Scholia Phil. Melanchthonis Basileae, ex off. Hr. Petri m. Mart.* 1568. 8. †).

Pub. Ovidii Nasonis Opera. Tomi III. cum variorum doctorum virorum commentariis, et emendationibus, unum in corpus magno studio congestis. Francof. typ. Wechel. ap. Claud. Marnium et heredes Io. Aubrii. 1601. Fol. Vol. I. In hac editione praeter *Bersmani*, Iac. *Micylli* et Herc. *Ciofani* observationes integras in Ovidium occurrunt in Heroides Ant. *Volscus*, Hubertinus *Clericus*, Ianus *Parrhasius*, Io. *Scopa*, Aaron *Battaleus*, Gaudentius *Merula*, Domitius *Calderinus*, Georg. *Merula* et Bapt. *Egnatius*, et Guid. *Morilloni* argumenta: in libros amorum Dominicus *Marius Niger*, in artem et remedia amoris Barthol. *Merula*, in Nucem *Niger* et *Erasmus*, in poema de medicamine faciei iterum *Niger*, in libros fastorum Anton. *Constantius* Fanensis, Paullus *Marsus*, *Phil. Melanchthon* et Vitus *Amerbachius*, in Tristium libros et de Ponto Barthol. *Merula* et *Amerbachius*, in Metamorphosin Raph. *Regius*, in Ibin *Zarottus* ††).

Ex his apparet, Melanthonis in Fastos Ovidii scholia duodecies prodiisse: 1) *Halae Suev.* 1539. 8., 2) *Basil.* 1541. (?), 3) *Basil.* 1544. 12., 4) *Basil.* 1548. 8., 5) *Colon.* 1548. 8., 6) *Basil.* 1550. Fol., 7) *Basil.* 1551. 8., 8) *Colon.* 1555. 8., 9) *Colon.* 1560. 8., 10) *Colon.* 1564. 8., 11) *Basil.* 1568. 8., 12) *Francof.* 1601. Fol., ex quibus editionibus hasce sex: 1) Ed. *Basil.* 1548., 2) Ed. *Colon.* 1548., 3) Ed. *Basil.* 1550., 4) Ed. *Basil.* 1551., 5) Ed. *Colon.* 1555., 6) Ed. *Colon.* 1564. in manibus habemus, quas in hac nostra Ed. solis annorum numeris significabimus.

---

*) Hanc Ed., quae Schweigerum fugit, e Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo (Mel. scholia in hoc exemplari manco desunt).

**) Haec Ed. a Schweigero l. l. p. 657. memorata in Biblioth. acad. Gotting. est.

***) Hanc Ed. Schweigero incognitam ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo.

†) Sic haec Ed. a Schweigero l. l. p. 654. affertur.

††) Sic haec Ed. in Ovidii Operum Ed. Bipont. Tom. I. p. LVIII sq. describitur.

IN OVIDII FASTORUM LIBROS SEX
SCHOLIA PHILIPPI MELANTHONIS.

In Fastorum librum I.

Hi libri sunt scripti et dedicati Augusto; verum in exilio sunt emendati et dedicati Germanico. Fasti significant simpliciter idem, quod nunc vocamus Calendarium. Est ergo argumentum libri: Poeta describit Romanum calendarium, festa et fabulas festorum, sicut nostro tempore Mantuanus [1]).

Prodest autem lectio huius libri, I. quia continet exempla ortuum et occasuum aliquot stellarum, quas certe necesse est tenere ad conservandam rationem temporum, et veteribus ortus illi et occasus erant Calendarium, sicut [2]) describitur ab Hesiodo. II. Sunt multa historica, quibus certe opus est in omni vita, et in omni genere doctrinarum. III. Prodest adolescentibus legere ista poemata ad conservationem linguae Latinae, et discendam grammaticam. IV. Multa sunt hic vocabula et appellationes, quae partim ad grammaticam, partim ad physicam pertinent. V. In ipso poemate sunt multi loci communes, et exempla rhetorica.

Ovidii temporibus fuit eadem descriptio anni, quae nunc est, quia noster annus est institutus a C. Iulio [3]) redeunte ex Aegypto. Ante Iulium Romani habebant menses lunares, et intercalabant alias secundo, alias tertio quoque anno. Ideo dicimus alios esse menses solares, illud spatium, quo sol unum signum peragrat; alios esse lunares; et hic est duplex: aut a coniunctione ad coniunctionem, aut a coniunctione ad punctum, unde exit, et hi sunt incompleti; alios esse civiles menses, quibus nos utimur. Ergo in historiis ante Iulium intelligendi sunt menses lunares. Et falsa est opinio, quod Romulus habuerit tantum decem menses; sed quia Numa mutavit anni principium, dicitur addidisse duos menses. Et apud omnes gentes a principio mundi usque fuerunt duodecim menses.

Vs. 19. [4]) *Pagina iudicium*] Praeterquam quod est ad omnes principes erudite scribendum, accedit, quod tu es eruditus, eruditius iudicas, itaque metuo te censorem.

Vs. 27. *Tempora*] Hactenus dedicatio; sequitur narratio. Plutarchus [5]) reprehendit hanc narrationem, quod Romulus habuerit decem menses, et ego idem existimo.

Vs. 45. *Ne tamen*] Dies sunt duplices, fasti et nefasti, sicut iam alii sunt festi, alii profesti.

Vs. 54. *Est quoque, qui nono*] Romanis et Graecis nonus dies fuit festus.

Vs. 55. *Vendicat Ausonias*] Iuno praeest Calendis, quae dictae sunt, quia populus convocabatur in urbem. *Ausonias*] quia Graeci non habebant Calendas.

Vs. 67. *Dexter ades ducibus*] Tiberio et Germanico, quorum labore est pacatus et tranquillus orbis terrarum.

Vs. 141. *Ora vides Hecates*] Hecate est luna, quia tres sunt partes lunae; alias enim est plena, alias διχότομος, alias cornuta. Posita autem est luna ad vias, sicut nunc imagines crucis, quia ipsa gubernat vias.

De ortu et occasu stellarum.

Necesse est tenere discrimen de ortu cosmico, heliaco et acronycho [5a]), et videndum est, qui versus Ovidii ad quos ortus vel occasus accommodandi sint.

Secundo, elevatio poli variat ortus et occasus, ut Luneburgae, ubi est elevatio 54., prorsus non occidit Lyra, neque Witebergae tota mergitur sub horizontem, et cum Libra vel initio Scorpionis tota oritur cosmice, postea heliace, cum sol venit in Sagittarium. Quaeri autem potest, utrum Ovidius referat suos ortus ad Romanam elevationem, an ad Alexandrinam. Est autem Romae elevatio poli 42., Alexandriae vero in Aegypto graduum 31 [6]).

Tertio observandum est, ad quod signum Zodiaci stella possit referri. Nam signorum or-

1) Ioh. Baptista Mantuanus, Mantuae a. 1448. natus ibique 1518. mortuus, praeter alia etiam Fastorum libros XII. scripsit. Vide C. I. Bouginé: Handb. der allgem. Litterargesch. Tom. I. p. 569 sq.

2) sicut] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. habet: sic.

3) De anno a C. Iulio Caesare ordinato vide Schneiderum ad Varronem p. 316 sqq. et Ideler Handb. der mathem. u. techn. Chronol. T. II. p. 123 sqq. 143. et T. I. p. 67.

4) Hos versuum numeros, quibus illae Editt. carent, ex Ed. Gierig. (P. Ovidii Nasonis Fastorum libri VI. Recensuit Gottl. Erdm. Gierig. Lips. MDCCCXII. 8.) adscripsi.

5) Conf. Plutarch. vita Numae c. 18.

5a) Conf. Ideler l. l. T. I. p. 53.

6) graduum 31] sic Ed. 1550.; Editt. 1548., 1551., 1564. graduum 3.

tus sunt notiores. Olim autem pertinuit Lyra ad Sagittarium, etsi altiore loco est. Ergo Alexandriae cum Sagittario cosmice oriebatur, postea heliace, cum sol [7]) praeteriisset medium Virginis.

Quarto, illud est subtilius, quod variant ortus propter motum octavae sphaerae, singulis 100 annis fere unum gradum. Quaerendum est igitur, an reducto motu octavae sphaerae ad tempus Ovidii, conveniant ortus Ovidiani ad Romanam elevationem, etc.

Quinto, ut autem in globo picto res possit oculis subiici, constitues Alexandrinam elevationem ad has [8]) Ovidii, Plinii, Columellae et Hyginii descriptiones, nunc quoque proxime conveniunt. Ita Plinius [9]) inquit, Fidiculam, id est, Lyram, VI. [10]) Idus Augusti occidere, quod quidem verum est de cosmico occasu, iuxta Alexandrinam elevationem. Item Plinius [11]) inquit: Fidicula exoritur XII. Calend. Iunii; quod verum est de ortu acronycho Lyrae iuxta Alexandrinam elevationem. Item Columella [12]) et Plinius [13]) inquiunt: Nonis Ianuarii Fidis exoritur mane, tempestas varia; quod verum est de heliaco ortu, si quidem iuxta Alexandrinam elevationem cum Sagittario cosmice Lyra oriebatur.

Vs. 357. ***Rode caper.***] Sunt versus Callimachi, et recitantur a Suetonio in vita Domitiani [14]):

Κῆν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοι τράγε [15]) θυομένῳ.

Vs. 454. ***Inachi lauta.***] Romae etiam Isidi sacra erant, advecta ex Aegypto. Isis est Io, Inachi filia.

Vs. 459. ***Postera lux.***] Sequitur alia descriptio: decima die Ianuarii est medium hyemis. Annus distinguitur in quatuor partes. Tres sunt menses hyberni, tres verni, tres aestivi, et tres autumnales; ad hanc supputationem saepe alludunt medici.

Vs. 461. ***Proxima.***] Undecima dies Ianuarii est dedicata Carmentae et Iuturnae.

Vs. 462. ***Arcadicae*** [16]).] Carmentae. Illa dicitur primum intulisse litteras in Italiam.

Vs. 463. ***Te quoque.***] Illa die est tibi, Iuturna, dedicatum templum.

Vs. 464. ***Campus.***] Ad aquam, quae vocatur Virgo, propterea quod fontes monstrati fuerunt a quadam virgine.

Vs. 469. ***Orta prior.***] Arcades dicunt se ortos fuisse ante lunam, quod propter observationem quandam motus lunae existimo.

Vs. 473. ***Quae simul aetherios.***] Elegantes versiculi, describentes vaticinantium naturam.

Vs. 482. ***Offenso pulsus es.***] In ipso exilio nihil est turpitudinis, si non merito pateris.

Vs. 485. ***Conscia mens.***] Conscientia vel affert consolationem, vel auget dolorem.

Vs. 488. ***Obruit ingentes.***] Consolatur eum exemplis.

Vs. 491. ***Pegasaeus*** [17]).] ex Pegasis, oppido Thessaliae, tandem Corinthi fuit exul.

Vs. 493. ***Omne solum.***] Opposita sententia, vel aetiologia, quare exilium nihil habeat turpitudinis.

Vs. 495. ***Nec fera tempestas.***] Alia consolatio a fine et exitu: Non erit perpetua ista calamitas, erit finis malorum.

Vs. 565. ***Nititur hic humeris.***] Hercules fingitur sustinuisse aliquamdiu coelum, et subiisse pro Atlante. Et significat eum aut defendisse religionem et iustitiam, aut primum docuisse doctrinam de rebus coelestibus in Graecia, sicut Alphonsus nostro tempore.

Vs. 587. ***Idibus in magni.***] Decima tertia dies Ianuarii est Iovi sacra, et eo die Octavio venienti in urbem est tributa appellatio Augusti.

Vs. 651. ***Haec ubi.***] Apud Ovidium sol ingreditur Aquarium die 17. Ianuarii; at in nostris calendariis pervenit ad Aquarium 10. die. Hic si quaeratur causa dissimilitudinis, una est illu-

---

7) cum sol] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. male: cum se sol.

8) has] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. hanc.

9) Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 68, 2. Ed. Franz. (c. 28. Editt. antiq.).

10) VI.] sic Editt. 1548., 1550., 1551., 1564.; apud Plin. l. l. legitur: III.

11) Plin. ibid. XVIII, c. 67, 3. Ed. Franz. (c. 27. Editt. antiq.).

12) Colum. de re rust. XI, 2.

13) Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 64. Ed. Franz. (c. 26. Editt. antiq.).

14) Sueton. Domitian. c. 14.

15) *σοι τράγε*] sic Editt. 1548 — 1564.; Sueton. Ed. Burmann. habet: *Καίσαρι*.

16) *Arcadicae*] sic h. l. Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Geier.: *Arcadiae*.

17) *Pegasaeus*] sic Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Gierig.: *Pagasaeus*.

strior, videlicet sumpta ab intercalatione. Nam hoc tempore intercalatio haberet opus emendatione: quae si fieret, iterum prope congruerent introitus in signa ad descriptionem Ovidii. Quia enim intercalatio, quae fit quarto quoque anno, aliquantulum superat iustum spatium, fit, ut in 334[18]) annis supersit dies. Ita paulatim tempora aequinoctiorum, et introitus in signa in calendariis retroferuntur et anticipant; et si emendaretur intercalatio, oporteret aliquoties omitti intercalationem. Hoc modo et Augustus emendavit et restituit calendarium.

Die 2.[19]) Lyra Ovidio occidit, quod non intelligatur de tota Lyra, sed de parte, videlicet de nova[20]) stella. Nam sole paululum progresso in Aquarium, incipit iam Lyra delabi infra horizontem cum sole. Hic occasus est acronychus, quo cum sole stella sub horizontem delabitur, idque vult Columella[21]) inquiens: XI. Calendas Februarii Lyra[22]) occidit vesperi. Sic enim describunt acronychum occasum. Verum hic disputari potest, caeteras stellas Lyrae nondum delapsas circa horizontem occultari. Haec occultatio vocatur[23]) heliacus occasus. Sed illam subtiliorem rationem de occultatione reiicio ad eos, qui tradunt sphaerica. Ovidius initio secundi libri ait Lyram occidere, ubi iam de occasu totius Lyrae loquitur. Sicut et Plinius[24]) ait: Pridie Nonas Februarii Fidicula occidit vesperi, scilicet occasu acronycho. Illud observent adolescentes, quare non cum[25]) iisdem signis stellae oriantur cosmice, et occidant acronyche, videlicet propter latitudinem, qua recedunt a Zodiaco. Die 24. cor Leonis occidit cosmico occasu, videlicet e regione Aquarii. Sic et Plinius inquit: Octavo Calendas Februarias stella regia in pectore Leonis occidit matutino.

Vs. 663. *Coronati.*] tanquam defuncti labore. Sumpta metaphora ab athletis.

18) 334] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550.: 134.

19) Die 2.] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. Die 23.

20) nova] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. noua.

21) Colum. de re rust. XI, 2, 4.

22) Lyra] sic Editt. 1548—1564.; Colum. h. l. habet: Fidicula.

23) vocatur] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. mendo typogr.: vocar.

24) Plin. Nat. Hist. XVIII. c. 64. Ed. Franz. (c. 26. Editt. antiq.).

25) cum] Ed. 1550. mendo typogr.: eum.

In Fastorum librum II.

Principio disputat de nomine, quid significet Februarius.

Vs. 35. *Omne nefas.*] Locus communis de expiationibus. Ritus ac caerimoniae manserunt et cumulatae sunt; vera doctrina de remissione peccatorum et de fide est extincta. Et descriptiones sacrificiorum apud Homerum sunt similes per omnia Mosaicis.

Vs. 45. *Ah nimium.*] Indignatio. Deridet caerimonias, quia non intelligit, unde sint ortae.

Vs. 47. *Sed tamen.*] De ordine mensium. Dicit Ianuarium fuisse primum mensium, et ultimum Februarium post Decembrem; sed hoc nusquam alias legitur.

Vs. 153. *Tertia nox veniet*[26]).] Arcturus stella est in medio Bootis. Sic autem in coelo positus est Bootes obliquus, ut pedes prius ascendant, quam reliquum corpus, quia minus recedunt ad septentrionem. Propterea nominatim inquit Ovidius: *Adspicies geminos exeruisse pedes.* Loquitur autem de ortu acronycho. Nam Arcturus vesperi conspici incipit in initio veris, ut testantur oculi. Ortus discerni possunt ex loco. Cum enim supra Virginem positus sit Arcturus, mense Augusto paulo ante Virginem oritur cosmice. Hoc tempus intelligitur, cum autores simpliciter dicunt: post Arcturum, ut Aristoteles de cervis: Coitus fit post Arcturum mense Augusto et Septembri, id est, post ortum cosmicum Arcturi. Hinc facile possunt iudicari diversa autorum loca. Plinius libro 2.[27]) Arcturi sidus, quod exoritur undecim diebus ante aequinoctium autumni, loquitur de heliaco ortu. Libro 18.[28]): Mense Februario, die 22. Arcturus oritur exortu vespertino. Loquitur de acronycho ortu. Plinius libro 18. cap. 31.[29]): Quarto Nonas Novembris Arcturus occidit vesperi occasu acronycho. Sic et Virgilius loquitur de occasu acronycho, qui fit in Novembri, cum inquit[30]):

Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes,
Incipe et in medias sementem extende pruinas.

26) *veniet*] sic h. l. Editt. 1548—1564.; Ovid. Ed. Gierig.: *veniat.*

27) Plin. Nat. Hist. II, c. 47.

28) Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 65, 1. Ed. Franz. (c. 26. Editt. antiq.).

29) cap. 31.] sic in Editt. antiq.; cap. 74. Ed. Franz.

30) Virg. Georg. I, 229 sq.

Alio loco Virgilius[31]) loquitur de ortu heliaco, qui fit in autumno:

Sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco.

Ovidius de undecima die Februarii intelligit ortum acronychum.

Vs. 153. *Tertia nox veniet*[32]) etc.] De quinta die Martii intelligit occasum cosmicum.

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes,
Mergetur, visus effugietque tuos[33]).

Vs. 192. *Maenaliam.*] Arctos enim nunquam occidit, quia est vicina polo.

Vs. 243. *Continuata loco.*] Quarta decima die Februarii oriuntur Crater, deinde Corvus, ortu acronycho, videlicet cum principio Virginis[34]), quae vesperi tunc ascendit, e regione Pisces. Est autem longum sidus Hydra[35]) in medio Cancri, usque ad Virginem porrecta, cui fingitur impositus Crater fere in medio, in cauda sedet Corvus. Verbum *τύφομαι* significat fumare. Inde fuit[36]) Typhon nomen turbinis; et apud Aegyptios ardens halitus, qui longe fertur, et incendit arbores, appellatur Typhon, ut scribunt Plinius[37]) et Plutarchus[38]). Hinc multae fabulae natae sunt. Fingunt Typhonem quendam fuisse, qui occupato regno Aegypti, interfecerit Osiriden, et expulerit Isidem. Fortassis aliquem tyrannum comparant Typhoni, qui tanquam flamma late grassatus sit. Et fabula de Venere fugata videtur alludere ad fugam Isidis. Ac si proprie Typhon dicitur, non Typhoeus, qui fugavit Venerem, accommodanda est fabula ad illud Aegyptium meteoron. Sed Ovidius hic Typhonem intelligit unum esse ex Gigantibus, qui coelum oppugnarunt. Quare pro Typhoeo videtur Typhonem dicere. Plutarchus Typhonis fabulam accommodat ad meteora, et generaliter ad causas generationum. Quia enim ex humido res gignuntur vi caloris, ideo ait finxisse Aegyptios igneam vim persequentem Venerem in aquis, id est, materiam humidam. Et Typhoeus sub Aetna iacens significat halitus ardentes, qui sunt causa incendii in Aetna, a *τύφομαι*, id est, fumo. Haec est origo verbi, quo Paulus[39]) etiam usus est: *τετυφωμένοι*, id est, attoniti, quasi dicas: stupefacti fulmine vel turbine, seu siderati, a *τύφων*, id est, turbine inflammato.

31) Virg. Georg. I, 67 sq.

32) *veniet*] sic Editt. 1548—1564.; Ovid. Ed. Gierig. *veniat*.

33) Ovid. Fast. III, 405 sq.

34) Virginis] Editt. 1548—1551. Virg., Ed. 1564. Vir.

35) Hydra] sic Ed. 1550.; Editt. 1548., 1551., 1564. hydriae.

36) fuit] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. fit.

37) Conf. Plin. Nat. Hist. II, 48.

38) Plutarch. de Iside et Osiride c. 2 sqq.

In Fastorum librum III.

Hic tertius liber principio continet historica de Romuli et Remi nativitate. Deinde sequitur descriptio veteris anni admodum utilis, vel astrologica vel physica. Deinde ratio intercalationis, postea ortus et occasus, ut Arcturi occasus et vindemitoris, qui praecedit vindemiam.

Vs. 165. *In lustrum accedere.*] Lustrum continet 4 annos; sed pro 5 annis usurpatur, quia additur currentis anni principium.

Vs. 409. *Ampelon*] Fabula, quomodo translatum sit in coelum hoc sidus.

Vs. 410. *Ismariis iugis*] in Thracia.

Vs. 419. *Ipse*[40]) *mereri.*] quam rapere, virtute meruit illum titulum, illos honores.

Vs. 461. *Mutarat.*] Ariadne. Hypallage, habebat Bacchum pro periuro viro.

Vs. 519. *Altera.*] quia in fine superioris mensis Februarii sunt priora equiria, quae fuerunt tantum certamina equorum.

Vs. 522. *Coelius.*] Quando exundat Tybris in campo Martio, tunc celebrantur equiria in monte Coelio.

Vs. 562. *Vertice libatas,*] decerptas a vertice. Ille fuit mos vetus, ut comae evulsae spargerentur ad tumulum, credo luctus causa.

Vs. 707. *Morte iacent merita.*] Intra biennium post mortem Caesaris, mortui sunt omnes, qui conspiraverant in mortem Caesaris. *Philippi*] Ubi pugnatum est in Macedonia, et ibi Cassius et Brutus victi et interfecti sunt.

Vs. 710. *Caesaris.*] Augusti. Scripsit enim hunc librum vivo eo, cum adhuc Romae esset, quamquam postea immutavit.

Vs. 791. *Argeos*] Imagines hominum erant, quae deiiciebantur de ponte in Tybrim, pro quadam veteri memoria pugnae cum Argivis, reliquiis Herculis factae. Et fuit monimentum cuiusdam veteris historiae.

39) In epist. II. ad Timoth. 3, 4.

40) *Ipse*] sic h. l. Editt. 1548—1564.; Ovid. Ed. Gierig. *ille*.

Vs. 793. *Stella Lycaoniam*] Milvii appellatio inter nomina stellarum nunc non recensetur, nec apud Ptolemaeum legitur. Sunt autem, qui existimant eam esse, quae nunc vocatur Vultur cadens, quae eadem est cum Lyra; sed commodius est Aquilam intelligere, vicinum Aquario. Iungunt enim, quia fingunt Aquarium Ganymedem esse ab aquila raptum. Cum igitur sol in Pisces processit, necesse est aliquanto ante solem praeire Aquilam, quam comitatur Aquarius. Naturam sideris describit Manilius[40a]):

> Nec pacem a bello, civem discernit ab hoste;
> Ipse sibi lex est, et fert, quocunque voluntas
> Praecipitat vires.

Lycaoniam Arcton.] Ursam, quia Ursa Calisto fingitur filia Lycaonis, et quia Arcades studiosi erant coelestium rerum.

Vs. 825. *Et licet Epeo.*] Qui fuit fabricator equi Troiani.

Vs. 826. *Prior manibus.*] excellentior artificio.

Vs. 837. *Parva, licet.*] Ita dicta est, aut quod fuerit capta ex hostibus[41]), aut quod fuerit capta, id est, consecrata.

Vs. 851. *Nunc potes*] 22. die introitus solis in Arietem, qui fit nostro tempore die 11. Martii, idque est vernum[42]) aequinoctium, etiamsi alius dies civili consuetudine aequinoctii dies vocabatur, ut apud nos dies Gregorii. Quod autem tunc tardiora fuerint aequinoctia, praecipua causa est, quod hoc tempore intercalatio non satis emendata est. Cumque anni usuales maiores sint solaribus, necesse est aequinoctiorum dies recurrere.

Vs. 852. *Here.*] Heri, quarto die quinquatrium Minervae.

Vs. 853. *Seminibus.*] Fabula de Ariete in coelum translato. *Novercae.*] Inus cum corrupisset semina sive tosta, sive alioqui medicata, non provenerunt fruges.

In Fastorum librum IV.

Descriptio mensis Aprilis, in qua sunt plura historica, vel fabulosa, quam astronomica.

Vs. 24. *Autores retulit.*] Primos menses consecravit autoribus stirpis, Marti et Veneri.

Vs. 125. *Nec Veneri.*] Quare Vernus mensis dictus sit a Venere, quia illo tempore eduntur foetus animantium.

Vs. 134. *Et vos.*] Vos puellae, quae nondum geritis vittas et longas vestes.

Vs. 278. *Phryxeae sororis.*] Hellesponti sunt quaedam angustiae maris, ab inferiori parte vocatur Sigaeum, a superiori Rhetaeum.

Vs. 373. *Pallantias.*] Aurora, filia Pallantis. Fingunt Pallanta unum fuisse ex Titanibus, patrem Aurorae, quia πάλλειν significat vibrare; suntque veteres appellationes plerumque meteorologicae. Iuba, rex Numidarum, adiuvit hostes Caesaris in Africa, deinde victo exercitu, ipse sibi conscivit mortem.

Vs. 383. *Hanc sedem.*] loci equestris.

Vs. 387. *Ante tamen.*] Spectacula producuntur usque ad occasum Orionis, quia Orion nunc occidit post occasum solis.

Vs. 424. *Dea flava.*] Ceres, propter aristas flavas.

Vs. 626. *Grandine mixtus.*] Propter occasum Hyadum, qui sequitur. Sicut inquit Plinius[43]): XV. Cal.[44]) Maii Aegypto Suculae occidunt vesperi, sidus vehemens, et terra marique turbidum: hoc est vulgo appellatum sidus Palilicum.

Vs. 629. *Idus Veneris.*] Idus Aprilis.

Vs. 713. *Proxima*[45]) *cum.*] Hic locus praecipue in hoc opere observandus est, quod in veteribus fastis sunt tardiores introitus solis in signa, quam nunc, et hoc propter nimis magnam intercalationem.

Vs. 720. *Iunone invita.*] Illud sidus est translatum in sidera, quia Iupiter verterat Io in bovem.

Vs. 721. *Palilia poscor.*] Dies poscit, ut describam Palilia.

Vs. 791. *Exul.*] cui interdicitur igne et aqua.

Vs. 901. *Sex ubi quae.*] Die 25. medium ver est, et Aries occidit acronycho occasu. Ac postridie mane cosmice oriuntur Hoedi. Deinde

---

40a) Manilii Astron. V, 495—497. Ed. Iacob.

41) aut quod fuerit capta ex hostibus,] sic Ed. 1550.; in Editt. 1548., 1551., 1564. haec desunt.

42) vernum] sic recte Ed. 1550.; Editt. 1548., 1551., 1564. male: verum.

43) Plin. Nat. Hist. XVIII. c. 66, 1. Ed. Franz. (c. 26. Editt. antiq.).

44) XV. Cal.] sic Editt. 1548—1564.; Plin. l. l. XIV. Cal.

45) *Proxima*] sic Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Gierig. *Postera.*

vesperi Canis occidit heliace. Hic locus est observandus propter ortus et occasus siderum, quae debet esse praecipua lectionis huius utilitas.

Vs. 903. *Pecudem.*] Arietem, qui occidit iam acronycho occasu, quia sol est in Tauro, ideo cum eo occidit infima pars Arietis.

Vs. 904. *Exoriturque Capra*[46]).] Hoc tempus non quadrat ad ullum ortum Canis. Necesse est igitur mendam esse. Cumque has descriptiones ortuum constet sumptas esse ex usitato calendario, quod pariter sequuntur Ovidius, Plinius et Columella, ex Plinio emendari hic locus potest, qui inquit, hoc die oriri Hoedos, scilicet cosmice, ut in globo manifeste conspicitur cum Tauro oriri et occidere Hoedos. Quare legendum est: *Exoriturque Capra.* Verba Plinii[47]) haec sunt: Septimo Calendas Maii Hoedi oriuntur[48]), scilicet cosmice. Sexto Cal. Maii Canis vesperi occultatur, scilicet occasu heliaco. Sic et Virgilius[49]) inquit:

Taurus et adverso cedens Canis occidit astro.

Porro Hoedorum ortus cosmicus in vere, et occasus cosmicus in autumno, magnas tempestates cient. Inde sunt multi versiculi, Virgilii lib. 9.[50])

Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hoedis
Verberat imber humum.

Ideo sic inquit Ovidius: *Signaque dant imbres, exoriturque Capra.*

Vs. 905. *Hac mihi.*] Rubigalia celebrantur isto[51]) die.

Vs. 946. *Scena ioci*[52]).] Exhibentur ludi scenici.

Vs. 949. *Aufert Vesta.*] Iste dies etiam est sacer Vestae palatinae. Nam in palatio, domo Augusti, est templum Vestae, quod eo die lustratur.

In Fastorum librum V.

Ovidius reddit rationem uberiorem, quae virtus est maxime necessaria in oratione. Ponit initio tres causas appellationis Maii, vel a maiestate, vel a maioribus, vel a Maia, Mercurii matre.

Vs. 11. *Post*[53]) *chaos.*] Prima ratio de maiestate, quae constituit ordinem in natura. Locus communis de anarchia, qua nihil est miserius et calamitosius, quia Deus vult homines gubernari, alios praeesse, alios parere, ut ordo sit inter homines. Quare anarchia est res pessima. *Tria corpora.*] Aqua, terra, coelum. Porro coniungit illa, quia coeli natura est cognatum quiddam igni vel aeri, id Graeci vocant aethera, quod flagrans aliquid significat.

Vs. 57. *Magna fuit.*] Maius (v. 73.) dictus est a maioribus natu, ut admoneantur homines, reverentiam et honorem maioribus esse praestandam, quod etiam est divinum praeceptum.

Vs. 83. *Pleione*] Traditur esse uxor Atlantis, quia Atlas tradidit Orioni motus corporum coelestium, teste Pausania[54]).

Vs. 128. *Praestitibus.*] Duo fuerunt lares, alter claudebat, alter aperiebat.

Vs. 161. *Argestes.*] Fulminator, ventus spirans ab occasu aestivo.

Vs. 162. *Calabris.*] Ex occasu navigari potest versus orientem.

Vs. 164. *Latet.*] Lege *patet*, quia de ortu heliaco non potest intelligi. Porro si quis mavult legere *latet*, intelligat post occasum solis Hyadas aliquantulum cunctari, et nondum statim subsequi.

Vs. 170. *Hyas.*] Astrologus Boeoticus. Hyas, Atlas et Orion Boeotii, qui fuerunt studiosi astrologiae.

Vs. 204. *Erechthea.*] Significat bella, quae gesserunt Athenienses cum Thracibus.

Vs. 219. *Charites.*] Pingebantur tres, quia beneficium primum dandum est, postea reddendum, et quidem geminum: ita vocabant beneficentiam et gratitudinem. Transmutarunt enim virtutum vocabula in numina.

Vs. 223. *Therapnaeo.*] De sanguine Hyacinthi, qui fuit ex Therapne, id est, Laconia.

Vs. 225. *Narcisse.*] Est flos similis Colchico, cui etiam est vicinus Hermodactylus. Narcissi

---

46) *Capra*] sic in hoc comment. scripsit Melanthon, quoniam sic h. l. legendum esse argumentatur; in textu Editt. 1548—1564. (= Ed. Gierig.) legitur: *Canis.*

47) Plin. Nat. Hist. XVIII, 46, 1. Ed. Frans. (c. 26. Editt. antiq.).

48) oriuntur] sic Editt. 1548 — 1564.; Plin. habet: exoriuntur.

49) Virg. Georg. I, 218.

50) Virg. Aen. IX, 668 sq.

51) isto] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. ista.

52) *ioci*] sic Editt. 1548—1564. (= Ed. Gierig.) in textu, in hoc autem comment. *loci.*

53) *Post*] sic Editt. 1548—1564. (= Ed. Gierig.) in textu, in hoc autem comment. *Prima.*

54) Conf. Pausan. IX, 20.

nomen factum est a νάρκη, quia flos ille affert stuporem. Sic in eius fabula alluditur ad stuporem et melancholiam Narcissi.

Vs. 227. *Quid Crocon, aut Smilacen*[55])] De Croco et Smilace tradita est haec fabula, Crocum a Mercurio colludente casu interemptum esse disco. Quare Smilax virgo, quae amaverat Crocum, luctu contabuit. Mercurius igitur et Crocum et Smilacen in flores convertit. Ideo Graeci significantes mutuum amorem coniugum, fingunt Iovem croco, Iunonem smilace coronari. Est autem species volubilis passim sepibus adhaerescens et late prorepens, habet florem candidum, solet nasci iuxta crocum. Id fabulae dedit occasionem. Ut igitur natura et fabula iunxerunt Crocum et Smilacen, ita puto hic iunxisse Ovidium, ac legendum esse *Smilacen: Quid Crocon aut Smilacen referam?* Iungit et in Metamorph.[56]):

Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores.

Cinyraque creatum.] Anemonem florem, ortum ex cruore Adonidis, qui fuit Cinyrae et Myrrhae filius; ab ἄνεμος, quia venti decutiunt folia.

Vs. 228. *Surgit honor.*] qui iam sunt celebres flores.

Vs. 269. *Vina quoque*] Vina florescunt in cellis, et habent συμπάθειαν cum florescentibus vitibus; id fit in locis pinguioribus.

Vs. 305. *Thestiaden.*] Meleagrum, qui propterea, quod non sacrificavit Dianae, combustus est a matre, imposito stipite in foco.

Vs. 307. *Eadem tela*[57]).] Agamemnon propterea, quod provocaverat Deos arte sagittandi, punitus est, ne possent solvere Graeci ex Aulide, donec tandem mactata Iphigenia placata est Diana.

Vs. 337. *Philyra*] tunica est inter corticem tiliae et ipsam arborem, ex qua tunica fiebant funiculi et chartae, ut testatur locus in Digestis[57a]). Sic Latini usurparunt nomen philyrae; Graecis autem tota arbor tilia vocatur philyra. Faciebant etiam funes nauticos ex philyra, quia tunica est similis lino.

Vs. 355. *Cur tamen.*] Cereri sacrificatur in alba veste, quia messis matura est candida, cum[58]) flavescit. Sed in sacris Florae est usus variarum vestium, quia flores sunt varii.

Vs. 415. *Hunc Lyra.*] 5. Maii oritur Lyra acronycho ortu; nam et ipsa vicina est Sagittario. Oritur autem Alexandrinis post Centaurum, nobis multo ante. Porro Ovidius hic loquitur de vespertino ortu, qui fit[59]) in Maio.

Vs. 494. *Falsus eris.*] quia non apparet, cum occiderit heliace.

Vs. 496. *Carpebant.*] Alludit ad naturam Orionis excitantis tempestates. Ratio est a temperamentis Iovis et Mercurii.

Vs. 720. *Utile.*] Non loquitur de stellis, sed de quibusdam meteoris, quae cum apparent nautis geminae, significant bonam tempestatem. Cum venit una flamma, vocant Helenam, et dicunt significare naufragium. Vide Plin. in 2.[60]).

Vs. 723. *Nocte.*] Die 20. Maii Canis occidit occasu acronycho. Id verum est, et extat apud Columellam[61]) et Plinium[62]).

Vs. 724. *Est alio.*] Supra dixit, quare vocetur Canis Erigones, etc.

Vs. 727. *Quatuor.*] Die 26. celebratur Regifugium[63]), id est, festum de exactis regibus.

Vs. 731. *Hanc ubi.*] Die 28. Aquila oritur acronycho ortu.

Vs. 733. *Auferet*[64]) Die 29. Arcturus occidit occasu cosmico. Nobis hic in principio Octobris oritur heliace, et paulo ante oriebatur cosmice.

Vs. 734. *Continuaque*] Die 30. Pleiades oriuntur heliace. *Sidus Hyantis.*] Pleiades, quia Hyas fuit frater Pleiadum et Hyadum.

In Fastorum librum VI.

Prima disputatio est, unde dictus sit Iunius, scilicet quasi Iunonius, a iunioribus.

Vs. 65. *Herculis uxor*] Hebe, id est, iuventus, quae est ei data uxor in coelo, significat, quod virtutis gloria sit immortalis.

---

55) *Smilacen*] sic scripsit Melanthon, quia sic h. l. legendum esse putat; in textu autem Editt. 1548 — 1564. habent *Acin*, Ovid. Ed. Gierig. *Attin*.

56) Ovid. Met. IV, 283.

57) *tela*] sic Editt. 1548 — 1564.; Ed. Gierig. *vela*.

57a) Digest. l. XXXII. tit. I. leg. 52. princip.

58) cum] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; in Ed. 1550. deest.

59) fit] sic Ed. 1550.; Editt. 1548., 1551., 1564. fuit.

60) Plin. Nat. Hist. II, 37.

61) Conf. Colum. de re rust. XI, 2, 37.

62) Conf. Plin. Nat. Hist. XVIII, c. 69, 3. Ed. Franz. (c. 29. Editt. antiq.).

63) Regifugium] sic recte Ed. 1550.; Editt. 1548., 1551., 1564. Refugium.

64) *Auferet*] sic Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Gierig. *Auferat*.

Vs. 73. *Aurea.*] Mater alioqui habet magnos honores, mihi tantum tribuitur honor huius mensis.

Vs. 82. *Cacus.*] Hercules liberavit hunc locum latrociniis. Ergo debetur mihi Hebae aliquis honos.

Vs. 101. *Prima dies.*] Prima die Iunii celebratur festum Cranae, quae colebatur contra incantationes.

Vs. 107. *Cranen*[65]).] ἀπὸ τοῦ κραίνω, perficio, maturesco, a maturescentibus segetibus, quod illa culta est, ut feliciter maturescerent segetes, et ne impedirentur incantationibus.

Vs. 129. *Sic fatus spinam*[66]).] Spina alba, de qua hic loquitur, arbustum est, habens virgas aculeatas rectis aculeis, et rubentia folia. Alio nomine rhamnus appellatur. Scribitur autem virgas illas vim habere contra venena et incantationes. Ideo Nicander dixit ῥάμνον ἀλεξιάρην, quod depellat incantationes. Et de hoc arbusto intelligendus est hic locus Ovidii. Caeterum est et in herbarum genere spina alba, non multum dissimilis chamaeleonti.

Vs. 193. *Te quoque.*] Festum tempestatis, quae colebatur, quod classis Claudii esset servata, dum traiiceret ex Corsica in Sardiniam.

Vs. 197. *Postera lux.*] Secundo die Iunii Hyades oriuntur heliace. Etsi enim nondum distant integro signo a sole, tamen quia Tauri ortus est obliquior, citius in ortu apparent.

Vs. 206. *Non parvae notae.*] movendi bella. Ad illam columnam denuntiabatur bellum, cum sacerdos contorqueret hastam versus regionem hostium.

Vs. 237. *Tunc ego.*] Illo die fiunt piscatorii ludi in ripa Tybris.

Vs. 243. *Consulis.*] Marcelli.

Vs. 249. *Operata.*] Operantia, sacrificantia. Omnes veteres Graeci et Latini usurparunt illa verba: facio, operor, pro sacrificare.

Vs. 268. *Significant.*] Sicut terra habet suam sedem in medio mundi, sic focus est in medio templi[67]).

Vs. 388. *Quam minime.*] Iupiter iubet, ut eiiciant, quod habent charissimum. Illi intelligunt deiiciendum esse panem. Ibi Galli, cum prius existimarent eos fame perituros esse, re desperata destiterunt ab obsidione, et ita liberati sunt Romani.

Vs. 435. *Res est.*] Palladium nunc est Romae in templo Vestae.

Vs. 469. *Violae.*] Coronae, id est, post Vestalia.

Vs. 470. *Saxa.*] Molae, id est, quando molae iterum suas operas facient.

Vs. 473. *Iam Phryx.*] Die 11. Iunii celebratur festum Matutae seu Leucotheae, cui nomen erat Matralia. In sacello Fortunae fuit ad eius statuam addita imago regis Tulli, quo significatum est magnas esse vicissitudines in imperiis, ut ille inquit:

Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.

Vs. 589. *Esse pares.*] Tu interfecisti uxorem, ego maritum. *Indictas*[68]).] debitas, et tamen non datas.

Vs. 599. *Caedes.*] Rex interficitur.

Vs. 624. *Sextus*[69]).] Qui legunt *Septimus*, sic excusant, quia Romulus asciverit in regnum Tatium.

Vs. 641. *Domus.*] aedificata a Iulio Caesare, quam iterum demolitus est Augustus, ne videretur tyrannidem in urbe instituere velle. Illo loco condita est porticus elegans.

Vs. 647. *Sic agitur.*] Epiphonema: Exempla regum movent subditos, ut scilicet in vulgus manant exempla potentum.

Vs. 661. *Tempus.*] quod prohibuit, cum aediles redigerent tibicines ad certum numerum, et prohiberent epulationes in aede Iovis.

Vs. 669. *Quidam.*] scilicet libertinus, homo boni ingenii, qui fuisset dignus superiori ordine quam libertinorum.

Vs. 674. *Praecomposito.*] Sicut antea inter se composuerant libertus et patronus.

Vs. 676. *Vindictae.*] Virgae praetoris, qua praetor tangens aliquem, pronuntiabat eum ma-

65) *Cranen*] sic Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Gierig. *Granen.*

66) *spinam*] sic Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Gierig. *virgam.*

67) templi] sic Editt. 1548., 1551., 1564.; Ed. 1550. templo.

68) *Indictas*] sic Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Gierig. *i, dictas.*

69) *Sextus*] sic h. l. Editt. 1548 — 1564.; Ovid. Ed. Gierig. *Septimus.*

numissum, et ille dicebatur vindicta liberatus. Hyades dictae sunt nymphae Dodonides, a Dodono, Europae filio, cognato Cadmi. Itaque alii scripserunt Hyadas fuisse filias Cadmi [70]).

Vs. 735. *Avitis.*] A Iovis fulmine ictus, quia revocasset in vitam Hippolytum.

Vs. 746. *Coronides.*] Aesculapius, filius Coronidis, mulieris Achaicae.

Vs. 750. *Manibus.*] vitae. Revocavit Glauci manes ad vitam. Fuit Sisyphi filius, discerptus a Potmiis. Potmia fons est in Boeotia, unde animantia bibentia aguntur in furorem.

Vs. 793. *Statoris.*] A sistendo exercitum.

Vs. 799. *Adduxerit* [71]).] Musae coniunguntur cum Hercule, quia magni principes debent tueri et defendere studia. Ideo vocatus est Hercules Musagetes, id est, Dux Musarum. Secundo Musae debent celebrare res praeclare gestas principum, debent conservare historias veterum temporum. Sic historiarum beneficio habemus veterum praeclare facta.

70) Cadmi] sic Ed. 1550.; Editt. 1548., 1551. Caduli; Ed. 1564. Capuli.

71) *Adduxerit*] sic Editt. 1548—1564.; Ovid. Ed. Bipont. *adiunxerit*.

XCI. PHIL. MEL. ENARRATIO METAMORPHOSEON OVIDII.

Haec enarratio aeque ac libellus de electione Caroli V., non ipsius Melanthonis nomine, sed Georgii Sabini, generi illius, prodiit; illum autem huius commentarii auctorem esse, Laurentius Ludovicus in oratione de Melanthone, quae in eius orationibus de veteris ecclesiae certaminibus invenitur, diserte affirmat *); quapropter non dubito hunc librum, qui primum a. 1554. editus est, cum Strobelio harum litterarum peritissimo inter Melanthonis scripta referre:

Fabularum Ovidii interpretatio tradita in Academia Regiomontana a Georgio Sabino. Witebergae 1554. 8. **).

Fabularum Ovidii interpretatio tradita in Academia Regiomontana a Georgio Sabino. (Infra haec ornamentum typographicum.) *Witebergae ex officina haeredum Georgii Rhaw. Anno M. D. LV.* 8. $16\frac{1}{2}$ plagg. litt. A—R ($\frac{1}{2}$ pl.) sign., 132 foll. non num. (fol. A 2ª—5ᵇ Ge. Sabini epistola dedicatoria ad Principem Albertum Marchionem Brandenburgensem etc. Idibus Iunii 1554. in Acad. Regiimontis data; fol. A 6ª—R 4ᵇ Interpretatio librorum XV Metamorphoseon.) ***).

— — (Idem Index ac in Ed. praeced., omisso ornamento typogr.) *Witebergae ex officina haeredum Georgii Rhaw. Anno M. D. LV.* 8. 16 plagg. litt. A—Q sign., 128 foll. non num. (fol. A 2ª—5ᵇ Ge. Sabini epist. dedicat.; fol. A 6ª—Q 8ᵇ Interpretatio librorum XV. Metamorphoseon) ****).

— — (Idem Index) *Witebergae, ex off. haered. Georg. Rhaw* 1556. 8. $16\frac{1}{2}$ plagg., 132 foll. non num. †).

— — (Idem Index cum ornamento typogr. eodem loco, ac in Ed. priore anni 1555., interposito) *Witebergae. Excudebat Petrus Seitz. Anno M. D. LIX.* 8. $16\frac{1}{2}$ plagg. litt. A—R ($\frac{1}{2}$ pl.) sign., 132 foll. non num. (fol. A 2ª—5ᵇ Sabini epist. dedicat. ad Princ. Albertum; fol. A 6ª—R 4ᵇ Interpretatio librorum XV. Metamorphoseon) ††).

---

*) Scilicet illo huius orationis loco, quem Ge. Theod. Strobelius in l. Miscellaneen Literarischen Inhalts. Collect. V. p. 143 sq. laudat: „Publice recitanda, proponenda, disputanda solus ille [Melanthon] scripsit. Collegis multa praescripsit, neque id docti et ipsi viri turpe sibi putarunt. Vir nobilissimus D. Zieglerus, nobilis linguae hebr. Professor, Lipsia saepe veniens Witebergam petivit sibi lectiones et orationes praescribi, et musei foribus assedit, ne quis scribentem interpellaret. D. Crucigero praescripsit commentarium in Iohannem in lectione ipsius Lutheri, Froschelio, Diacono in Matthaeum; D. Milichio, viro praestantissimo, in secundum Plinii; Chytraeo regulas vitae; *Sabino mythologias in metamorphosin Ovidii*; D. Klingio ICto iuris methodum; Confessionem Augustanam graecam Dolscio; Orationes multis in Academia Lipsica, Francofurtana, Rostochiana, Gryphiswaldiana; aliis alia innumerabilia." quibuscum conferas a Strobelio l. l. p. 141 sqq. de hoc loco aliisque relata. Hanc ob causam idem Strobelius in Bibliotheca Melanchthoniana in illius libri Collect. VI. p. 5—80. proposita inter Melanchthonis scripta p. 36. nr. 456. etiam hunc Sabini commentarium affert. — De altero Melanthonis libro eiusdem Sabini nomine edito, scil. de electione Caroli V. vide Vinc. Placcii theatrum anonymorum et pseudonymorum (Hamburgi 1708. Fol.) de scriptt. pseudon. p. 549. nr. 2394. α. — De huius Sabini ingenio atque natura legas Melanchthonis vitam a Camerario descriptam §. LXI. p. 205—209. Ed. Strobel.

**) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 697. memorat.

***) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi et Gotting. atque in meis libris est.

****) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. est et in Biblioth. acad. Vratisl., ex qua eam in manibus habeo. Veesenmeyer: Analekt. p. 72. et Schweiger l. l. p. 697. utramque huius anni editionem memorant.

†) Hanc Ed. Schweiger l. l. affert.

††) Haec Ed. a Schweigero l. l. p. 697. memorata in Biblioth. acad. Gotting. et in meis libris est.

Fabularum Ovidii interpretatio tradita in Academia Regiomontano a Georgio Sabino. Witebergae, Clement. Schleich 1572. 8. *)

— — (Idem Index) *Parisiis, Hieron. de Marnef.* 1579. 16.

Fabularum Ovidii interpretatio per Georg. Sabinum. Parisiis 1580. 12. **).

Fabularum Ovidii interpretatio ethica, physica et historica tradita in Academia Regiomontana a Georgio Sabino et in unum collecta et edita studio et industria T. T. Access. etiam ex Natalis Comitis Mythologiis de fabularum utilitate etc. tractatio. Cantabrigiae, ex officina Thom. Thomae 1584. 8. ***).

Ovidii Metamorphoses cum interpretatione Georgii Sabini. Francofurti 1601 ****).

Fabularum Ovidii interpretatio tradita — a Georg. Sabino. Lipsiae 1606. 8. †).

Ovidii Opera in III tomos distributa ex recognitione Micylli etc. Accessit separatim Ge. Sabini interpretatio fabularum metam. Lipsiae, typis Voegelianis 1607. 8. ††).

— *Metamorphoses cum notis Ge. Sabini. Francofurti, Hoffmann.* 1608. 12. †††).

Fabularum Ovidii interpretatio tradita — a Georgio Sabino. s. l. 1614. 8. ††††).

Ad inaccessum Opus Metamorphoseωn Ovidianarum per loca a Io. Heinrico Boeclero privato in collegio subnotata aditus. Cui ob doctrinae paritatem subiuncta est Georg. Sabini earundem fabularum interpretatio. Lipsiae, impensis Ioan. Adami Pleneri, litteris Chr. Gottschickii. 1699. 8. 6 foll. non num. praefixa, 138 pagg., 3 et 5 foll. non num. et 254 pagg.

Georgii Sabini interpretatio fabularum Ovidii, cui ob doctrinae paritatem subiungimus Io. Hr. Boecleri collegium privatum ad inaccessum opus Metamorphos. Ovidian. Lipsiae, Io. Kunckel. 1718. 8.

Ex his cognoscitur, Sabini (i. e. Melanthonis) interpretationem Metamorphoseon Ovidii decies sexies prodiisse: 1) *Witebergae* 1554., 2) *ibid.* 1555., 3) *ibid.* iterum eodem anno, 4) *ibid.* 1556., 5) *ibid.* 1559., 6) *ibid.* 1572., 7) *Parisiis* 1579., 8) *Paris.* 1580., 9) *Cantabrigiae* 1584., 10) *Francofurti* 1601., 11) *Lipsiae* 1606., 12) *Lips.* 1607., 13) *Francof.* 1608., 14) sine loci indicio 1614., 15) *Lips.* 1699., 16) *Lips.* 1718., quarum editionum has tres in manibus habemus: 1) Ed. *Witeb.* 1555., 2) Ed. *Witeb.* alteram eiusdem anni, 3) Ed. *Witeb.* 1559., quas solis annorum numeris significabimus; duas autem anni 1555. Editt., ubi diversa continent, litteris *a.* et *b.* distinguemus.

---

*) Haec Ed. et subsequens a Schweigero l. l. p. 697. affertur.

**) Haec Ed. in Ovidii Operum Ed. Bipont. Tom. I. p. LVII. memoratur.

***) Haec Ed. a Schweigero l. l. p. 697. et in Ed. Bipont. l. l. p. LVIII. memoratur.

****) Haec Ed. in Ed. Bipont. l. l. p. LVIII. affertur.

†) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 697. memorat.

††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Erlang. asservatur.

†††) Haec Ed. in Ed. Bipont. l. l. p. LIX. memorata in Biblioth. acad. Erlang. invenitur.

††††) Hanc Ed. et duas proxime sequentes Schweiger l. l. p. 697. et 693. memorat.

OVIDII METAMORPHOSEON

ENARRATIO PHILIPPI MELANTHONIS, GEORGII SABINI NOMINE EDITA.

In librum I. Metamorphoseon.

De utilitate fabularum, argumento ac titulo Operis.

Poetica nihil aliud est nisi philosophia numeris et fabulis concinna, qua honestarum artium doctrina et praecepta de moribus illustrata regnorum exemplis continentur; nam apud Graecos multo ante, quam extiterunt philosophi, studia sapientiae a poetis celebrata sunt, ut Cicero in Tusculanis [1]) testatur, ubi scribit, antiquissimum e doctis esse genus poetarum. Hi vero ut lenociniis quibusdam allicerent homines ad discendum, consectati sunt duas res, quae plurimum delectationis afferunt: nempe suavitatem numerorum, et commenta fabularum, id quod significat Horatius [2]), cum inquit:

Et [2a]) prodesse volunt et [2a]) delectare poetae.

Intelligebant enim delectationem esse illecebram discendi, et carmine magis excitari animos, quam soluta oratione, resque veras plus admirationis habere, si ingenioso figmento, tanquam gemmae auro, includerentur. Quare cum poetica eandem doctrinam quam philosophia profiteatur, non dubium est fabulas poetarum esse plenas sapientiae et eruditionis: utpote confictas ab hominibus, qui omne studium in doctrina sapientiaque collocarunt. Sicut enim in vitibus pulcherrimae et dulcissimae uvae sub pampinis latent, ita in poematis utilissimae res fabularum involucris teguntur; neque ullum fere vetus figmentum est poeticum, quo non aliquid contineatur, vel ex historiis, vel ex physicis, vel ex ethicis depromptum: unde non inscite dictum est ab Erasmo Roterodamo, poeticam placentam [3]) deliciis conditam ex omni disciplinarum genere.

Caeterum Ovidii poema, quod inscribitur Metamorphosis, selectissimas fabulas omnium poetarum, uno velut fasce comprehendit, in quibus illustria proponuntur exempla benevolentiae et irae divinae, illustresque imagines totius vitae et conditionis humanae; nam in describendis fabulis autor persequitur quandam historiae seriem ab initio mundi ad sua tempora deductam, qua docet res humanas non casu aut fortuito ferri, sed gubernari divinitus, commemorans, esse numen, a quo omnia facta et constituta sint, omniaque providentissime regantur: id favere piis et honestis actionibus; scelera vero punire variis vitae calamitatibus, ac inprimis contemptum religionis. Propter hunc totas gentes, urbes, familias saepe deletas esse bello, pestilentia, aliisque gravissimis malis. Praeter haec autem vitae exempla, quae ex historiis sumuntur, continet idem poema tot astronomica, tot physica passim inserta, tot denique regionum, locorum, urbium, montium, fluviorum nomina et descriptiones, ut (si quis eruditum habuerit interpretem) addiscere hinc queat magna ex parte geographiam, sphaeram et naturae expositionem. Non est igitur otiosum et nugatorium hoc poema, ac tantum ad delectationem confictum, ut ab imperitis quibusdam existimatur; sed est thesaurus [4]) eruditionis, cuius quidem lectio conducit primum ad formandos vitae mores; invitant enim nos exempla ad virtutem, et a turpitudine dehortantur; deinde ad multiplicem doctrinam, continet enim vestigia omnium fere artium, quibus liberalis doctrina continetur. Postremo alias quoque utilitates adfert, quarum haec non minima est, quod instruit eloquentiae studiosos omni apparatu oratorio verborum et figurarum, ac docet, quomodo rerum diversarum inventio distribuenda, res vero perspicue, copiose, iucundeque explicandae sint. Mira est enim varietas figurarum, affectuum et sententiarum in narratione harum fabularum, mira quoque et artificiosa earundem dispositio seu continuatio, qua ita connectuntur, ut, cum diversissimae sint, tamen apte una ex alia necti et omnes inter se colligatae esse videantur. Propter quas utilitates hoc opus merito omnibus commendatum esse debet. Apud Graecos multi poetae idem argumentum tractarunt, ut Callisthe-

1) Cic. Tuscul. Quaest. I, 1, 3.

2) Horat. Ars poet. 333.

2a) et] sic huius commentarii Editt.; Horat. Editt. Bentl. et Doering. habent utroque loco: aut.

3) placentam] Ed. 1559. mendo typogr.: placentem.

4) sed est thesaurus] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. sed thesaurus.

nes, Parthenius et quidam Theodorus, sed Ovidium facilitate et iucunditate carminis omnes superasse, ex eo manifestum est, quod hi ipsius libri in Graecam linguam conversi sunt.

Titulus inscribitur Metamorphosis, hoc est, transformatio. Finguntur enim hic converti ex hominibus in belluas, qui in hominis figura belluae immanitatem gerunt: quales sunt ebriosi, libidinosi, violenti et similes, quorum appetitus rectae rationi minime obtemperat.

Chaos.

Vs. 5[5]). *Ante mare et terras*[6]) *et quod regit*[6]) *omnia coelum.*

Prima et maxime admiranda Metamorphosis est, rerum creatio; quid enim admirabilius, quam informe chaos in pulcherrimum hoc mundi opificium, ac tenebras in lucem converti? Nec vero dubium est poetarum narrationes de mundi fabricatione sumptas esse ex veteri patrum doctrina, quam alii simplicius recitarunt, alii magis involverunt fabulis, ut Orpheus, et deinde Musaeus ac Linus. Versus est Orphei recitatus a Iustino Martyre, et a Clemente Alexandrino de unitate Dei:

Εἷς ἔστ', αὐτογενης, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται[7]).

Fuit enim consentiens veterum sapientum vox, unum esse infinitae potentiae Deum fabricatorem totius machinae mundi, sapientem, veracem, bonum, iustum, beneficum[8]), castum, qui sic ordinavit mundi corpora, ut hominibus victum gignerent, et alia vitae praesidia, et indidit mentibus multas notitias et discrimen honestarum et turpium actionum, et horribilibus exemplis punit atrocia scelera etiam in hac mortali vita, ut agnoscamus et esse Deum, et iustum, veracem, et castum esse. At vero quod docent poetae chaos, unde mundus fabrefactus est, extitisse[9]) ab aeterno: in hoc minime conveniunt cum sacris litteris, quia Moses tradit, materiam illam a Deo esse creatam per verbum ex nihilo. Quare eorum doctrina, etsi non per omnia sacris litteris consentanea est, tamen accedit propius ad veritatem, quam opinio Aristotelis et aliorum, qui negant mundum habuisse initium. Statuerunt autem poetae duo principia, Deum et Chaos, secuti Hermetem Trismegistum Aegyptium, ex cuius doctrina Stoici finxerunt duo aeterna, alterum, Deum seu Mentem; alterum, Naturam seu Materiam. Sic enim Hermes docet: *ἀρχὴ τῶν ὄντων ὁ θεὸς καὶ νόος, καὶ φύσις καὶ ὕλη.* Quibus etiam verbis hoc consentaneum est, quod Ovidius in hac fabula Deum et naturam coniunctim nominat, utrique tanquam aeterno adscribens rerum primordia, cum ait (Vs. 21.):

Hanc Deus et melior litem Natura diremit.

De mente quoque idem sentire mihi videtur, licet non aperte; nam cum inquit (Vs. 32 sq.):

Sic ubi dispositam quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit,

dubitat (opinor), num debeat creationem attribuere Menti, quemadmodum Plato. Is enim in Phaedone[10]) scribit, Mentem esse architectatricem mundi: in qua sententia et Anaxagoram aliosque multos fuisse constat.

Prometheus, Iapeti filius, cur hominum plastes.

Vs. 82. *Quam satus Iapeto mixtam fluvialibus undis.*

Iapetus fuit Iaphet, Noae filius maior natu; hunc ut virum sanctum, antiquitas non mortalium, sed coelestium numero habuit, eiusque liberos, quos poetae Titanas vocant, antiquiores genere humano celebravit. Ex filiis autem ipsius, quorum septem numerantur, unus, quisquis ille fuit, dictus est a Graecis Prometheus, *ἀπὸ τῆς προμηθείας*, hoc est, a providentia; fuit enim praeter caeteros prudens, ac providus, ut testatur Hesiodi[10a]) versus:

Ἰαπετιονίδη πάντων πέρι μήδεα εἰδώς.

Atque is Prometheus celebratur hominum plastes, vel quia hominis propria est prudentia, vel quod collatione caeterorum animalium homo singulari consilio et providentia Dei creatus est, vel

5) Versuum numeros, quibus Editt. huius comment. (certe antiquiores, quas in manibus habeo) carent, ex Ed. Mitscherlich. (P. Ovidii Nasonis opera omnia e recensione P. Burmanni curavit — Chr. Guil. Mitscherlich. 2 Tomi. Gottingae 1796. 1798. 8.) adscripsi.

6) *terras — regit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *tellus — tegit.*

7) Orphica. Recens. Hermann. *Ἀποσπασματια* I, 8.

8) beneficum] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: beneficium.

9) extitisse] sic scripsi; Editt. 1555., 1559. extisse.

10) Platonis Opp. Ed. H. Steph. T. I. p. 97, c.

10a) Hesiodi Theog. 559. Ed. Goettling.

etiam eo, quod ex sermonibus ipsius Promethei affluxit ad gentes doctrina de creatione humani generis, nempe quod Deus ad imaginem sui crearit hominem. Lactantius Firmianus putat Promethea fuisse primum, qui statuas seu simulacra finxerit, ac scribit illum vixisse temporibus Iovis, quibus templa constitui, et idola coli coeperunt. Divus tamen Augustinus fabulam exponit eodem fere modo, quo nos, videlicet de sapientia et doctrina, qua ille hominum animos excoluit. Ita enim scribit de civitate Dei: Regnantibus memoratis regibus fuisse a quibusdam creditur Prometheus, quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia optimus sapientiae doctor fuisse perhibetur. Qua vero providentia Dei, homo sit creatus, indicat aptissima corporis figura, et facultas rationis, qua ipse a brutis differt; eamque differentiam Ovidius in hac fabula explicat perquam erudite his verbis (Vss. 76 sq.):

Sanctius his animal mentisque capacius altae
Deerat adhuc, et quod dominari in caetera possit [11]).

Dicitur enim sanctum et capax altae mentis, animal rationale, habens agnitionem Dei; estque solus homo particeps rationis, cuius caetera animalia omnia sunt expertia. Neque aliud significat hoc loco mens alta, nisi rationem notitia Dei et legis naturae, quae est radius sapientiae Dei, illustratam. Ac omnia huius mentis imperio subiecta sunt. Nam etsi multa animantium genera et mole et robore corporis praestant (quae enim hominis comparatio vel ad balaenam, vel ad elephantum?): tamen ipse omnium dominus existit propter rationem. Hac nimirum in profundo aquae pisces capit; hac in terra feras et belluas domat; hac e sublimi aere volucres in suam potestatem redigit; figura item corporis humani, non prona, sed erecta, documentum est finis, ad quem homo creatus est: nempe ad agnitionem Dei, et contemplationem rerum coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animalium pertinet, quam ad genus humanum: id quod etiam poeta noster significat verbis admodum illustribus, cum inquit (Vss. 84—86.):

Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit, coelumque tueri
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.

11) *possit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *posset*.

Ac videtur Ovidius praeclaram hanc sententiam mutuatus a M. Tullio Cicerone, qui primo de Legib. [12]) ita scribit: Figuram corporis habilem et aptam ingenio humano dedit; nam cum caeteros animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, et ad coeli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit. Eandem vero sententiam Silius Italicus [12a]) imitatus, reddidit his versibus, bonis quidem, sed longe dissimilibus:

Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora?
Cum pecudes, volucrumque genus, formasque ferarum
Segnem atque obscoenam passim stravisset in alvum.

Porro quod Prometheus fingitur auxilio Minervae in coelum ascendisse, et ignem facula sustulisse de rota solis, quo igne homines animati sint: eo significatum arbitror, eum doctrinam de Deo, et vitae leges, et anni ordinationem multis populis tradidisse, ut lutea eorum corpora, hoc est, rudes animi, honestis artibus excolerentur. Fuit enim astronomus suo tempore omnium peritissimus, teste Servio; ac quoniam fertur in Caucaso monte, Aquilae signi coelestis causam, naturam, et situm indagasse, ob hanc curam et sollicitudinem fingitur alligatus Caucaso, ubi aquila cor ipsius exedat. Ad haec, Plinius refert, flammam a Prometheo excussam e silice, cuius usus antea erat ignotus, quod etiam existimo allegorice dictum esse.

De quatuor mundi aetatibus.

Vs. 89. *Aurea prima sata est aetas*, etc.

Propagato genere humano, mundus paulatim degeneravit, ac subinde factus est deterior. Haec est enim rerum humanarum conditio, ut successu temporum omnia in peius ruant; ac quemadmodum semina et plantae paulatim degenerant: ita quoque homines singulis aetatibus deteriores nasci manifestum est. Quod ut significarent poetae, confinxerunt metamorphosin aetatum, ac fabulati sunt, primam ex aurea factam esse argenteam; deinde ex argentea factam esse aeneam; ac postremo ferream. Dicitur autem prima aetas aurea, tum propter naturam et

12) Cic. de legg. I, 9, 26.

12a) Sil. Ital. Punic. XV, 84—87.

bonitatem hominum, tum propter facilitatem victus ac tranquillitatem vitae. Primi enim homines et natura erant praestantiores atque vivaciores, quam nunc sunt; et sapientia excellebant, id quod indicant variae artes ab illis inventae; et pie, iuste, temperanterque vivebant, cumque initio et aer salubrior esset, et terra foecundior, non solum quia natura propior erat origini, sed etiam quia minus erat scelerum, victus facile parabatur, qui nunc multa cultura et magno labore quaeritur: omnesque ut erant liberi, ita nemo laborum sollicitudine, nemo opum cupiditate angebatur. Hinc boni homines apud Theocritum [13]) χρύσειοι ἄνδρες [14]), aurei viri dicuntur. Et Socrates apud Platonem in Cratylo [14*]): Si quis (inquit) nunc ex nostris bonus sit, anne putes hunc aurei generis ab Hesiodo aestimari? Ac videtur haec fabula de quatuor aetatibus nata ex Danielis historia de illa statua in somno a rege visa [15]), in qua prima monarchia pingitur aurea, secunda argentea, tertia aenea, quarta ferrea: estque verisimile, hanc ipsam historiam Graecis fuisse non ignotam, utpote qui multum commercii olim cum Aegyptiis habuerunt.

Saturnus missus in Tartara.

Vs. 113. *Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso.*

Occasio fabulae de Saturno misso in Tartara, sumpta est ex profunditate aeris. Saturnus enim movetur omnium planetarum extremus, estque longissime submotus a terra; et ingens coeli altitudo appellatur Tartarus. Nec facile animadvertitur illius motus, cum ipse in conficiendo cursu ita segnis sit ac tardus, ut quasi stare videatur: unde etiam fingitur esse in compedibus, ut refert Lucianus in libello de Astrologia.

De Gigantibus.

Vs. 152. *Affectasse ferunt regnum coeleste Gigantes.*

Gigantomachia potest accommodari ad conspirationem hominum in republica praepotentum: quales olim fuerunt Sylla, Marius, Catilina, Antonius, et si qui alii viribus suis freti, iniusta et nefaria bella moverunt adversus rempublicam. Perhibentur enim Gigantes tantis tamque praevalidis fuisse viribus, ut ad oppugnandum coelum altissimos montes humeris suis comportarint. Ac quamquam alii quoque infimae sortis homines, qui vel in republica adversus leges seditiose tumultuantur, vel impuro ore convicia in principes evomunt, in Gigantum numero habendi sunt: tamen qui non habent vires gestandis montibus pares, vix Gigantum fraterculi dici possunt. Non dubium est autem fabulam in istos confictam esse, quicunque adversus leges ac magistratum arma sumunt; nam cum divinitus constituantur respublicae, quid est aliud adversari legibus et magistratui, quam ipsi Deo? Potest etiam accommodari ad hostes Ecclesiae, qui aut falsa doctrina, aut vi conantur labefactare veram religionem. Sacrae litterae enim testantur Gigantes fuisse homines a vero Dei cultu et a iustitia alienos. Est igitur in hac fabula coelum, vel respublica, vel Ecclesia; Iupiter supremus magistratus; Gigantes, vel cives seditiosi, vel haeretici, vel tyranni, qui manus inferunt piis, et iniusta sanciunt; montes ad oppugnandum coelum congesti, conatus temerarii, et opiniones impiae; fulmen Iovis, divina ultio. Nam omnes puniuntur divinitus, ac perinde ut Gigantes habent tristes exitus, quicunque contra legitima imperia, quibus subiecti esse debent, arma capiunt, aut qui delere Ecclesiam conantur, sicut exempla Catilinae, Bruti, Cassii, Diocletiani et aliorum ostendunt.

Ut vero poetae tales tamque nefarios homines detestarentur tanquam monstra, affinxerunt Gigantibus pedes anguinos. Nihil est enim tam immane, tam monstrosum, quam adversus Deum, adversus pietatem, adversus magistratum, leges, ius et aequum, aliquid moliri. Ioachimus Camerarius, vir omni doctrina eruditus, anguinos Gigantum pedes exponit de improbis consiliariis, quorum turpi sustentatione tyranni tanquam pedibus nituntur.

Extat Iacobi Sadoleti liber de laudibus philosophiae, qui inscribitur [16]) Phaedrus [17]), ubi

13) Theocrit. Idyll. XII, 16.

14) χρύσειοι ἄνδρες] haec verba gr. in Ed. 1559. sunt omissa.

14*) Plat. opp. ed. H. Steph. T. I. p. 398. a.

15) Dan. 2, 31 sqq.

16) qui inscribitur] sic recte Ed. 1555. b.; Editt. 1555. a. et 1559. male: quin scribitur.

17) Hic Sadoleti (12. Iul. 1477. Modenae nati, 18. Oct. 1547. Romae mortui) liber inscriptus „Phaedrus s. de laudibus

facete cum Gigantibus etiam conferuntur philosophi, qui ingeniis suis nimium confidunt, sibique omnem sapientiae laudem arrogant; in eo libro Phaedri verba sunt haec: Atqui mihi videntur veteres illi haud illepide de Gigantibus fabulati, quo horum insolentiam temeritatemque arguerent, quod ea re firmius adducor, ut credam: quod illi montibus tribus tanquam gradibus, sic philosophi trinis, antea a nobis memoratis philosophiae partibus in altissima loca moliuntur ascensum:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum:
Ter pater exstructos disiecit fulmine montes.

Scripsit divine, ut omnia, poeta omnium maximus[18]); nec tam ille ut Gigantum, qui certe nulli id egerunt, quam ut hominum suis ingeniis nimium confidentium arrogantiam refelleret, quamquam non ingenii est, sed dementiae, quae nullo intelligi pacto queunt, in ea nihilo minus mentis aciem ad intelligendum intendere.

Iupiter cur fulminator.

Vss. 154 sq. *Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum*
Fulmine.

Plinius[19]) scribit, hanc ob causam Iovi fulmen assignari, quod inter Saturnum et Martem Iupiter sit medius, quodque contrariae qualitates maxime in Iove coëant, ex superiore videlicet Saturni circulo qualitas nimii frigoris, et ex Marte qualitas nimii caloris; harum conflictu fulmen cum tonitru emitti veluti ex flagrante ligno carbo exilit cum crepitu propter earundem qualitatum pugnam.

Concilium Deorum.

Vss. 166 sq. *Ingentes animo et dignas Iove concipit iras*
Conciliumque vocat.

Deorum concilia apud poetas docent res humanas non ferri casu, sed gubernari certo Dei consilio. Itidem admonent nihil temere, nihil inconsulto agendum in republica; nam si Iupiter, cui attribuitur summa potestas omnium rerum, adhibet superos in consilium, quoties ei statuendum est aliquid gravius: quanto magis id fieri debet ab hominibus, cum humana sapientia, ad divinam collata, sit nulla. Hinc ergo discant, quicunque in summo sunt magistratu, ne quid agant sine consilio, sed ut convocent concilium, audiant multorum sententias, placita temperent, et cogitent, ubi magni momenti negotium agitur, ne Iovi quidem suum satis esse consilium. Describitur autem egregie officium boni principis et ratio puniendorum delictorum hoc loco, ubi Iupiter in coetu Deorum sic inquit (Vss. 188 — 191.):

Perdendum est[20]) *mortale genus, per flumina iuro*
Infera, sub terras Stygio labentia luco,
Cuncta prius tentanda[21]); *sed immedicabile vulnus*
Ense recidendum est[20]), *ne pars sincera trahatur.*

Hic enim principes ac magistratus docentur, non aliter agendum cum civibus, qui delinquunt, atque cum membris languentibus: semper quidem anteferendam lenitatem severitati; sed ut in difficilibus morbis curandis, sic in gravibus delictis puniendis interdum acrioribus utendum remediis. Quod ut sapientissimus poeta significet, fingit ipsum Iovem affirmare iureiurando se invitum persequi poenas atrociores, eundemque ferre hanc sententiam in homines perditos, videlicet partem corporis, quae remedium non admittit, esse recidendam. Hac etiam de causa olim Romanis consulibus praeferebantur fasces, hoc est, virgae securibus alligatae: quibus idem significabatur, nempe corrigendam esse malitiam, quae sanari possit; quae vero emendari nequeat, abscindendam esse. Virgae enim corrigunt; secures autem abscindunt. Constantinus Imperator cum aliquando consultaret de coercenda morum petulantia, fertur usurpasse Ovidianam hanc sententiam, atque ita exclamasse: Immedicabile vulnus ense recidendum est; significans animadvertendum esse summa severitate in homines improbos, qui emendari nequeunt, eosque nullo modo in republica ferendos esse. M. Cicero eadem sententia utitur libro Officiorum

---

philosophiae libri II." prodiit Lugd. 1538. 4. ib. 1543. 8. etc. Vide Bouginé: Handb. der allgem. Litterargesch. T. II. p. 101 sq.

18) Virg. Georg. I, 281 — 283.

19) Plin. Nat. Hist. II, c. 18. Ed. Franz. (c. 20. Editt. antiq.).

20) *est*] sic Editt. 1555., 1559.; in Ovid. Ed. Mitsch. haec vox neutro loco legitur.

21) *tentanda*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *tentata*.

tertio[22]), ubi sic inquit: Etenim ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine et tanquam spiritu carere coeperint, et noceant reliquis: sic ista in figura hominis feritas et immanitas belluae, a communi tanquam humanitate corporis segreganda est. Item Claudianus in Eutropium[22a]):

Ulcera possessis alte suffusa medullis
Non leviore manu, ferro sanantur et igni.

Haec igitur divina sententia omnibus reipublicae gubernatoribus observanda est, utpote ab ipso Iove lata, et in augusto senatu Deorum comprobata.

Caeterum et illud observatione dignum est, quod in hoc concilio Superi finguntur esse solliciti de conservando cultu divino, ac vereri, ne is intereat toto genere humano extincto.

Nam etsi[23])

Vs. 244 — 249. *Dicta Iovis pars voce probat, stimulosque frementi*
Adiiciunt: alii partes assensibus implent.
Est tamen humani generis iactura dolori
Omnibus: et, quae sit terrae mortalibus orbae
Forma futura, rogant: quis sit laturus in aras
Thura? ferisne paret populandas tradere terras[24])?

At videtur hic locus esse sumptus ex Platone, qui scribit, omnia esse condita hominum causa, homines vero Deorum causa. Deus enim vult agnosci, coli, invocari: idque significat ista sollicitudo, quam Ovidius tribuit Superis.

Deorum iusiurandum.

Vss. 188 sq. *Per flumina iuro*
Infera, sub terras Stygio labentia luco.

Aristoteles in Metaphysicis scribit hanc esse causam, cur poetae fingant Deos iurare per aquam, ut, cum ea sit omnium prima et antiquissima, significent nihil ducendum prius, nihil antiquius et sanctius religione iurisiurandi.

22) Cic. de Offic. III, 6, 32.

22a) Claudian. in Eutrop. II, 13. 14. Ed. Burmann.

23) Nam etsi] sic Editt. 1555., 1559.; in Ovid. Ed. Mitsch. haec non inveniuntur.

24) *terras?*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *gentes?*

De Satyris et Faunis.

Vss. 192 sq. *Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Fauni*
Et Nymphae[25]) *Satyrique* etc.

Satyri et Fauni traduntur esse homunculi bicornes, naribus aduncis, corpore piloso, et pedibus caprinis, qui utrum sint animalia, an Daemones, nihil, quod affirmem, habeo. Plutarchus in vita Syllae[26]) scribit, Satyrum fuisse captum non longe ab Apollonia, civitate Epiri, qualem poetae et pictores effingunt, productumque ad Syllam, et per multos interpretes interrogatum, quisnam esset, edidisse quidem vocem, sed a nemine intellectam, utpote equi hinnitum caprae balatu permixtum; postea iubente Sylla fuisse dimissum, datis comitibus, a quibus reduceretur in sylvas. Divus Hieronymus quoque scribit in vita Pauli Eremitae, idem animal tempore Constantini Caesaris captum, ac perductum Alexandriam, praebuisse magnum populo spectaculum, ac postea eius cadaver sale perfusum, ne putresceret, missum fuisse Antiochiam Caesari videndum. Ad haec scribit ipsum Paulum in eremo Aegypti conspicatum et allocutum esse talem homunculum capripedem et cornutum, atque ab eo accepisse hoc responsum: Mortalis ego sum, et unus ex incolis eremi, quos gentilitas colit vario errore delusa, Faunosque et Satyros appellat; legatione fungor gregis mei; precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus.

Lycaon in lupum[27]).

Lycaon, rex Arcadiae, primus inducias belli violasse fertur immolato Iovi obside, quem a Molossis acceperat, cumque hac perfidia redegisset in potestatem ac ditionem suam homines simplices, quibuscum inducias fecerat, et eos tanquam oves devorasset, poetae ad nomen alludentes, finxerunt ipsum in lupum esse mutatum a Iove, cui humanas carnes apposuisset; λύκος enim lupum significat. Haec igitur fabula detestatur impietatem, perfidiam, et inhospitalitatem, qua nil est immanius. Quam arctum vero et sanctum olim fuerit vinculum hospitii, ex eo apparet,

25) *Fauni Et Nymphae*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Nymphae*, (Vs. 192.) *Faunique*.

26) Plutarch. vita Sullae c. 27.

27) Hanc fabulam narrat Ovid. Met. I, 163—239.

quod antiquitas Iovem vocavit hospitalem; apparet item ex historia Livii[28]) de Badio, cive Campano, qui in conspectu duorum exercituum, Q. Crispino Romano hospitium solenniter renuntiat, ut cum eo congredi possit hostili more. Tanti enim fiebat olim ius hospitii, ut ne ab hostibus quidem violaretur.

Diluvium Deucalionis.

Vss. 260 sq. *Poena placet diversa; genus mortale sub undis,*

Perdere, etc.

Sequitur descriptio diluvii, quo extinctum est genus humanum propter impietatem, iniustitiam et crudelitatem: in qua descriptione observandae sunt amplificationes, prosopopoeiae, et hypotyposes poeticae. Nam Ovidius non tantum dicit aquas inundasse terram universam, sed addit causas et rationes, unde tanta vis aquarum extiterit, nempe ex magnis et assiduis imbribus, terraeque motibus. Ad has vero naturales causas varie et iucunde explicandas, fingit primo Aquilonem ventum a Iove includi in carcerem, ne quid impedimenti diluvio inferat. Est enim Aquilo siccus, quo flante, nubes et imbres dissipari solent. Econtra Austrum immitti ad inducendas nubes et pluvias; is enim ventus est humidus: ideoque nubila fronte, humida barba, madidis capillis et rorantibus pennis depingitur. Deinde Irim, Iunonis nuntiam, colorata veste indutam afferre alimenta nubibus ac pluviis, quia imbres augentur roscida illa nube, in qua arcus coelestis apparet in aquam condensata. Ad haec fingit Neptunum, Iovis fratrem, convocare et hortari flumina ad effundendam omnem vim aquarum, suoque sceptro concutere et movere terram. Postremo, decrescentibus undis Aquilonem rursus emitti ad inducendam serenitatem, ac Tritonem Neptuni tubicinem canere receptui, et revocare flumina ad fontes. Hae prosopopoeiae et hypotyposes docent, quomodo res in poemate illustrandae atque amplificandae sint.

Porro, reparatio hominum adscribitur Deucalioni, filio Promethei, eadem (ut arbitror) ratione, qua creatio hominis adscribitur ipsi Prometheo: nempe quod gentes ab eo edoctae, retinuerint memoriam diluvii. Apud Lucianum in libello de Syria Dea[29]) extat locus, ex quo manifestum est, per diluvium Deucalionis intelligi, non (ut quidam volunt) inundationem illam, qua olim Graecia et Italia vastata, atque Atlanta insula absorpta est; sed diluvium universale, quod fuit Noae temporibus. Sic enim ibi scribit Lucianus: tradi a Graecis hanc hominum generationem, quae nunc est, ab initio haudquaquam fuisse, sed eam, quae tunc fuit, totam interiisse; hos autem homines, qui nunc sunt, secundi generis esse, eius, quod rursus a Deucalione in tantam multitudinem excrevit. De illis autem hominibus, huiusmodi quaedam narrari. Cum efferi[30]) admodum essent, nefaria opera eos perpetrasse; neque enim iusiurandum servasse, neque hospites recepisse, neque supplicum misertos esse; ob quam rem ipsos maximam quoque calamitatem subiisse. Statim enim et tellus multam aquam effudit, et imbres magni fuerunt, et flumina solito maiora decurrerunt, et mare eo usque ascendit, dum omnia aquis involverentur, atque omnes perirent. Deucalion autem solus hominum relictus fuit, in secundam videlicet generationem, prudentiae simul et pietatis gratia. Servatus autem fuit hoc pacto: arcam quandam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam et liberis et uxore sua, conscendit. Caeterum cum ipse ingrederetur, venerunt eodem et apri et equi, et leonum genera, et serpentes, aliaque, quaecunque tellure pascuntur, bina ex uno quoque genere, cuncta. Ille autem recepit ad se omnia, atque ea ipsum haudquaquam laedebant, sed magna inter eos, Iove ita dispensante, concordia erat, unaque in arca omnes navigabant, quam diu aqua superabat. Haec Lucianus. Quin etiam Plutarchus de industria animalium scribit, columbam ex arca Deucalionis emissam, attulisse indicium recedentis diluvii. Ex his igitur manifestum est, quod dixi, per diluvium Deucalionis intelligi diluvium Noae, quia in sacris litteris similia traduntur de animalibus a Noa in arcam receptis, et de columba ab eodem emissa.

Iris cur nuntia Iunonis.

Vss. 270 sq. *Nuntia Iunonis varios induta colores*

Concipit Iris aquas etc.

Arcus coelestis dicitur Iris ἀπὸ τοῦ εἴρειν, quod est loqui. Sic enim Socrates apud Platonem

28) Liv. XXV, 18.

29) Lucian. de Syria Dea c. 12. Ed. Schmid.

30) efferi] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. mendo typogr.: efferri.

exponit etymologiam huius vocabuli. Ac fingitur nuntia Iunonis, eo quod praedicit et nuntiat pluvias; nam aer, in quo coguntur imbres, Iunonis nomine consecratur, teste Lucilio Balbo apud Ciceronem.

Tridens Neptuni.

Vs. 283. *Ipse tridente suo terram percussit.*

Neptuno attribuitur tridens propter tres orbis terrarum partes, quas ambit Oceanus, ac quoniam in locis maritimis saepe fiunt terrae motus, et cum terrae motu inundationes, ideo fingitur Neptunus concutere terram suo tridente, unde et appellatur ἐννοσίγαιος, quod terram quatiat.

Triton.

Vs. 333. *Caeruleum Tritona vocat* etc.

Tiberio Caesari (ut scribit Plinius[31])) nuntiatum fuit legatione ab Ulyssiponensibus, Tritonem illis visum et auditum in specu concha canentem, ea, qua noscitur, forma. Est autem monstrum marinum, superiore parte corporis referens effigiem viri, inferiore autem piscem, colore est caeruleo, et testaceo conchyliorum operimento horret: id quod indicat Ovidius, cum inquit (Vss. 332 sq.):

humeros innato murice tectum
Caeruleum Tritona vocat.

Fingitur tubicen Neptuni, qui tanquam signo dato sedet fluctus, quia et concha canit, et quando auditur vel apparet, tunc portendit tranquillitatem maris. Hinc Dido in epistola ad Aeneam:

Iam venti ponent: strataque aequaliter unda
Caeruleis Triton per mare curret equis.

Terra omnium parens.

Vs. 393. *Magna parens terra est* etc.

Terra omnium parens dicitur, quod seminibus omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat; item quod omnes animantes educet, educatos rebus omnibus sustentet ac foveat; recipiatque in se morientes omnes ac tanquam gremio abscondat.

31) Plin. Nat. Hist. IX, c. 4. Ed. Franz. (c. 5. Editt. antiq.).

Homines e lapidum iactu.

Vss. 414 sq. *Inde genus durum sumus, experiensque laborum,*
Et documenta damus, qua simus origine nati.

Ad significandam animi corporisque duritiem, quam habemus, poetae finxerunt homines de lapidibus esse ortos. Fabulae praebuit occasionem similitudo nominis; λᾶς enim apud Graecos lapidem significat. Potest etiam referri fabula ad historiam; verisimile est enim, homines diu post diluvium habitasse sparsim in montibus et saxeis speluncis. Deucalionem vero rursus instituisse coetus ad condendas urbes, atque ita reparasse homines lapidibus retro iactis, hoc est, speluncis relictis, idque Themidis suasu. Est autem Themis lex seu ius naturae, cuius instinctu civilis vitae institutio est inventa.

Themis cur oraculorum praeses[32]).

Themis fingitur oraculorum, hoc est, religionis praeses. Nam ratio in natura insita, statuit esse Deum, et pietatem erga eum colendam: hancque sententiam animo quasi insculptam, tuetur omnium gentium consensio, quae (ut inquit Cicero) lex naturae putanda est.

Python.

Vs. 438. *Sed tu*[33]) *quoque, maxime Python.*

Python draco, post diluvium ex humida terra natus, significat immensam exhalationis vim, quae extitit post inundationem, donec a sole consumeretur. In hanc sententiam Iovianus Pontanus exponit hanc fabulam in sua Urania, ubi sic inquit:

Tum tellus gravis imbre, et adhuc stagnantibus undis
Humida, anhela, vagos tollebat ad aethera tortus,
Involvens coelum nube et caligine opaca.
Hic ille immanis Python.

Dicitur autem Python a putredine seu putrefactione; nam πυθώ significat putrefactionem. Et quia sol consumit omnem putredinem terrae, eiusque e circulo emicant radii in modum sagittarum, ideo Apollo fingitur interficere sagittis Pythona.

32) Haec spectant ad Ovid. Met. I, 321.

33) *tu*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *te*.

De telis, quibus Cupido armatur.

Vs. 456. *Quidque tibi lascive puer cum fortibus armis?* etc.

Ad exprimendam amoris vim attribuuntur Cupidini sagittae et faces; nam ut nihil igne et ferro, ita nec amore quicquam acrius magisque penetrabile, quamquam amor etiam igne ardentior est: siquidem ignis adurit tangentes, et proxima tantum cremat; amor e longinquo urit. Non uno autem modo omnes in amore affecti sunt: alius alio amat vehementius, nec raro accidit, ut vel puellae aversentur procos, vel proci puellas, a quibus amantur ardentissime, id quod Apollini ipsi accidisse hac fabula traditur. Ea de causa etiam Cupido armatur sagittis disparibus, videlicet acutis et obtusis, auratis et plumbeis. Nam (ut inquit Horatius[34])):

Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga ahenea
Saevo mittere cum ioco.

Apollo cur inventor medicinae et musices.

Apollo fingitur inventor medicinae propter vim solis, qua herbae vegetantur, quarum in medicina usus est maximus ad salubritatem corporum humanorum. Fingitur et inventor musices ad commendandam dignitatem artis; nam veteres, ut significarent musicam divinitus inventam esse, non homini, sed Deo inventionem eius adscribendam existimarunt. Hinc igitur Apollo se ita iactat:

Vs. 518. *Per me concordant carmina nervis.*

Item:

Vss. 521 sq. *Inventum medicina meum est, opifexque[35]) per orbem.*
Dicor, et herbarum subiecta potentia nobis.

Daphne in laurum[36]).

Daphne laurum significat, ac fingitur tum filia Penei fluminis, eo quod ripae eius abundant lauro, tum amata ab Apolline, quia haec arbor praebet medicinae magnum usum; estque spectatissima (ut scribit Plinius) apud Delphos, ubi Apollo colebatur. Ipsius vero Daphnes in arborem semper virentem mutatio, docet immortalem gloriam esse paratam virginibus pudicitiam conservantibus.

Laurus et quercus cur ante imperatorum aedes positae.

Vs. 563. *Mediamque tuebere quercum.*

Romae ante imperatorum aedes erat posita quercus inter duas lauros, quae significabat, salutem reipublicae tuendam esse virtute et felicitate imperatorum. Laurus vero erat signum victoriae ac triumphi; quercus vero erat signum conservati civis: unde confecto bello et imperatores, qui insignem victoriam essent consecuti, in Capitolium cum laurea invehebantur, et qui civem ab hoste conservasset, querna corona donabatur.

Io in vaccam[37]).

Aegyptii propter agriculturam divinis honoribus coluerunt bovem. Apud hos cum Io, filia Inachi, regis Argivorum, divinos quoque honores consecuta, et mutato nomine Isis dicta esset, occasionem dedit fabulae, ut diceretur mutata in bovem, hoc est, in Aegyptiorum numen. Fuit autem a Phoenicibus rapta et in Aegyptum abducta. Phoenices enim cum more usitato (quemadmodum refert Herodotus) navigassent Argos in Graeciam, et exposuissent ibi merces, atque ad eas emendas accessissent feminae Argivae, inter quas erat Io regis filia, rapuerunt omnes, et raptas detulerunt in Aegyptum. Fuit etiam tradita et in matrimonium collocata Osiri, Aegyptiorum regi, cui cognomen erat Ammoni seu Iovi, teste Diodoro Siculo[37a]). Hinc fingitur a Iove amata.

De Argo et Mercurio[38]).

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat. Argi fabula, si referatur ad mores, docet neminem esse tam oculatum, cui a Mercurio, hoc est, ab homine versuto et eloquente imponi nequeat. Mercurius enim olim habebatur pro Deo eloquentiae et versutiae, cuius alata talaria significant et velocem ipsius motum, quia omnium planetarum velocissime movetur; et vo-

---

34) Horat. Od. I, 33, 10—12.

35) *opifexque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *opiferque*.

36) Hanc fabulam narrat Ovid. Met. I, 452 sqq.

37) Vide Ovid. Met. 568—621.

37a) Diodor. Sic. Biblioth. I, 25.

38) Vide Ovid. Met. I, 624 sqq.

lubilitatem linguae, quae in oratore commendatur. Virga item significat vim eloquentiae, qua alliciuntur et impelluntur hominum mentes; tegumen capitis simulationem, quam fronte ac vultu sustinent homines versuti ad tegendas orationis fallacias. Oportet enim fallacem in dicendo tectum et cautum esse. Si vero fabula referatur ad physiologiam, exponi poterit in hanc sententiam, ut per Argum intelligamus coelum stellatum, cui inesse quaedam species coelestium oculorum videtur; per Mercurium, solem; nam et Mercurius, cum sit fere sub radiis solaribus, interdum pro ipso sole accipitur. Oriente autem sole evanescunt et quasi extinguuntur stellae, per quas intelliguntur Argi lumina. In hanc sententiam exponit fabulam Iovianus Pontanus his versibus:

Quin et Mercurium mutato nomine dicunt
Argum somnifero victum[39]) stravisse caduceo
Insomnem centumque oculos ac lumina centum
Pandentem, et niveae servantem pascua vaccae.
Argus enim coelum est, vigilantia lumina flammae
Aetheriae et vario labentia sidera mundo,
Quae passim multa sublustris noctis in umbra
Collucent, sed mox Phoebo exoriente perempta
Torpent luce nova, et candenti lampade victa
Emoriuntur, et obscuro conduntur Olympo.

Syrinx in fistulam[40]).

Fabula de Syringe et Pane ad historiam pertinet, estque conficta ex allusione nominis. Pan enim fistulam primus invenit, et σύριγξ significat fistulam.

39) victum] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. fictum.
40) Ovid. Met. I, 689 sqq.

In librum II. Metamorphoseon.

De Phaethonte.

Phaethon, teste Luciano, fingitur Solis filius decidisse e curru paterno, eo quod investigavit cursum Solis, praeventusque morte artem reliquit imperfectam. Eius vero tempore de coelo delapsae sunt flammae, quibus (ut Aristoteles meminit in libro de mundo) multae regiones ad Occidentem exustae sunt. Hanc ob causam fingitur orbis terrarum eo currum agente inflammatus.

Fabula ad mores relata exprimit imaginem ambitiosi et temerarii principis, qui gloria et cupiditate regni incensus, cogitat sublimia, et concipit aethera mente. In describenda hac fabula Ovidius mire servat decorum. Narrat Phaethontem esse adhuc puerum, cui propter aetatem nihil minus conveniat, quam rerum administratio; utque ostendat pueros, hoc est, homines ambitiosos, qui nullam rerum experientiam habent, potius repellendos a gubernaculis reipublicae, quam admittendos esse, fingit Solem his verbis dehortari Phaethontem (Vss. 54 sq.):

Magna petis, Phaethon, et quae non viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.

Ac quoniam constat administrationem esse rem divinam, nec evenire omnibus feliciter, subdit (Vs. 56.):

Sors tua mortalis, non est mortale, quod optas.

Ad haec quam difficilis et periculosa sit reipublicae gubernatio, significat, cum ait (Vss. 63—67.):

Ardua prima via est, et qua vix mane recentes
Enituntur[41]) *equi: medio est altissima coelo,*
Unde mare et terras ipsi mihi saepe videre
Sit timor, et pavida trepidat formidine pectus.
Ultima prona via est et eget moderamine certo.

Etenim quicunque accedunt ad rempublicam, initio in magnas difficultates incurrunt. Deinde quo sublimiorem gradum obtinent, quoque diutius gubernant, eo maiora sustinent pericula; atque experiuntur nihil omnium rerum humanarum esse difficilius, quam gerere magistratum. Quantum vero invidiae, metus, calumniae ac discriminis expectandum sit omnibus reipublicae gubernatoribus, etiam optimis et prudentissimis, admonet, cum ait (Vs. 76—83.):

Forsitan et lucos illic urbesque Deorum
Concipies[42]) *animo, delubraque ditia donis*
Esse: per insidias iter est, formasque ferarum.
Utque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen adversi gradieris cornua Tauri
Haemoniosque arcus, violentique ora Leonis
Saevaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.

41) *Enituntur — Sit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Enitantur — Fit.*
42) *Deorum Concipies*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *domosque, Concipias.*

Multae enim existunt belluae in republica, Tauri, Centauri, Leones, Scorpii et Cancri, hoc est, homines invidi et factiosi, qui omnia consilia quamvis recta et salutaria calumniantur, omnia reprehendunt ad evertendam illorum dignitatem, qui praecipue serviunt communi utilitati. Quin etiam vulgus non facile regitur, cuius tanta petulantia, tantaque ferocia est, ut in neminem magis insurgat, quam in illos, quorum imperio parere debet: ideoque sic ait (Vs. 84—87.):

Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant,
In promptu regere est, cervixque repugnat habenis [43]).

Verum haec magnitudo difficultatis ac periculorum nihil movet homines imperitos, qui honores appetunt, vel infinitam potentiam affectant; ut enim temerarii, ita pertinaces sunt, nec sanis consiliis obtemperant: propterea haec subdit (Vss. 103 sq.): *Finierat monitus; dictis tamen ille repugnat*
Propositumque premit [44]).

Porro currus, quem agendum suscipit, summam rerum potentiam significat: in quo curru

Vss. 107—109. *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae*
Curvatura rotae, radiorum argenteus ordo,
Per iuga chrysolithi positaeque ex ordine gemmae.

Haec vero nihil aliud sunt nisi ornamenta reipublicae, quae magnanimus Phaethon miratur, opusque perspicit, hoc est, splendorem ac speciem regni intuetur; sollicitudinem autem et difficultatem imperandi non videt. Deinde per equos ipsum vulgus, per frena gubernatio, et habenae imperii intelliguntur; est enim similis equorum vulgi ferocia. Iam vero, qua arte regendum sit vulgus, docet, cum inquit (Vs. 127.):

Parce puer stimulis, et fortius utere loris.

ostendens optimam gubernandi rationem esse continere vulgus in officio, non tam saevitia, quam moderata quadam severitate. Stimuli enim indicant imperia dura et crudelia; lora vero disciplinam gravem et constantem, ubi vincula legum neque severitate nimium contrahuntur, neque lenitate nimium laxantur. Postea et subiungit (Vss. 129. 130. 133.):

Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.
Sectus in obliquum est lato curvamine limes.
Hac sit iter.

significans non vi et impetu obnitendum esse populo, ut illius voluntati neque contumaciter adversari, neque omnino obsequi videare. Nam in administranda republica convenit imitari ipsum solem, quem mathematici tradunt niti quidem contra supremi orbis impetum, sed oblique molliterque ex transverso. Et exempla utriusque generis testantur, quam perniciosa sit tum dura nimium, et populari voluntati semper adversa severitas, qualis fuit in Catone, tum blanda nimium, et ad vulgi libidinem accommodata facilitas. Pari enim calamitate rempublicam afficit gubernatio, aut durior, quam humanitatis postulat ratio, aut lenior, quam officii dignitas permittit. Quare et illud addit (Vs. 137.):

Medio tutissimus ibis.

Nam qui severitatem cum mansuetudine et comitate coniungunt, hi sapientissime gubernandi viam incedunt; qui vero id non faciunt, illi non diu vulgus in officio continent, id quod indicat, cum ait (Vs. 161. 162. 166 — 170.):

Sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent
Solis equi, solitaque iugum gravitate carebat.
Succutiturque alte, similisque est currus inani.
Quod simulac sensere, ruunt, tritumque relinquunt
Quadriiuges [45]) *spatium, nec, quo prius, ordine currunt.*
Ipse pavet, nec qua commissas flectat habenas,
Nec scit, qua sit iter, nec, si sciat, imperet illis.

Ad extremum igitur ingenti totius orbis malo Phaethontis currus, hoc est, imperium evertitur. Qui enim nulla adiutus sapientia habenas tractat, omnia temeritate sua subvertit.

Praeter haec, duo sunt in hac fabula loci morales, observatione digni, alter admonet pueros, ne parentum iussa et praecepta contemnant, alter docet, non esse servanda illa promissa,

43) *cervixque repugnat habenis.*] haec verba in Editt. 1555., 1559. verba: *In promptu regere est*, proxime subsequuntur; at Ovid. Ed. Mitsch. habet haecce:
In promtu regere est. vix me patiuntur, ut acres
Incaluere animi; cervixque repugnat habenis.

44) *premit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *tenet*.

45) *Quadriiuges*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Quadriiugi*.

quae non sunt his ipsis utilia, quibus promittuntur: cuius loci et Cicero meminit lib. 3. Officiorum [45a]) his verbis: Sol Phaethonti se facturum esse dixit, quicquid optasset. Optavit, ut in currum patris tolleretur; sublatus est, atque insanus, antequam constitit, ictu fulminis conflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum!

Epitaphium Phaethontis.

Vss. 327 sq. *Hic situs est Phaethon, currus auriga paterni,*
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Aptum et conveniens epitaphium, quod inscribatur sepulchro audacis ac temerarii principis; haec est enim illa insignis fama, quam posteritati relinquit, nempe quod magnarum rerum molitione oppressus interierit. Talem apud posteros famam consecutus est Ludovicus Sfortia, qui Gallorum auxilio ac potentia fretus, cum totius Italiae imperium animo concepisset, alter quasi Phaethon excitavit belli incendium adductis Gallis in Italiam, quod belli incendium ipsius ruina extinctum est.

Accommodari etiam potest ad studiosos litterarum, qui maiora suis viribus aggrediuntur. Angelus Politianus adolescens iactaverat se reddere Latino carmine Homerum: quo labore et studio suo cum passim gloriaretur, et iudicia doctorum exquireret arrogantius, Cardinalis Papiensis, vir facetus, ei rescripsisse fertur his verbis: Censeo operam inchoatam non esse deserendam; si non assequeris id, quod affectas, aequalis tamen tui Phaethontis laudem invenies, ut idem de suscepto a te Homero, quod de suscepto ab illo curru solari, dicatur (Vs. 328.):

Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Heliades in arbores electriferas [46]).

Sorores Phaethontis suo casu et exemplo docent moderationem in luctu adhibendam esse. Dum enim assidue lugent, amissa hominis figura ipsae in arbores, et earum lacrymae in succinum seu electrum convertuntur. In Liguria vero ad Eridanum nasci arbores electriferas omnino fabulosum est; nasci tamen illic electrum, et multis locis effodi, incolae affirmant.

Cygnus, Ligurum rex, in avem sui nominis [47]).

Veteres, quo celebrarent Eridani amoenitatem, finxerunt illic esse cygnos mire canoros, quorum concentus ex utraque ripa, inter arbores electriferas audiretur. Lucianus hos putat insignes fuisse musicos, qui propter studium canendi tanquam in aves mutati cantibus indulgerent. Itaque Ovidius venuste historiam accommodat ad fabulam. Cum enim fingit Cygnum, regem Ligurum, in avem sui nominis mutatum esse, significat eum fuisse musicae studiosum, allusione sumpta ex nomine.

Calisto, Lycaonis filia, in ursam [48]).

Puellae et feminae amissa pudicitia deformatae, assimilantur turpissimis bestiis, id quod et Salomon in Proverbiis [49]) testatur, cum inquit: mulierem formosam, quae immodesta est, non dissimilem esse porco aureum torquem gerenti. Hac de causa fingitur Calisto, Iunonis pellex, mutata in ursam; nec caret ratione, pulcherrimam (Calisto enim apud Graecos a pulchritudine nominatur) mutari in bestiam turpissimam; nam quo pulchrior est femina, eo conspectior fit eius turpitudo et deformitas. Nonnulli vero tradunt illam fuisse ab ursa dilaniatam venatione. Est itaque verisimile, fabulam esse confictam partim ex historia, partim ex moribus. Porro Ovidius erudite et astronomice describit situm stellarum, quibus Ursae sidus constituitur, cum inquit (Vss. 516 sq.):

ubi circulus axem
Ultimus extremum, spatioque brevissimus ambit.

Est enim Ursa arctico circulo, qui ad septentrionem extremus et brevissimus est, inclusa, nec unquam descendit sub horizontem, sed propter elevationem semper extat. Itaque et fingitur arceri ab Oceano, ne subeat aquas, hoc est, ne occidat; dicuntur enim sidera subire aequor, cum occidunt.

45a) Cic. de Offic. III, 25, 94.
46) Ovid. Met. II, 340 sqq.
47) Ovid. Met. II, 367 sqq.
48) Ovid. Met. II, 422—530.
49) Prov. 11, 22.

De cornice, corvo et noctua [50]).

Tres fabulae simul connexae sunt: una de cornice, quae docet garrulitatem plerisque odiosam esse, praesertim sapientibus; nam ideo fingitur cornix Minervae invisa. Altera de corvo, quae docet consilium bene monentis non esse repudiandum. Corvus enim, dum spernit consilium cornicis, ipse accersit sibi magnum malum. Tertia de Nyctimene in noctuam conversa continet detestationem impietatis atque incestae libidinis, ac docet honeste vivendum, ut bene audiamus, et in conspectum venire non erubescamus. Qui enim turpitudinem subeunt, omnibus honestis invisi, perinde ac noctuae, lucem atque conspectum fugiunt. Politianus aliam fingit causam, quam Ovidius, cur aves circumvolitent noctuam, videlicet, non quod eam exosam habeant, sed quod ita venerentur. Ait aviculas olim ab illa admonitas, ne insiderent arboribus, neve inter frondes ita lascivirent, subsultarent, colluderent et cantarent; sed hanc admonitionem cum aviculae contempsissent, eas visco implicitas sero poenituisse, quod salubre illud consilium sprevissent. Atque hoc ait esse, cur aves, sicubi noctuam viderint, frequentes eam quasi salutent, deducant, sectentur, circumsidant, circumvolitent, tanquam admirantes eius sapientiam. Haec quidem festiva sunt; sed illud est festivius, habetque plus gravitatis, quod poeta hic fingit: videlicet noctuam fugere conspectum atque lucem propter admissum dedecus, quod patrio cubili se implicuerit, eamque ob id esse tam invisam avibus, ut omnes eam odio habeant. Caeterum ut ad cornicis fabulam redeamus, Plinius [51]) scribit nullam cornicem Athenis conspici: id arbitror etiam Ovidium transferre ad fabulam, dum fingit cornicem esse invisam Minervae, quam Graeci Ἀθήναν appellant.

Erichthonius.

Vs. 553. *Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam.*

Poetae voluerunt Palladem florere perpetua virginitate, quod ut crederetur, finxerunt Vulcanum, Deum ignis, id est, fervorem concupiscentiae, diu cum Pallade luctatum atque superatum. Ex ea vero lucta Vulcani et Palladis, natum esse Erichthonium, quasi de terra et lite procreatum, quod Vulcanus superatus effectum libidinis in terram proiecisset.

Cecrops geminus seu bicorpor.

Vs. 555. *Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis.*

–Iustinus scribit Cecropem, regem Atheniensium, revocasse suos a vagis libidinibus ad matrimonium, ac ideo fingi geminum propter feminae et maris coniunctionem. Gregorius vero Nazianzenus in vita Basilii Magni, scribit Cecropem duas tenuisse linguas, Graecam et Aegyptiacam, atque hanc esse causam, cur fingatur geminus. Traditur etiam Cecrops initio regni fuisse asper et durus, ac postea lenis atque humanus: qua ex re confictam esse fabulam Plutarchus [52]) arbitratur.

Coronis ab Apolline interempta.

Vs. 612. *Poenitet heu sero poenae crudelis amantem.*

Coronis, Aesculapii mater, interiit pestilentia: hinc fingitur telo interempta ab Apolline. Solis enim radii assimilantur sagittis, et nimio eius fervore interdum aer fit pestilens. Quapropter Homerus quoque fingit, interfici ab Apolline, qui peste moriuntur. Apollinis autem exemplo hoc loco monemur, ne statim habeamus fidem delatoribus, neu quid ex impotentia animi faciamus, cuius postea nos poeniteat.

De Aesculapio.

Vss. 629 sq. *sed natum flammis uteroque parentis Eripuit.*

Deorum filii a poetis nominantur homines ingenio et virtute praestantes, eo quod omnes excellentes artes et virtutes in hominibus fiant divino adflatu. Hac de causa Aesculapius dicitur filius Apollinis, quia, cum fuerit excellens medicus, dictum est eum divino motu adiuvari, et quidem vi solis, qui plantas fovet.

Ocyroe in equam [53]).

Per Ocyroen, quae a veloci fluxu nomen habet, ac fingitur mutata in equam, arbitror in-

50) Ovid. Met. II, 531 sqq.

51) Plin. Nat. Hist. X, c. 14. Ed. Franz. (c. 12. Editt. antiq.).

52) Plutarch. de sera numinis vindicta c. 6.

53) Ovid. Met. II, 633 sqq.

telligi fluvium, eumque appellari Graece ἵππον. Non est enim inusitatum hoc nomen fluvii; nam autore Strabone, apud Colchos influit in Phasin amnis nomine Hippos.

Tres Parcae.

Vs. 654. *Tripliceaque Deae tua fila resolvent.*

Extat apud Platonem in dialogo de republica [54]) vel de iusto, pulcherrimum figmentum de Parcis, quomodo in throno Necessitatis, cuius filiae finguntur, sedeant aequali inter se spatio collocatae, vestimentis albis, capite coronato, digitisque torqueant fusum et pensum necessitatis ex adamante factum; quomodo item ad harmoniam coeli canant praeterita, praesentia et futura. Animae vero nascentium ascendant ad thronum Necessitatis, ibique sortiantur fata ex genibus Lachesis sumpta.

Sed nos omissis labyrinthis disputationum de Necessitate, dicimus fatum significare providentiam divinam, quae bona conservat, gubernat et adiuvat, mala reprimit ac tollit; et alio modo agit in motibus coeli et elementorum, alio modo in hominum gubernatione, quibus non eripitur libertas voluntatis, sed iusto iudicio adiuvat Deus iustos, et deserit sontes, ut eos puniat. Nomina tria significant ordinem actionum: Κλωθὼ est a volvendo, id est, Deus offert primum occasiones, ut Pompeio offertur occasio movendi belli, et moderatione sua retinendae pacis. Λάχεσις est ipse eventus, cum movit bellum Pompeius, iam periculo se implicuit. Ἄτροπος est immutabilis, id est, factum infectum fieri non potest. Postquam periculum accersitum est, iam haeret implicitus.

Apollo in pastorem.

Vss. 680 sq. *Illud erat tempus, quo te pastoria pellis*
Texit, onusque fuit baculus sylvestris [55]) *olivae.*

Apollo sive Sol fingitur pastor, ut inquit Iovianus Pontanus:

Quod pascat, quicquid sub coeli nascitur oris.

Battus in saxum.

Batti fabula docet fraude sermonis ac periurio abstinendum. Fuit autem Battus ineptus poeta, cuius odiosam loquacitatem hic notat; nam in eius versibus eadem verba saepe iterabantur. Itaque ad exprimendam battologiam usus est his repetitionibus (Vss. 702 sq.):

Sub illis
Montibus, inquit, erant [56]), *et erant sub montibus illis.*

It em(Vss. 704 sq.):

et me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait.

Pallas cur armata.

Vs. 752. *Vertit ad hanc torvi Dea bellica luminis orbes* [57]).

Pallas fingitur simul et sapientiae et belli Dea, ut significetur, nec sapientiam a potentia, nec potentiam a sapientia seiunctam esse debere: siquidem potentia sine sapientia obest plurimum, et sapientia sine potentia nihil aut parum prodest.

De Invidia.

Vss. 760 sq. *Protinus Invidiae nigro squalentia tabo*
Tecta petit.

Elegans est Invidiae prosopopoeia, qua invidorum natura, affectus et mores describuntur. Prima Invidiae ipsius domus in vallibus imis, significat huic morbo obnoxios esse homines non excelso, sed humili animo praeditos; nemo enim, ut dici solet, alterius virtuti invidet, qui suae confidit. Docent autem physici, hos plerumque humili ac [58]) deiecto animo esse, quibus sanguis inest frigidior: ideo et Invidiae domus est tristis et ignavi plenissima frigoris, et quae (Vs. 764.)

Igne vacet [59]) *semper, caligine semper abundet.*

Deinde quia virtuti ac sapientiae cum invidia nihil est commercii, hanc ob causam Pallas non intrat ipsius limen, sed postes extrema cuspide pulsat, hoc est, ipsam commovet invidiam. His enim rebus, virtute ac sapientia, solet invidia concitari. Postremo eleganter describitur ipsius forma ab effectu (Vs. 775.):

54) Plat. de republ. X. (Opp. ed. H. Steph. T. II. p. 617. c. d.).

55) *baculus sylvestris*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *baculum silvestre.*

56) *erant*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Misch. *erant.*

57) *orbes*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *orbem.*

58) ac] Ed. 1559. mendo typogr.: a.

59) *vacet*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *vacat.*

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.

Item (Vs. 777.):

Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

Hoc est, obtrectatores pleni sunt acerbitatis, nihilque est illis virulentius: unde natum est proverbium, Sycophantae morsum esse incurabilem.

Aglauros in saxum [60]).

Aglauros mutata in saxum, significat invidos ac malevolos fieri saxeos, hoc est, asperos et ab omni humanitate alienos. Nihil est enim asperius, nihil inhumanius, quam invidere alterius rebus secundis, quae nihil nocent invidenti.

Iupiter in taurum.

Accommodari potest ad principes libidinosos et puellarum raptu infames, qui amatoriis levitatibus dediti, obliviscuntur personae, quam sustinent, fiuntque similes taurorum. Eiusmodi [61]) enim principem videtur Ovidius hic depingere, cum inquit (Vss. 846—851.):

Non bene conveniunt nec in una sede morantur
Maiestas et amor, sceptri gravitate relicta.
Ille pater rectorque Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, mixtusque iuvencae [62])
Mugit et in teneris formosus obambulat herbis.

Caeterum quod ad historiam attinet, Europa, Agenoris filia, a Cretensibus rapta et in Cretam abducta est navi, in qua taurus erat pictus; Iupiter vero, qui eo tempore regnabat in Creta, liberos ex ea genuit, Minoa et Rhadamantum: inde nata est fabula de Europa a tauro rapta.

60) Ovid. Met. II, 785—832.

61) Eiusmodi] Ed. 1559. male: Eiusmodo.

62) *iuvencae*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *iuvencis*.

In librum III. Metamorphoseon.

Draconis dentes sati a Cadmo [63]).

Çadmus, Agenoris filius, occiso rege, cui erat nomen Draconi, fertur occupasse regnum Boeotiae: adversus quem cum amici et filii Draconis bellum coniunctis viribus suscepissent, ipse iecit inter eos semina discordiae, qua tandem distracti atque consumpti sunt. Hinc nata est fabula de serpente, eiusque dentibus in terram seminatis, ex quibus subito extiterint duae acies galeis et hastis armatae, quae mutuis vulneribus sese confecerint. Fingitur autem Cadmus illam sementem fecisse iussu Palladis, hoc est, divino consilio; est enim singularis prudentiae, ita divellere hostium consensum. Ac videre mihi videor in hac fabula quandam imaginem horum temporum, ubi aliquoties foederati principes simili arte sunt distracti, et postea inter sese dimicantes perierunt. Porro nihil est stultius ac perniciosius, quam implicari bellis civilibus. Nulla enim societas foederum est diuturna; multa siquidem incidunt, quibus illa dirimitur, et convertitur in hostiles inimicitias. Docet igitur fabula, συμμαχίαν esse vitandam, ideoque unus de terrigenis fratribus Cadmum admonens, ita exclamat (Vs. 117.):

Ne [64]) te civilibus insere bellis.

Erasmus Roterodamus non invenuste transfert Cadmeam sementem ad litteratos. Scribit enim serpentinos dentes in Boeotia seminatos significare litteras, quas Cadmus ex Phoenicia primus in Graeciam attulit, ibique sparsit ac seminavit; per seditiosos vero fratres, ex serpentinis istis dentibus ortos, significari litteratos. Id si non credis (inquit), considera, qua strage se mutuo conficiant, qui hodie litteras profitentur. Potest etiam transferri et accommodari ad alios: ut qui rempublicam sine ordine et gradu capessunt. Hi enim subito existunt honorati, tanquam illi, quos Cadmus seminavit, armati. Sic Gregorius [65]) Nazianzenus in vita Basilii Magni hanc ipsam accommodat sementem ad eos, qui nullo doctrinae gradu ornati, nec virtute nec eloquentia muniti, nihil denique pro Ecclesia passi, fiunt corrogatis suffragiis episcopi. Apud Ammianum Marcellinum extat allegoria eiusdem sementis accommodata ad improvisam hostium multitudinem, quae ex occultis insidiis, tanquam ex terra emergens, subito irrumpit.

63) Ovid. Met. III, 1 sqq.

64) *Ne*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *nec*.

65) Gregorius] sic scripsi; Editt. 1555., 1559. Georgius.

Vss. 135—137. *Ultima semper*
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Ut athletae non ferunt coronam nisi peracto certamine: ita nemo consequitur laudem felicitatis, nisi peracta vita propter vicissitudinem rerum humanarum, et incertos vitae casus. Haec vero sententia adscribitur Soloni, nempe finem vitae spectandum esse, ac neminem ante obitum dici beatum debere: qua sententia apud Herodotum [66]) admonetur Croesus a Solone, ne immensis opibus et nimia felicitate fretus, efferat animum, seque putet beatum esse, cum adhuc ante obitum et multa tristia evenire possint; id quod etiam accidit. Croesus enim postea a Cyro captus et regno exutus est; cumque impositus rogo et iam igne cremandus esset, tunc demum coepit recordari huius sententiae et clamare: o Solon, Solon! Meminit huius sententiae et Iuvenalis [67]), cum inquit:

quem vox facunda Solonis
Respicere extremae [68]) iussit spatia ultima vitae.

Actaeon in cervum [69]).

Actaeon in cervum conversus, docet principes quodammodo exuere animum humanum, ac degenerare in naturam ferinam, dum assidue in sylvis agunt, ibique cum feris luctantur, et assuefiunt caedibus. Dicuntur autem vulgo dilaniari venatores a canibus, cum exhausto sumptu in alendis canibus facto, rediguntur ad inopiam. Meminit huius fabulae Euripides; sed aliam causam adfert quam Ovidius, quare Actaeon sit mutatus in cervum. Ait enim eum impie locutum de Diis, cum gloriaretur se praestantiorem esse venatorem ipsa Diana. Extat locus apud Euripidem in Bacchis [70]), ubi Cadmus exemplo Actaeonis admonens Penthea, ne quid arroganter aut impie dicat de Diis, ita inquit:

Ὁρᾷς τὸν Ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον,
Ὃν ὠμόσιτοι σκύλακες, ἃς ἐθρέψατο,
Διεσπάσαντο, κρείσσον' ἐν κυνηγίαις
Ἀρτέμιδος εἶναι κομπάσαντ', ἐν ὀργάσιν;

66) Herodot. I, 30.

67) Iuven. Sat. X, 274 sq.

68) extremae] sic Editt. 1555., 1559.; Iuven. Ed. Rupert.: ad longae.

69) Ovid. Met. III, 155—250.

70) Eurip. Bacch. 337—340. Ed. Barnes.

Ioannes Dantiscus, episcopus Varmiensis, solebat comparare Actaeonis canes parasitis, ac dicebat, idem accidere principibus a parasitis, quod Actaeoni a canibus, nempe ut devorentur ab iis, quos alunt. Itaque in principem adulatoribus et parasitis circumfusum, immodicisque largitionibus perditum, competunt hi versus

(Vss. 249 sq.): *Undique circumstant, mersisque in corpore rostris*
Dilacerant dominum falsi [71]) *sub imagine cervi.*

Semele [72]).

Etsi magna pars narrationum de Cadmo et eius posteris commonefactiones de moribus etiam continet: tamen historiae multae involutae sunt, et mixtae sunt admonitiones physicae, ut multis aliis narrationibus concurrunt historica, physica et ethica. Vocabulum Cadmus certo significat Orientalem, quia hic dux ex Phoenicia advenit, et inde litteras et doctrinas in Boeotiam attulit. Semele significat simulacrum, et haud dubie ritus novi a Cadmo allati sunt. Ideo fingitur Semele amata esse a Iove, id est, novos et speciosos ritus tunc receptos esse. Vocabulum Ino prorsus significat idem, quod Fortuna Latinis. Et fortassis etiam nomen fuit novae statuae et novorum rituum. Aut significavit imperia constitui non humanis consiliis, sed arcanis et fatalibus causis, quarum eventus nominatur fortuna.

Bacchus in foemore Iovis [73]).

Consentaneum est Cadmum monstrasse rationem plantandi vites, et artem putandi et uvas exprimendi. Et quia beneficium Dei esse iudicabatur, dicitur Bacchus ex Semele, id est, cultu Dei, natus esse. Aut physica sunt involucra. Semele est terra, ex cuius humore et pinguedine vitis fit foecunda. Ut autem crescant uvae et percoquantur, aereo et suavi calore fovendae sunt. Talis est Iovis calor; ac res ostendit, quando temperatus et suavis calor, postquam ex vitibus gemmae exortae sunt, accessit, melius coqui uvas, et gigni vina meliora.

71) *dominum falsi*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *falsi dominum*.

72) Ovid. Met. III, 260 sqq.

73) Ovid. Met. III, 310 sqq.

Tiresias in feminam [74]).

Livius scribit Spoleti virum ex muliere factum esse. Et pauca alia similia exempla recitantur. Haec si quando accidunt, dira prodigia sunt, et prorsus aliena ab ordine naturae. Multa autem tetra acciderunt in idolorum cultibus: quare et Tiresiae aliquid monstrosum accidere potuit. Minus alienum est a naturae exemplis nasci androgynos. Et fortassis talis fuit Tiresias, aut prorsus allegorice significatum est, virum praestantem Tiresiam perterritum recepisse fanaticos ritus.

Echo et Narcissus.

Vss. 370 sq. *Ergo ubi Narcissum per devia rura* [75]) *vagantem*
Vidit, et incaluit.

Echo allegorice significat iactantiam: haec spreta mutatur in sonum, hoc est, in rem inanem. Talis est enim iactantia (Vs. 401.):

Omnibus auditur; sonus est, qui vivit in illa.

Narcissus vero significat hominem sibi vehementer placentem, ac supra modum sui amantem, quod ex ipsius verbis intelligi potest. Sic enim de se ipse loquitur (Vss. 463 sq.):

Iste [76]) *ego sum, sensi, nec me mea fallit imago,*
Uror amore mei.

Recte igitur Echo amat Narcissum, hoc est, iactantia φιλαυτίαν. Ad haec sapienter fingitur Nemesis, insolentiae et arrogantiae vindex, repetere poenas a Narcisso se ita amante, ut suam ipsius umbram admiretur. Divinitus enim puniuntur φίλαυτοι hac dementia, ut etiam inscitiam suam esse sapientiam arbitrentur.

Erudite exposuit hanc fabulam Vitus Winshemius in quadam declamatione, ubi sic inquit: Narcissus in fabulis poetarum, dum nimium sese amat, contabescit peritque et ipse et illa falsa imago, quam tantopere deperibat. Et nunc mutatus in florem, monet nos sero florescens, ne nimis mature et ante tempus sapere incipiamus, neve nos aut nostra nimis amemus, atque admiremur, quod cum in omni aetate odiosum est, tum vero in adolescentia prorsus intolerabile.

74) Ovid. Met. III, 323 sqq.

75) *rura*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *lustra*.

76) *Iste*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *In te*.

Nam ut ab usu rerum solidaque et perfecta doctrina et sapientia hactenus adhuc longissime abest: ita has res non possunt sibi arrogare sine summa turpitudine ac vanitate. Ut enim uvae et poma non in vere, nec in aestate maturescunt, sed in autumno paulo ante hyemem: ita doctrinae fructus ingravescente senectute primum solent maturescere.

De Pentheo.

Vs. 528. *Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri.*

Nihil in speciem fallacius est, nihilque ad populum plausibilius nova, sive superstitione sive doctrina. Ad hanc fiunt hominum concursus, quales describuntur hic (Vss. 529 sq.):

Turba ruunt, mixtaeque viris matresque nurusque,
Vulgusque et proceres [77]) *ignota ad sacra feruntur.*

Sic olim, sicubi novus divorum cultus a monachis [78]) vel a sacrificulis erat institutus, eo viri ac feminae accurrebant turmatim. Sic nostris hisce temporibus, si quis a ministris Ecclesiae dissentit fingendis novis opinionibus, ad hunc concurrit maxima multitudo.

Pentheus vero (si exemplum rite accommodetur) est εἰκὼν seu imago tyranni, immanem saevitiam exercentis in ministros Ecclesiae, odio religionis, quam arbitratur offuturam suis commodis. Hic summa contentione dehortatur cives, ne amplectantur novos sacrorum ritus: iubet comprehendi sacerdotem, et abripi ad supplicium, nec flectitur ullius admonitione, nec movetur ullis miraculis, quo minus saeviat, donec amittat vitam, ab ipsa matre et matertera sua discerptus, istoque miserabili interitu probet, impios ne a suis quidem tutos esse posse. Talis nimirum est pertinacia, ac talis exitus tyrannorum, praesertim qui adversantur religioni. Quod vero Ovidius de Pentheo ac Tiresia hic refert, cum ait (Vss. 513—518.):

Spernit Echionides tamen hunc, ex omnibus unus
Contemptor superum, Pentheus: praesagaque ridet

77) *et proceres*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *proceresque*.

78) monachis] Ed. 1559. mendo typogr.: Aonachis.

Verba senis: tenebrasque et cladem lucis ademptae
Obiicit; ille movens albentia tempora canis,
Quam felix esses, si tu quoque luminis huius
Orbus, ait, fieres, nec[79]) *Bacchica sacra videres.*

Idem fere de Imperatore Iuliano fertur, qui cum insultaret seni sacerdoti, cui ob confessionem fidei Christianae oculi erant effossi, obiiceretque ei caecitatem, sacerdos simili libertate respondit, se agere gratias Deo, quod careret oculis, ne ipsum conspiceret, tam nefarium religionis Christianae hostem. Caeterum quam obstinatus et praefractus sit animus tyrannorum, apte exprimitur his versibus (Vss. 564—571.):

Hunc avus, hunc Athamas, hunc caetera turba suorum
Corripiunt dictis: frustraque inhibere laborant.
Acrior admonitu est; irritaturque retentus[80]).
Et crescit rabies: moderaminaque[80]) *ipsa nocebant.*
Sic ego terrentem[80]), *qua nil obstabat eunti,*
Lenius, et modico strepitu decurrere vidi.
At quacunque trabes, obstructaque saxa tenebant,
Spumeus, et fervens, et ab obice saevior ibat.

Bacchus in puerum.

Vs. 607. *Virginea puerum ducunt*[81]) *per littora forma.*

Bacchus ebrietatis ac temulentiae Deus, fingitur puer, eo quod ebrii induunt habitum animi, qui est in pueris; revelant omnia, balbutiunt, ac vacillant pedibus; immodicus enim potus extinguit sensus adeo, ut ipsi senes, quando inebriantur[82]), fiant bis pueri, quemadmodum Plato scribit primo de legibus[83]), ubi ebrietatem prohibet.

Cur tigres, lynces et pantherae circa Bacchum.

Vss. 668 sq. *Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum*
Pictarumque iacent fera corpora pantherarum.

Tigres, lynces, et pantherae finguntur comitari Bacchum propterea, quod sunt aut appetentes vini, aut ferae supra modum immanes. Ebrietatis enim comes est feritas et immanitas.

Nautae in delphinos.

Vs. 638. *Per mare fallaces, perque omnia numina iurant.*

Fabula de nautis in delphinos mutatis detestatur periurium, ac docet violatam iurisiurandi religionem, a Deo gravissime puniri. Delphini autem adeo gaudent hominem consuetudine, ut navigiis obviam veniant, et exultantes alludant. Hac de causa finguntur fuisse olim nautae.

79) *nec*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *ne*.

80) *retentus — moderaminaque — terrentem*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *retenta — remoraminaque — torrentem.*

81) *ducunt*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *ducit.*

82) inebriantur] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. inebriebantur.

83) Conf. Plat. Opp. ed. H. Steph. T. II. p. 637 sqq.

In librum IV. Metamorphoseon.

Bacchi cornua.

Vss. 19 sq. *tibi, cum sine cornibus adstas*
Virgineum caput est.

Plato[84]) constituit ebrietatis quasi quosdam gradus: Qui bibit vinum (inquit), primo alacrior fit, quam prius erat; deinde quo plus biberit, eo maiore spe est, et fortius de se sentit; tandem quasi sapiens, ea confidentia, libertate et audacia repletur, ut intrepide dicat ac faciat, quicquid velit. Propter hos gradus poetae attribuunt Baccho caput virgineum et cornua. Primum enim vino moderate sumpto homines efficiuntur quasi virgines, hoc est, hilares et mansueti; immodice deinde sumpto efficiuntur bestiae: sumunt cornua, hoc est, ferociunt, iuxta versiculum: Tunc pauper cornua sumit.

84) Plat. de legg. lib. I. (Opp. ed. H. Steph. T. II. p. 649. a. b.).

Lycurgus Bacchi hostis.

Vss. 22 sq. *bipenniferumque Lycurgum Tu*[85]) *mactas.*

Lycurgus, rex Spartae[85a]), ut suos populos ab immani consuetudine perpotandi reduceret ad sobrietatem, interdixit eis usum vini, excisis etiam et extirpatis vineis: sicut non multis abhinc annis Basilius, Moscorum princeps, fecit, interdicto usu cerevisiae propter eandem causam. Ideoque fingitur Lycurgus (teste Plutarcho) contemptor et hostis Bacchi.

Bacchi comitatus ex Satyris et vesanis mulieribus.

Vs. 25. *Bacchae Satyrique sequuntur.*

Ebrietatem comitatur quoque libido et insania: hac de causa Satyri et Bacchae finguntur esse comites ipsius Bacchi, non aliter atque lynces, tigres et pantherae. Satyri enim perhibentur esse adeo salaces, ut motus seu pruritus libidinis vulgo satyrismus dicatur; et constat Bacchas fuisse mulieres furore correptas.

Dercetis in piscem.

Vss. 44 sq. *Cogitat; et dubia est, de te, Babylonia, narret Derceti* etc.

De hac fabula Diodorus Siculus[86]) scribit in hanc sententiam: esse iuxta Ascalonem, civitatem Syriae, stagnum piscibus plenum, ac prope stagnum insigne templum Deae Dercetidis, eiusque simulacrum sic effictum esse, ut referat facie[87]) mulierem, reliqua parte corporis piscem; huius vero causae hanc narrari fabulam: nempe Venerem aliquando obviam Deae factam, accendisse eam amore formosi adolescentis sibi sacrificantis; atque ex eorum concubitu filiam natam esse; Deam sui erroris pudore ductam, amovisse adolescentem, et exposuisse filiam in loco deserto et saxoso, se vero pudore et dolore compulsam abiecisse in stagnum, atque ibi in piscem esse conversam: hanc ob causam et Syrios abstinere piscibus illius stagni, ut qui pro Diis habeantur. Haec Diodorus: ex quibus manifestum est, esse illam Ascalonitarum Deam, quae in sacris litteris Dagon appellatur. Nam et divus Hieronymus asserit, Dagon dici piscem moeroris. Eadem dicta est Atergatis lingua Syriaca, quasi sine piscibus, ut Athenaeus autor est, propterea quod abstinentia piscium colebatur.

Semiramis in columbam.

Vs. 47. *An magis ut sumptis illius filia pennis.*

Semiramis, Assyriorum regina, fertur nutrita a columbis, unde et Syriaca lingua nomen Semiramidis, hoc est, columbae ei inditum fuit. Nam cum esset a matre exposita in loco deserto (ut idem Diodorus[88]) scribit) columbae infantem alis confoverunt, et coagulato lacte ex pastorum mapalibus surrepto, nutriverunt. In cuius rei memoriam, Babylonii columba, ut Romani aquila, usi sunt. Hac igitur occasione conficta est fabula de Semiramidis transformatione in columbam; fuisse autem columbam insigne Babyloniorum, patet ex Hieremia[89]) propheta, qui ubi praedicit Babylonios vastaturos Iudaeam: Fugite, inquit, a facie gladii columbae.

Pyramus et Thisbe.

Vs. 55. *Pyramus et Thisbe, quorum*[90]) *pulcherrimus alter.*

Exemplum Pyrami ac Thisbes docet, qualem vitae exitum sortiantur, nempe tristem et infelicem, qui illicitos suos amores caritati parentum anteferunt: idque exemplum quo sit illustrius, ac iuvenum animis inculcetur, poeta fabulam exornat tanta affectuum et figurarum suavitate, vix ut possit quicquam excogitari suavius. Inserit miserabiles querelas infelicium amantium, et crebras sermonis conversiones: nunc ad parietem, cum quo, perinde quasi intelligat, expostulant; nunc ad feras, a quibus alter optat afferri sibi interitum propter magnitudinem doloris ex alterius nece accepti; nunc ad parentes, a quibus officium sepeliendi flagitatur[91]); nunc ad arborem, quam Thisbe alloquitur iamiam moritura, et precatur, ut perpetuo servet gemini monimenta

85) *Tu*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Sacrilegos.*

85a) Spartae] sic scripsi; Editt. 1555., 1559. Thraciae.

86) Diodor. Sic. Biblioth. II. c. 4.

87) facie] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. faciem.

88) Diodor. Sic. l. l.

89) Ierem. 46, 16.

90) *quorum*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *iuvenum.*

91) flagitatur] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: flagitantur.

doloris. Eiusmodi siquidem conversiones, praesertim ad res inanimes, sunt haud mediocre condimentum suavitatis, ac mirifice afficiunt animum lectoris.

Martis et Veneris adulterium[92]).

Allegoriam huius fabulae exponit Plutarchus in libello de audienda poetica; eamque refert ad causas astrologicas. Scribit enim eos naturali quadam inclinatione ad adulteria propensos esse, in quorum nativitate existat Venus cum Marte coniuncta, eorumque adulteria minime occulta fore, si Sol accesserit. Potest etiam accommodari allegoria ad mores. Sunt enim bellatores plerumque adulteri et scortatores. Nec illud caret ratione physica, quod Venus et Mars finguntur se mutuo amare. Mars enim, cuius stella ignea est, significat calorem, et Venus humorem temperatum, e quibus duobus constat generatio. Neptunus autem ligatos solvit; nam aqua, contrarium igni elementum, extinguit calorem.

Rhodos amata a Sole.

Vs. 204. *Nec te Clymeneque Rhodosque*[93]).

In Rhodo insula ferunt esse tantam serenitatem coeli, ut nunquam non aliqua parte diei sol conspiciatur. Hinc fingitur Rhodus amata a Sole, perinde ac si quis fingat Prussiam a Borea amari, eo quod Boreas fere perpetuo in hac regione spirat.

Leucothoe in virgam thuream.

Vs. 254. *Virgaque per glebas sensim radicibus actis.*

Arbor thurifera eadem ratione fingitur amata ab Apolline seu Sole, qua laurus, videlicet quod gaudeat locis maxime apricis, et ferat fructus ad salutaria remedia utiles.

Clytie in heliotropium[94]).

Describit hac metamorphosi naturam heliotropii, in qua herba tantus est amor solis, ut cum ipso circumagatur, et quocunque se verterit sol, eodem flectat cacumen; noctu etiam tanquam desiderio solis contrahat florem. Huius herbae similes sunt aulici Gnathones, qui se in omnibus rebus accommodant ad voluntatem regum, nihil nisi ad gratiam loquentes; et quocunque illorum inclinat animus, eodem ipsorum quoque mentes inclinant ac propendent.

Daphnis Idaeus in saxum.

Vss. 276 sq. *Vulgatos taceo, dixit, pastoris amores*
Daphnidis Idaei.

Hic videtur in saxum mutatus, eo quod hausto poculo amatorio, fuerit oppressus stupore, idque indicari his verbis (Vss. 277 sq.):

Quem Nymphae pellicis ira
Contulit in saxum: tantus dolor urit amantes.

Solent enim amantes iratae, hoc modo ulcisci desertores amoris, ut reddant eiusmodi poculo eos stupidos et quasi saxeos.

Scython ambiguus.

Vss. 279 sq. *Nec loquar*[95]), *ut quondam naturae iure novato*
Ambiguus fuerit modo vir, modo femina, Scython.

Interdum ita mutari sexum, ut vir ex muliere, et mulier ex viro fiat, supra[96]) dictum est in fabula Tiresiae.

De Celmo.

Vss. 281 sq. *Te quoque, nunc adamas, quondam fidissime parvo,*
Celme[97]), *Iovi.*

Celmus in adamantem conversus fingitur, forte propter animi duritiem aut fortitudinem. Est enim adamas lapis omnium durissimus, qui neque igne neque ferro molliatur.

De Curetibus.

Vs. 282. *largoque satos Curetas ab imbri.*

Curetes, qui et Corybantes dicti sunt, finguntur nati ab imbribus, propter gentem histrionibus, scurris et morionibus affluentem. Nam vulgo dicimus, illic pluisse fatuis, ubi stultorum

---

92) Ovid. Met. IV, 171 sqq.

93) *Clymeneque Rhodosque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Clymeneve, Rhodosve.*

94) Ovid. Met. IV, 256 sqq.

95) *loquar*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *loquor.*

96) Vide supra p. 533.

97) *Celme*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Celmi.*

magnus est numerus; fuisse autem illos homines stolidos et scurriles, indicant ipsorum nomina. Dicti sunt enim Curetes, teste Strabone[97a]), ἀπὸ τῆς κουρᾶς, a tonsura capillorum, quod essent more fatuorum detonsi; item Corybantes, a κορύπτειν, quod est caput saltando iactare; saltantes enim movebant tintinnabula, et iactabant caput, sicut histriones et fatui solent. Horum opera Iupiter fertur educatus: qua de causa etiam histriones, scurrae, et moriones in tanta sunt gratia apud reges ac principes, ut saepe habeantur intimi, caeterisque omnibus praeferantur.

De Croco et Smilace.

Vs. 283. *Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores.*

Sicut Lycaonis, Daphnes, Cygni et Nyctimenes, ita Croci et Smilacis fabula ex similitudine nominum conficta est. Fingitur autem Crocus fuisse adolescens, cuius amore cum Smilax puella esset incensa, neque frui posset, ipsa in florem sui nominis conversa est, id quod etiam Croco accidit.

Salmacis fons.

Vss. 285 sq. *Unde sit infamis; quare male fortibus undis*
Salmacis enervet.

Hermaphroditum fingunt Mercurii et Veneris filium, eo quod stella Mercurii ob qualitates, quibus praeest, mediae naturae putatur; nam cum aliae stellae ab astrologis dicantur masculinae propter maius robur, quo calorem excitant; aliae vero femineae propter debiliores vires, et naturam humidi, cui dominantur: Mercurii stella nunc humidum abunde excitat pro situ et motu suo, sicut Iovianus Pontanus docet de rebus coelestibus. Porro Salmacidis Nymphae fabula non tam ad vitium aquae, quam ad inertiam et desidiosum otium, quo vires hominum enervantur, referenda est. Erant enim Cares, qui eo loco habitabant, homines desidiae et luxuriae pleni, ac foedis dediti libidinibus: unde et Hermaphroditi vulgo appellabantur. Nam Hermaphroditus dicitur non solum, qui utrumque habet membrum, tam virile quam muliebre; sed etiam qui utramque Venerem exercet. In eam fere sententiam et Strabo exponit hanc fabulam libro 14.[98]), ubi sic inquit: Salmacis fons nescio quam ob causam infamis, tanquam molliens eos, qui inde biberint; hominum enim mollities videtur non ab aëre vel ab aqua causam trahere, cum ea minime sit causa mollitiei; sed divitiae et victus et incontinentia. Atque haec Strabonis descriptio omnino conveniens et accommodata est descriptioni Ovidianae. Describitur enim primum ab Ovidio locus deliciarum ac voluptatis, nempe (Vss. 297—301.):

stagnum lucentis ad imum
Usque solum lymphae; non illic canna palustris,
Nec steriles ulvae, nec acuta cuspide iunci.
Perspicuus liquor est; stagni tamen ultima vivo
Cespite cinguntur, semperque virentibus herbis.

Deinde describitur Nympha inertissimo otio et amoribus dedita (Vss. 302—319.):

Nympha colit; sed nec venatibus apta, nec arcus
Flectere quae soleat, nec quae contendere cursu:
Solaque Naiadum celeri non nota Dianae.
Saepe suas illi fama est dixisse sorores:
Salmaci, vel iaculum, vel pictas sume pharetras;
Et tua cum duris venatibus otia misce.
Nec iaculum sumit, nec pictas illa pharetras,
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.
Sed modo fonte suo formosos perluit artus:
Saepe Cytoriaco deducit pectine crines;
Et quid se deceat, spectatas consulit undas.
Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.
Saepe legit flores, et tunc quoque forte legebat,
Cum puerum vidit, visumque optavit habere.
Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire,
Quam se composuit, quam circumspexit amictus
Et finxit vultum, et meruit formosa videri.

Etenim haec omnia mollium et luxuriosorum hominum propria sunt, sequi otium, pectere capillos, sese ad speculum intueri, et illo docente vultum componere. Amor siquidem otiosa res est, et, quemadmodum ait Menander, amat specula et flavas comae tincturas, fugit labores:

Ἔρως γὰρ ἀργὸν κἀπὶ τοῖς ἔργοις ἔφυ
φιλεῖ κάτοπτρα, καὶ κόμης ξανθίσματα,
φεύγει δὲ μόχθους.

97a) Strab. X. p. 465. Ed. Casaub. a. 1620.

98) Strab. XIV. p. 656. Ed. Casaub. a. 1620.

Minyeïdes[99]) in vespertiliones[99a]).

Omnibus gentibus, etiam a vera religione alienis, semper persuasum fuit, diebus festis esse vacandum rebus non profanis, sed divinis. Dies enim festi destinati sunt divino cultui. Hoc igitur exemplo, quamvis ficto, pueri deterrendi et admonendi sunt, ne festis diebus negligant rem divinam, ne lusionibus dent operam, sed ut ingrediantur templum, et intersint sacris concionibus, suasque preces coniungant cum precibus Ecclesiae. Ipsae enim Minyeïdes, dum rem divinam contemnunt, dum recitant domi fabulas, convertuntur in vespertiliones. Recte autem assimulantur vespertilionibus contemptores religionis. Nam ut vespertiliones in tenebris volitant, ita impii etiam caecitate et impetu feruntur.

Cerberus.

Vss. 449 sq. *tria Cerberus extulit ora,*
Et tres latratus simul edidit.

Per Cerberum tricipitem intelligunt terram, quae et secundum veteres geographos trifariam divisa est, et defunctorum corpora tanquam canis devorat.

De poenis inferorum.

Vss. 456 sq. *Viscera praebebat Tityus lanianda novemque*
Iugeribus distractus[100]) *erat.*

Hae fabulae de inferorum poenis, admonent pie ac honeste hic vivendum esse; post mortem enim restare et bonis praemia, et sceleratis poenas gravissimas. Genera vero suppliciorum, quae hic describuntur, etiam allegorice ad perturbationes animorum referri possunt: Titii iecur vulture exesum et renascens, ad odium, quod nunquam tolli potest; Tantali fames ad avaritiam; Ixionis rota ad homines in republica irrequietos; Sisyphi saxum ad laboriosam et miseram ambitionem; Belidum effluentes aquae ad inexplebilem animi cupiditatem. Sic Lucretius[100a]) exponit poenam, quam Sisyphus et Belides sustinent:

Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasces, saevasque secures
Imbibit, et semper victus tristisque recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur unquam,
Atque in eo semper durum sufferre laborem,
Hoc est adverso nixantem trudere monte
Saxum, quod tandem summo iam vertice rursum
Volvitur, et plani raptim petit aequora campi.
Deinde animi ingratam naturam pascere semper
Atque explere bonis rebus satiareque nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Cum redeunt, foetusque ferunt, variosque lepores
Nec tamen explemur vitai fructibus unquam
Hoc, ut opinor, id est, aevo florente puellas
Quod memorant laticem pertusum congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.

De Furiis.

Vss. 480 sq. *Nec mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit*
Importuna facem.

Multa quidem scite excogitata sunt a poetis, sed haud scio, an quicquam hoc figmento aptius, nempe quomodo Furiae commota ira Dei evocentur ab inferis; quomodo secum trahant luctum, timorem, insaniam; quomodo item agant homines praecipites in scelus, iniecto illis serpente, et infuso veneno; denique quomodo flagellis insectentur facinorosos, et ardentibus facibus eos agitent. Haec enim omnia aptissime et gravissime excogitata sunt ab hominibus sapientissimis, qui magnitudinem irae divinae, et causas humanarum calamitatum diligenter considerarunt. Sunt autem Furiae nihil aliud nisi pravae cupiditates, seu commotiones animorum a recta ratione aversae, quibus impelluntur hi ad odium, invidiam, ambitionem, caedem; illi ad stupra, adulteria, incestus; alii ad alia atrocia et nefaria flagitia, incitati a diabolo: id quod ipsa nomina declarant, quae ab effectu Furiis indita sunt. *Μέγαιρα* enim significat invidiam et emulationem: haec odia incitat; *Τισιφόνη* ultionem caedis seu cupiditatem vindictae: haec efficit homicidas et parricidas; *Ἀληκτὼ* irrequieta dicitur: haec concitat seditiones et discordias. Tales vero impetus seu commotiones animorum adducunt luctum, pavorem, terrorem, insaniam; coniiciunt enim homines in miserias et calamitates luctuosas, incutiunt animi horrorem et metum, adigunt ad insaniam. Deinde serpentes, flagella, et faces Furiarum, sunt anxietates et cruciatus

---

99) Minyeïdes] sic h. l. et in seqq. scripsi; Editt. 1555., 1559. Mineides.

99a) Ovid. Met. IV, 389 sqq.

100) *distractus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *distentus*.

100a) Lucret. III, 1008—1023.

conscientiae. Ideo enim Ovidius de morsu istorum serpentum ita inquit (Vss. 497 sq.):

Inspirantque graves animos[1]*, nec vulnera membris*
Ulla ferunt; mens est, quae diros sentiat ictus.

His conscientiae tormentis Furiae tanquam quaesitores et carnifices scelera scrutantur; nam etiamsi leges et iura in facinorosos non animadvertant, nemo illorum scelera viderit, nemo audierit[2]; adest tamen ipsa conscientia, quae illos urget, insectatur, accusat, et in iudicium rapit: sicuti testatur Iuvenalis[3], cum inquit:

> Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
> Displicet autori. Prima est haec ultio, quod se
> Iudice nemo nocens absolvitur; improba quamvis
> Gratia fallacis[4]) praetoris vicerit urnam[4]).

Extant apud Plutarchum de sera numinis vindicta, memorabilia exempla, quomodo facinorosi affligantur conscientia, quomodo spectris et somniis terreantur. Porro in hac descriptione Ovidiana consideranda est mirifica illa venenorum permixtio a Furiis apud inferos cocta, qua animi perfunduntur, nempe ex spuma Cerberi, ex vagis erroribus, ex oblivione mentis, scelere, lacrymis, rabie, et cupiditate caedis. Haec enim sunt venena, quibus infecti de sanitate et mente deturbantur.

Iris Thaumantis filia.

Vss. 478 sq. *quam coelum intrare parantem Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.*

Iris dicitur Thaumantis, hoc est, admirationis filia. Nullum est enim meteoron admirabilius. Id sancti patres ita admirati sunt, ut dixerint, esse signum iudicii divini et praeteriti et futuri. Color caeruleus significat mundum semel aquis periisse; purpureus vero significat venturam esse aliam mundi destructionem, scilicet, per ignem. Et docti viri in philosophia fatentur non posse sufficientes causas in materia ostendi, cur talis fiat arcus. Quare sciamus singulare[5]) opus Dei esse conditum, ut sit commonefactio de diluvio, et de ventura mundi conflagratione.

1) *animos*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *animas.*

2) nemo audierit] sic Editt. 1555.; in Ed. 1559. haec desunt.

3) Iuven. Sat. XIII, 1—4.

4) fallacis — urnam] sic Editt. 1555., 1559.; Iuven. Ed. Rupert. fallaci — urna.

5) singulare] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. singulari.

Venus mari orta.

Vs. 536. *Si tamen in medio*[6]) *quondam concreta profundo.*

Venus a poetis Graecis nominatur Ἀφροδίτη, ac fingitur orta e spuma maris, teste Aristotele[7]). propter naturam seminis ἀφρώδη, spumosam.

Cadmus in serpentem[8]).

Cadmus ad extremum, post infinitas suorum calamitates, regno eiectus, una cum Harmonia uxore in Illyricum profugit, ubi cum in exilio lateret, ac tanquam serpens in latebris absconditus inopem vitam ageret, et homo politicus se accommodaret ad leges et mores barbarorum, quibuscum versabatur, praebuit occasionem fabulae de se mutato in serpentem, propter hanc vitae mutationem et Illyricae gentis naturam. Dicuntur enim veteres Illyrici habuisse binas singulis oculis pupillas, et acerrimam oculorum aciem instar draconum, qua irati, ut Gellius testis est, interimebant, si quem diu intuebantur.

Danaë.

Vs. 610. *Persea, quem pluvio Danaë conceperat auro.*

Imber aureus, quo Iupiter Danaën turre ahenea inclusam elusit, docet nihil esse tam firmum, tam communitum, nihilque tam diligenter custodiri, quod non possit expugnari auro.

De Perseo, Iovis et Danaës filio.

Vs. 639. *generis mihi Iupiter autor.*

Perseus habitus est Iovis filius propter raram felicitatem. Gessit enim multas res memorabiles: suscepit expeditionem adversus Gorgonum gentem, cuius regina erat Medusa; intulit inde bellum Mauritaniae; decertavit armis cum Aethiopibus, apud quos et nuptias celebravit cum Andromeda, Cephei regis filia. Postea reversus in Graeciam occupavit regnum Argivorum devicto Proeto, suo patruo, et Polydecte insulae Seriphi regulo, a quibus multis iniuriis erat affectus. Ad extremum constituit in Helicone ludum litterarium: quo beneficio tantam consecu-

6) *medio*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *dio.*

7) Aristot. de generat. animal. II. c. 2. extr.

8) Ovid. Met. IV, 570 sq.

tus est celebritatem, ut a poetis et mathematicis usque in coelum evectus, et inter sidera collocatus sit. Tantas autem res confecit incredibili celeritate, et versutia ingenii. Ideoque fingitur talaribus et gladio Mercurii, galea Orci, et clypeo Palladis fuisse instructus. Nam talaria celeritatem, gladius Mercurii calliditatem, galea Orci consilium tectum, et clypeus Palladis raram felicitatem significat. Per caput vero Medusae, cuius adspectu omnes convertebantur in saxa, significantur immensae Gorgonum opes, quibus Perseus potitus, omnes, quos bello adortus est, subegit. Nam in insulis occidentalibus, ubi Gorgonum gens habitabat, olim fuerunt maximae opes totius orbis terrarum, teste Platone. Nonnulli referunt fabulam saxifici capitis ad admirandam Medusae pulchritudinem, cuius adspectu omnes in stuporem sint versi. Pegasus equus alatus ex sanguine Medusae natus, a quo fons Musarum in Helicone fingitur apertus, fuit insigne ipsius Persei, quo illustris et pervagata fama significatur, quam consecutus est occisa[9]) Gorgonum regina.

Atlas in montem.

Vss. 645 sq. *Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas*
Montibus[10]).

Atlantis pomarium, in quo arboreae frondes auro radiante nitentes, significat copiam auri, quo Mauritania abundat circa Atlantem montem, unde effoditur. Ad spoliandum hoc pomarium, hoc est, rapiendum aurum, Perseus illuc navigavit: sicut Carolus Imperator hoc tempore Indiam spoliavit per Hispanos, magna copia auri ex Chryseis insulis ablata. Atlantem vero, Mauritaniae regem, tradunt poetae in montem illum altissimum esse conversum, propterea quod fuit a Perseo istuc depulsus. Ferunt eundem fuisse mathematum peritissimum et inventorem sphaerae. Quare etiam fingitur coelum humeris sustinere, cum propter inventionem sphaerae, tum propter altitudinem montis, quem incolae vocant columnam coeli.

Andromede ceto exposita.

Credibile est Andromeden ex ingenti aliqua calamitate ereptam et marinam belluam a Perseo interfectam esse; nam et Pomponius Mela[11]) in descriptione Syriae meminit huius belluae.

De Coralio.

Vs. 749. *Nunc quoque Coralii*[11a]) *eadem natura remansit.*

Coralium, teste Plinio, nascitur magna copia in Orcadibus insulis. Hae autem olim inhabitabantur a Gorgonum gente: ideoque ex virgultis Medusae capiti suppositis coralium esse natum poetae fabulantur. Et dicitur coralium a κόρη ἁλὸς, id est, pupilla maris.

Gorgones.

Vs. 778. *Gorgoneas tetigisse domos passimque per agros.*

Ad mores ita accommodari potest allegoria, si per Gorgonas intelligantur voluptates et illecebrae, quibus stulti quasi in saxa convertuntur. Illos vero facile interimunt, qui aegide Palladis et gladio Mercurii sunt instructi, hoc est, prudentes. Sic Erasmus Roterodamus, ni fallor, allegoriam hanc alicubi accommodat.

Medusae capilli in serpentes.

Vs. 797. *Hanc pelagi rector templo vitiasse Minervae.*

Crines mutati in serpentes, significant infamiam, qua illustres feminae deformantur amissa pudicitia.

9) occisa] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. ociosa.

10) *Montibus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Moenibus*.

11) Pompon. Melae descript. orb. I, 11, 3.

11a) *Coralii*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *curaliis*.

In librum V. Metamorphoseon.

Cepheni Perseum oppugnantes.

Vs. 5. *Inque repentinos convivia versa tumultus.*

Tumultus et pugna Cephenorum docet, convivia et perpotationes saepe in bellorum tragoedias verti, motisque armis in partes abstrahi, expertes frustra belli et neutra arma secutos, sicut exemplum Idae in hac pugna testatur; item docet, quantus sit furor tumultuantium, quam indignae caedes fiant, ubi

(Vs. 41.) *indomitas ardescit vulgus in iras.*

Quippe omni discrimine sacri et profani remoto, trucidantur innocentissimi quique, etiam qui armis abstinent, sacerdotes, musici, senes.

(Vss. 110—116.) *Alphitus* [12]*, albenti velatus tempora vitta.*

Tu quoque, Iapetide, non hos adhibendus ad usus,
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres,
Iussus eras celebrare dapes festumque canendo.
Quem procul adstantem plectrumque imbelle tenentem [13])
Pettalus irridens [14])*, Stygiis cane caetera, dixit,*
Manibus, et laevo mucronem tempore fixit.

In periculis autem Heroes proteguntur divinitus: quod ut poeta significaret, finxit Persea confligentem contra tantam hostium multitudinem, protegi divino clypeo.

Vss. 46 sq. *Bellica Pallas adest, et protegit aegide fratrem*
Datque animos.

Ad haec, qualis plerumque sit exitus belli iniuste suscepti, eiusque autores ad quam necessitatem adigantur, declarat ipse Phineus, belli temerarius autor, cum inquit:

(Vss. 221 sq.) *Non cessisse, piget; nihil, o fortissime, praeter*
Hanc animam concede mihi: tua caetera sunto.

12) *Alphitus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Ampycus.*

13) *Quem — adstantem — tenentem*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Cui — adstanti — tenenti.*

14) *irridens*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *I, ridens.*

Pieri novem filiae in picas [15]).

Picae aves sunt garrulae quidem, sed minime [16]) canorae. Per has intelliguntur versificatores vel litteratores inepti et arrogantes, qui sese iactant ostentatione ingenii, atque odiose obstrepunt doctioribus: quemadmodum Pieri et Euippes filiae hic faciunt. Tales olim fuerunt Zoilus, Cercops, Amphimancs, Thymocreon, et Bavius, qui Homero, Hesiodo, Pindaro, Simonidi et Virgilio obstrepuerunt. Talis etiam fuit Doletus nostro tempore, qui ineptis et spurcis versibus exagitavit Erasmum Roterodamum, virum de litteris optime meritum. Plutarchus in libro de musica refert Pierum condidisse poemata de Musis. Haec poemata, opinor, per illius filias intelligit, quas aiunt fuisse adeo arrogantes, ut non dubitarint provocare Musas. Credibile est enim illa ipsa poemata fuisse non ignobilia quidem, sed parum religiosa; id quod non obscure indicare videtur poeta, cum inquit:

(Vss. 319 sq.) *Bella canit Superum, falsoque in honore Gigantes*
Ponit, et extenuat magnorum facta Deorum.

Verum hac [17]) fabula admonentur adolescentes, qui dant operam litteris, ac praesertim poeticae, ut omnem ingenii vim, omnem scribendi facultatem conferant ad religionem, pietatem, honestatem, virtutem; non ad scurrilitatem, obtrectationem, blasphemias. Nam spiritus poeticus, quoniam divinus vocatur et a Deo est, circa res Deo gratas versari debet: alioqui non sacer, sed profanus est motus, nec aethereis (ut Ovidius [Vs. 348.] inquit), sed inferni sedibus ille venit. Et eam ob causam Musae finguntur Deae Iovisque filiae, et celebrare laudes divinas, quod harum studia, divinitus inventa, debent coli potissimum causa religionis, ut coelestis doctrina conservetur atque propagetur.

Musae alis sumptis Pyrenei vim effugiunt.

Vs. 254. *Virgineumque Helicona petit* etc.

Musae παρὰ τὸ μῶσθαι, ab inquirendo dictae sunt; artes enim litterarum inquirunt, bona,

15) Ovid. Met. V, 294 sqq.

16) minime] sic Ed. 1555. b.; Editt. 1555. a., 1559. male: minimae.

17) hac] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. haec.

utilia, et quae ab indoctis ignorantur. Eae perhibentur et virgines, eo quod studiosi litterarum debent esse modesti, et ab omni obscoenitate alieni. Ut autem virgines obnoxiae sunt iniuriae, ita et artes litterarum, praesertim belli temporibus. Musae itaque expetunt inprimis pacem.

Vs. 272. *Et gratam sortem, tutae modo simus, habemus.*

Porro fabula docet, litterarum studia esse Deo curae; nam alaé, quibus Musae effugiunt, divinum significant praesidium, quo litterarum studia mirabiliter conservantur. Sic nostro tempore, bellis in Saxonia exortis, Musae alas adeptae, Viteberga et Lipsia avolabant; nec tamen interierunt, sed beneficio Dei conservatae sunt, suasque sedes recuperarunt.

Pyrenei scelus [18]).

Devastata Phocensium regione Pyreneus, rex Thraciae, vim Musis attulit, hoc est, domicilia litterarum evertit; dumque illas fugientes e sublimi loco persequeretur, decidit praeceps, et discusso capite interiit. Detestatur fabula tyrannos honestis artibus infensos, iisque minatur similem exitum.

Dii in Aegypto conversi in varias animalium figuras.

Vss. 327 sq. *Duxque gregis, dixit, sit Iupiter, unde recurvis*
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Hammon.

Homines graves, quo maiore ingenio, eruditione et eloquentia praediti sunt, eo magis pie sentiunt et loquuntur de Deo: nimirum a quo omnis sapientia et ingenii vis proficiscitur. At contra homines leves et garruli plerumque sunt alieni a religione: delectantur contumeliis in Deum, quales hic facit loquacula Pieri filia, dum incesto ore canit, Gigantes terruisse Superos, et coëgisse ad tantam necessitatem, ut prae formidine induerint, alius arietem, alius vaccam, alius Ibin. Haec vero contumeliosa in Deos conficta sunt ex superstitione Aegyptiorum, apud quos animalia, propter eam, quam hominibus afferunt, utilitatem, divinis honoribus colebantur. Graeci enim, quibus haec ipsa superstitio in cultu animalium ridicula videbatur, fabulati sunt, Deos, cum adhuc numero pauci essent, impietate et crudelitate hominum territos, confugisse in Aegyptum, ibique similes se quibusdam animalibus finxisse, quo tutiores essent ab iniuria. Estque credibile ipsum Pierum apud Graecos fuisse autorem huius fabulae.

Verum ipse Hammon est Ham, Noae filius, a quo traxit originem idololatria. Hunc ferunt usum esse ornamento capitis referente cornua arietis; atque inde ipsius idolum fuisse ita effictum: id quod etiam a veritate non abhorret, siquidem Ammonius historicus narrat regem Persarum, qui cum Imperatore Constantino bellum gessit, gestasse diadema instar capitis arietini, contextum gemmis. Omnes has fabulas Diodorus [19]) refert ad insignia regum ac principum, qui apud Aegyptios promeruerunt honores divinos.

Musarum cantilena.

Vss. 339 sq. *Calliope querulas pertentat* [20]) *pollice chordas,*
Atque ita [20]) *percussis subiungit carmina nervis.*

Calliope nomen habet a canora voce, ἀπὸ τοῦ κάλλους τῆς ὀπός. Huic datur a Musis summa certaminis, ut quae canendi suavitate praestet caeteris; estque suavissima eius cantilena, ac longe dissimilis superiori. Nam ratione decori superior est horridior et insuavior. Celebrantur autem hac cantilena laudes divinae, quas Pieri filia imminuit; in quibus ornandis duo potissimum praedicantur: alterum, quod divino beneficio civilis hominum vita exculta sit victu et legibus:

Vss. 341—343. *Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,*
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris
Prima dedit leges.

alterum, quod hostes nominis divini aeterno supplicio constringantur:

Vss. 346—348. *Vasta Giganteis ingesta est insula membris*
Trinacris, et magnis subiectum molibus urget
Aethereas ausum sperare Typhoëa sedes.

18) Ovid. Met. V, 274 — 293.

19) Diodor. Sic. Biblioth. I. c. 13.

20) *pertentat — ita*] sic Edit. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *praetentat — haec.*

Typhoeus sub Aetna iacens.

Per Typhoëa intelliguntur halitus ardentes, qui sunt causa incendii in Aetna et aliis Siciliae montibus; dictus est enim Typhoeus a *τύφομαι* [21]), quod est fumo. Ac quoniam illi halitus, si quando nimium densantur, ac sine exitu volvuntur, sua vi spiritum intendunt; spiritu autem luctante et quaerente exitum, terra concutitur: hinc et Sicilia crebris obnoxia est terrae motibus; et [22]) poetae fingunt Gigantem Typhoëa reluctantem et conantem dimovere montes, esse causam terrae motus.

Plutonis regnum terraneum.

Vs. 368. *Cui triplicis cessit fortuna novissima mundi* [23]).

Cum filii Saturni paterna bona divisissent tripartito, Plutoni sorte obtigerunt fodinae metallicae, quod poetae respicientes fingunt ipsius regnum esse subterraneum.

Raptus Proserpinae.

Proserpina foecunditatem seminum significat. Haec cum aliquando defuisset, ac terra sterilitate quasi moereret, poetae fabulati sunt filiam Cereris, id est, foecunditatem, quae a proserpendo Proserpina esset dicta, raptam [24]) apud inferos detineri: id quod indicat Ovidius, cum loquitur de Cerere filiam quaerente, et inquit:

(Vss. 474—486) *Nescit* [25]) *adhuc, ubi sit: terras tamen increpat omnes,*
Ingratasque vocat, nec frugum munere dignas.
Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni
Reperit: ergo illic saeva vertentia glebas
Fregit aratra manu, parilique irata colonos
Ruricolasque boves leto dedit, arvaque iussit
Fallere depositum, vitiataque semina fecit.
Fertilitas terrae latum vulgata per orbem
Sparsa [26]) *iacet; primis segetes moriuntur in herbis,*
Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber.
Sideraque ventique nocent, avidaeque volucres
Semina iacta legunt; lolium tribulique fatigant
Triticeas messes, et inexpugnabile gramen.

Fingitur autem Proserpina apud Siculos nata propter insulae fertilitatem. Est enim Sicilia frumento adeo foecunda, teste Plinio, ut multis in locis semen in centuplum reddat. Traditur item, postquam rapta est, sex menses apud Plutonem ac totidem apud Superos manere, eo quod semen terrae cultae iniectum hyemis tempore sub terra est, aestatis vero tempore rursus proserpit et excrescit. In hanc ferme sententiam Velleius apud Ciceronem de natura Deorum [27]) fabulam exponit, ubi sic inquit: Proserpinam, quae Persephone Graece nominatur, semen frugum esse volunt, matrem autem esse terram, quae a gerendis frugibus Ceres quasi Geres nominatur. Rapta item fingitur Proserpina ex Ennensium nemore, et propter singularem amoenitatem fertilitatemque loci, et propter speluncam infinita altitudine, quae non procul abest, unde Pluto dicitur repente extitisse ac rursus penetrasse sub terras non longe a Syracusis, ubi stagnum Palicorum aliique lacus assidue ferventes, magno impetu emergunt et mox absorbentur vasto hiatu.

Cyane Anapo nupta [28]).

Fontes finguntur iuncti matrimonio, qui aut confluunt aut sunt contigui. Cyanen hodie Siculi appellant Cirini Pismam, cuius fontis aquae commiscentur in agro Syracusano cum Anapo vix duobus miliaribus ab ipsius ostio.

Puer in stellionem [29]).

Invidus et maledicus puer fingitur a Cerere mutatus in stellionem propter naturam animalis, quo nullum invidet homini fraudulentius; nam cum exuit membranam hybernam, devorat eam, invidens nobis optimum remedium contra morbum comitialem, ut Plinius tradit. Est autem stellio minor parvo lacerto, hoc est, brachio; non minor lacerta; est enim tribus fere lacertis, quas Italia alit, maior. Legendum igitur:

(Vs. 458.) *Contrahitur, parvoque* [30]) *minor mensura lacerto* [30]) *est.*

---

21) *τύφομαι*] sic scripsi (conf. supra p. 485.); Editt. 1555., 1559. *τύφωμαι.*

22) et] sic Editt. 1555.; in Ed. 1559. deest.

23) *mundi*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *regni.*

24) raptam] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. raptim.

25) *Nescit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Nec scit.*

26) *Sparsa*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Cassa.*

27) Cic. de nat. Deor. II, 26, 66.

28) Ovid. Met. V, 412 sqq.

29) Ovid. Met. V, 451 sqq.

30) *parvoque — lacerto*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *parvaque — lacerta.*

Ascalaphus in bubonem [31]).

Ascalaphi sicut et corvi exemplo monemur, ne quid temere indicemus, quo subeamus aut odium aut poenam. Nec sine causa Ascalaphus importunissimus index, fingitur mutatus in bubonem; est enim bubo index maxime abominatus, qui cum domibus insidet, feralis existit. Tales Ascalaphi sunt delatores, qui in aulis principum existunt indices multis exitiales.

Sirenes in monstra.

Vss. 552 sq. *vobis, Acheloïdes, unde*
Pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?

Sirenes fuerunt reginae insularum, quae Paestano et Salernitano sinui adiacent, tenueruntque loca Campaniae, in quibus Neapolis, Surrentum cum promontorio Minervae: unde et ea loca, Sirenum scopuli nominantur. His regnantibus excitata sunt litterarum studia in promontorio Minervae, extructo illic Athenaeo, hoc est, gymnasio, a quo promontorium illud, Minervae dicitur. Erat enim Athenaeum locus Minervae dicatus, ubi publice docebantur artes liberales, quibus praeesse illa putabatur. Id vero gymnasium fuit adeo celebre, ut eloquentiae et litterarum studia, quae ibi floruerunt, dederint locum fabulae de suavitate vocis et cantu Sirenum, quod etiam Homerus declarat, cum illa ipsa Sirenibus attribuit, quae sunt Musarum, videlicet et peritiam canendi, hoc est, eloquentiam, et historiarum, rerumque naturalium cognitionem. Sic enim de se gloriantur apud Homerum Sirenes, duodecimo Odysseae [32]), profitentes scientiam omnium, quae in terra fiunt, geruntur et gignuntur:

Οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηῒ μελαίνῃ,
πρίν γ' ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι·
ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται, καὶ πλείονα εἰδώς.
ἴδμεν γάρ τοι πάνθ', ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν·
ἴδμεν δ', ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Ac finguntur Sirenes filiae Calliopes et Acheloi, propter professores litterarum accersitos ex Aetolia et Acarnania, quam Achelous, celeberrimus Graeciae fluvius, separat: perinde ut si quis fingat Musas Regiomontanas esse filias Calliopes et Albis, propter lectores huc vocatos ex Academia Vitebergensi ad Albim sita. At postquam bonae artes illic excitatae sunt, et summa cum admiratione hominum effloruerunt, posteritas (ut fit) illis abusa est ad iniuriam, contumeliam, et perniciem reipublicae. Ad haec adolescentes, causa studiorum eo missi, fecerunt iacturam patrimonii, scortis addicti: unde apud exteros Athenaeum illud coepit male audire, emanavitque fabula de Sirenibus in monstra mutatis, a quibus accedentes, in naufragia [33]), hoc est, egestatem vel perniciem attraherentur. Hanc ob causam ipsae Sirenes nunc accipiuntur pro illecebris voluptatum, quae antea pro Musis habebantur: earumque musica accipitur pro eloquentia non ad permulcendos, sed perdendos homines comparata: qualem Aeschinis eloquentiam Demosthenes esse dixit.

Porro sicut Ulyssis socii Sirenas praetervecti sunt obstructis auribus, ne blandis et dolosis cantibus illicerentur in naufragium: ita nos decet aversari et fugere voluptates, nec praebere illis aures, qui dulcedine orationis corruptelaque depravant doctrinam religionis.

De Alpheo et Arethusa [34]).

Opinio est Alpheum fluvium, qui in Peloponnesiaco littore absorbetur, sub mari penetrare in Siciliam, et ante os Arethusae fontis emergere iuxta Syracusas: cuius rei sive coniecturam, sive veritatem, poetae ut celebrarent, fabulati sunt Alpheum amore ipsius Arethusae tam longo tractu sub mari cursum agere. Est enim Arethusa fons totius Siciliae celeberrimus et amplissimus, ad cuius os ipse Alpheus quasi voluptate gestiens et exultans e fluctibus maris emergit tanto impetu, vix ut cymbis adiri possit. Qui vero opinantur illum ex Helide eo usque penetrare, hac coniectura ducti sunt, nempe quod stato tempore, cum Olympia celebrabantur, et victimarum sordes in amnem proiiciebantur, Alpheus in littore Siculo solebat fieri turbidus, et Arethusae fons redolere fimum; sed Strabo negat haec esse vera, quamvis Timaeo philosopho, et

31) Ovid. Met. V, 539 — 550.
32) Hom. Od. XII, 167 — 191.

33) naufragia] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: naufragio.
34) Ovid. Met. V, 572 sqq.

Senecae in naturalibus quaestionibus, omnino vera esse videantur.

Triptolemus.

Vss. 655 sq. *Dona fero Cereris, latos quae sparsa per agros*
Frugiferas messes alimentaque mitia reddant.

Triptolemus fertur primus apud Eleusina instituisse sationem frumenti, id, quia fuit e Sicilia allatum, ideo a Cerere illi missum fingitur. Ex Eleusine deinde ad finitimas gentes satio frumenti propagata est. Scythica autem regio sterilis est, et frugibus minime idonea: ea de causa erga Triptolemum, agriculturae inventorem, extitisse perhibetur omnium ingratissima.

Erasmus Roterodamus vocat Triptolemos doctrinae, theologos, qui spargunt nova dogmata. Sed hi omnino sunt digni, quibus ea referatur gratia, quam Scythicus ille Lynceus erat relaturus Triptolemo, Celei et Menalittae filio.

In librum VI. Metamorphoseon.

Certamen Palladis et Arachnes.

Artificium texendi in primis admirabile et ingeniosum est: ideo non sine causa sapientissimae Deae Palladi adscribitur. Et haud dubie inventum est, occasione a textis aranearum sumpta. Nam omnia, quae ab artificibus texendi fiunt, ab ipsis quoque araneis fieri videmus: subtegmina annectunt; stamina tereti et aequabili filo deducunt; certisque intervallis indissolubili nodo implicant. Hinc poetae finxerunt, inter Palladem et Arachnen, hoc est, inter humanam industriam, et araneam ipsam, fuisse certamen de laude illius artificii, et Arachnen quamquam texendi arte praestantem, tamen a Pallade superatam esse. Maior est enim industria hominis, quam araneae, in texendo: id quod varia hominum opera in hoc genere declarant.

Fabula continet duos locos communes, quorum alter docet, non contemnenda esse senum[35]) consilia.

(Vss. 26—29.): *Pallas anum simulat; falsosque in tempora canos*
Addit, et infirmos baculo quoque sustinet artus.
Tunc sic orsa loqui: Non omnia grandior aetas,
Quae fugiamus, habet; seris venit usus ab annis.

Estque sumptus hic locus ex Euripide, apud quem in Phoenissis[36]) Iocasta anus Eteoclem adolescentem alloquitur his verbis:

Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ,
Ἐτεόκλεες, πρόςεστιν, ἀλλ' ἡ 'μπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.

Alter vero locus docet, ne excellentes artifices ingenii dotibus sese efferant insolentius, neve contendant adversus Deum (Vss. 30—33.):

Consilium ne sperne meum; tibi fama petatur
Inter mortales faciendae maxima lanae.
Cede Deae, veniamque tuis, temeraria, dictis
Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti.

Nam ut inquit Homerus[37]):

Ἀργαλέος γάρ τ' ἐστὶ θεὸς βροτῷ ἀνδρὶ δαμῆναι.

Non invenuste transferri etiam potest allegoria fabulae ad Sophistarum argutias; nimirum ideo invisam esse Palladi araneam, quod Sophistarum argutiae sapientibus odiosae sint. Nam Antoninus[37a]) Pius dicere solebat, sophisticas argutias similes esse aranearum telis, ut quae haberent plurimum artificii, sed minimum utilitatis.

Certamen inter Neptunum et Minervam de appellatione Athenarum.

Vs. 70. *Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce.*

Ex Strabone[38]) constat, urbem Atheniensium nuncupatam fuisse initio Posidonium, a Posidone sive Neptuno; postea Athenas, ab Athena sive Minerva. Ex hac nominis mutatione nata est haec fabula, de certamine, quod inter illos extitit, propter appellationem urbis. Continet autem fabula commendationem pacis et publicae tranquillitatis, quae per oleam Minervae intelligitur: sicut et rerum perturbatio

35) senum] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. mendo typogr.: senem.

36) Eurip. Phoen. 531 — 533. Ed. Barnes.

37) Hom. Od. IV, 397.

37a) Antoninus] sic scripsi; Editt. 1555., 1559. Antonius.

38) Strab. geogr. IX. pag. 397. Ed. Casaub. a. 1620.

per Neptuni aquas; nihil est enim oleo tranquillius, contra nihil mari asperius ac turbulentius. Extat allegoria eius fabulae in quadam praefatione clarissimi viri Domini Philippi Melanthonis [39]), quae his verbis explicatur. Athenienses ingeniosi homines finxerunt Neptunum et Palladem inter se certasse, ab utro numine civitas appellaretur; cumque Deorum iudicio Pallas omnibus calculis vicisset, urbem ab ea nominatam esse. Qua fabula significarunt, civitatem non imperii laude, quod classibus paraverat, et opum magnitudine praestantiorem esse, quam civilibus artibus. Illud autem in primis sapienter excogitatum est, quod eius iudicii Deos autores fecerunt, ut, cum plerique homines summam esse imperii gloriam existiment, admonerent Deorum iudicio longe maius esse decus civitatum, leges, iudicia, honestam disciplinam et similes pacis artes.

Haemus et Rhodope in montes.

Vss. 88 sq. *Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam*
Nomina summorum sibi qui tribuere Deorum.

Quo brevius ab autore explicantur hae fabulae, eo sunt obscuriores, ex libello tamen de piscibus, qui vulgo adscribitur Plutarcho, constat Haemum sibi assumpsisse nomen Iovis, ac suam sororem Rhodopen a se turpiter amatam nominasse Iunonem. Quod si poeta non loqueretur de duobus simul in montes conversis, arbitrarer [40]) hic intelligi Rhodopen illam meretricem, quam Charaxus, frater Sapphus, amavit; ea enim, teste Herodoto [41]), fuit Threicia; nec absurde fingeretur in rupem seu montem transformata propter pyramidem, quae ei post obitum, ut testatur Strabo [41 a]), ab amatoribus erecta est in Aegypto.

Pygmaea mater in gruem.

Videtur haec, quaecunque fuit, pusilla et fastuosa fuisse; tales enim plerumque sunt superbiores caeteris, praesertim feminae; ac propter brevitatem corporis fuisse dicta Pygmaeorum mater. Sunt enim Pygmaei, quos Graeci a cubito sic vocant, adeo breves, ut ternos dodrantes non excedant. Nec fabulosum videri debet, homines nasci tam pusillos. Vidit Italia nuper virum iusta aetate, non maiorem cubito, circumferri in cavea Psytaci: cuius viri meminit in suis scriptis Hieronymus Cardanus. Figmentum vero de transformatione Pygmaeae matris in gruem, arbitror referendum ad insigne illius, cui fuit in matrimonium collocata. Infestantur et Pygmaei a gruibus, de quibus Iuvenalis [42]) haec scribit:

> Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
> Pygmaeus parvis currit bellator in armis:
> Mox impar hosti captusque [43]) per aera curvis
> Unguibus a saeva fertur grue.

Huc igitur alludit Ovidius, quum inquit (Vss. 91 sq.):

> *hanc Iuno victam certamine iussit*
> *Esse gruem; populisque suis indicere bellum.*

Antigone in ciconiam [44]).

Simili ratione videtur Antigone fingi mutata in ciconiam, qua Pygmaea in gruem: nempe propter insigne sui coniugis. Estque conveniens metamorphosis superbae et arrogantis feminae in ciconiam. Haec enim avis, cum ab omni musica sit aliena, tamen ita superbit, ita placet sibi illo crepitu, quem rostro edit, ut applaudat [45]) alis. Versiculus hic quadrat in hominem de se arrogantius sentientem (Vs. 97.):

> *Ipsa sibi plaudit [46]) crepitante ciconia rostro.*

Iovis, Neptuni, Apollinis et Bacchi variae metamorphoses.

Vss. 103 sq. *Maeonis illusam designat imagine tauri*
Europam [47]).

Supra expositae sunt aliquot in his fabulae, ut de Europa a tauro decepta et de aureo imbre, quo Iupiter Danaën elusit. Caeterae, quas Arach-

---

39) Extat — Melanthonis etc.] aut totus hic locus a Sabino adiectus est, aut certe Melanthonis verba, qui fortasse scripserit: „in quadam praefatione mea," sic ab editore mutata sunt.

40) arbitrarer] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. arbitrare.

41) Herodot. II, 126.

41 a) Strab. geogr. XVII. pag. 808. Ed. Casaub. a. 1620.

42) Iuvenal. Sat. XIII, 167 — 170.

43) captusque] sic Editt. 1555., 1559.; Iuven. Ed. Rupert.: raptusque.

44) Ovid. Met. VI, 93 sqq.

45) applaudat] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: applaudit.

46) *plaudit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *plaudat.*

47) *Europam*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Europen.*

ne[48]) intexit, videntur partim referendae[48]) ad historiam, ut de Iove in Amphitryonem et Satyrum. Non est enim inusitatum, scortatores et adulteros mutato habitu ingredi absentium maritorum aedes; nec raro accidit, ut magni domini sumant personam Satyri, hoc est, rustici alicuius, ne agnoscantur in adulterio deprehensi; partim videntur referendae ad insignia principum, a quibus stupra puellis illata sunt; nam aquilae, olores, equi, leones, iuvenci, arietes et similia animalia, sunt gentilicia principum et nobilium insignia, sicut omnibus notum est, partim etiam ad physiologiam pertinent, ut fabula de Iove (Vs. 113 sq.):

Ut Asopida luserit ignis[49]),
Mnemosynen pastor, varius Deioïda[49]) *serpens.*

Nam videtur his subesse aliqua ratio physica, ac Iupiter in ignem, pastorem, et serpentem, forte significat vim illam superiorum elementorum in haec inferiora agentem, qua omnia procreantur. Sed haec obscuriora transeamus, in quibus explicandis non oportet nos nimium esse superstitiosos, quia, ut inquit Martialis[49a]):

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Mnemosyne mater Musarum[50]).

Μνημοσύνη fingitur mater Musarum, quia memoria peperit artes. Ad hanc fabulam pertinent veteres illi versiculi[51]):

Sophiam vocant me Graii, vos sapientiam,
Usus me genuit, mater peperit memoria.

Niobe in saxum[52]).

Memorabile exemplum fastus et superbiae. Niobe, filia Tantali, uxor Amphionis, cum filios habeat sex, totidem filias, iis fortunae bonis insolens, arrogat sibi honores divinos, contemnitque Latonam, quae non nisi duorum mater sit, Apollinis ac Dianae. Ob hanc vero insolentiam maximis et acerbissimis malis punitur. Nam Deus, qui resistit elatis, totam ipsius familiam evertit: liberi subita morte intereunt, cuniunx mortem sibi consciscit, ipsa prae dolore in saxum convertitur. Hoc illustri exemplo admonemur, ut in omni fortuna meminerimus nos esse homines, neque ita divitiis, honoribus ac potentia inflemur, ut securi premamus alios. Sumus enim re vera nihil aliud, ut inquit Sophocles, nisi simulacra et umbrae quaedam, quibus consideratis nemo fastuosum verbum emittat, ausitque sic dicere: Maior sum, quam cui possit fortuna nocere.

In narratione huius fabulae observandi sunt tres loci, quorum primus docet iram Dei placandam esse precibus, non augendam maledictis. Secundus, impios fieri obstinatiores, cum affliguntur. Tertius, non exaudiri illorum preces, qui et obstinatione quadam Deo adversantur.

Sagittae Apollinis et Dianae, quibus liberi Niobes interficiuntur, celerem mortem significant. Omnes enim morbo pestilentiali interierunt, ut Ioannes Tzetza[52a]) scribit:

Αὐθημερόν τε θνήσκουσι πάντα λοιμῷ τὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἔφαν δὲ τούτους κτεῖναι.
Ἡλίῳ γὰρ ἀνάκεινται ταῦτα καὶ τῇ σελήνῃ.
Ἐκ τοῦ θερμοῦ γὰρ καὶ ὑγροῦ γίνεται τὰ λοιμώδη.

Per saxum, in quod Niobe mutata, intelligitur vel immodicus dolor, quo ipsa diriguit; vel lapidea statua, quam orba liberis sibi erexit. Nam Palaephatus[53]) refert statuam marmoream ab illa erectam fuisse ad monumentum defunctorum liberorum. Pausanias[54]) vero et Scholiastes Homeri tradunt conspici in Sipylo Phrygiae saxum prae se ferens lugentis formam, et emanare inde fontem aquarum instar humanarum lacrymarum, idque saxum dedisse occasionem fabulae: quod etiam non est absonum fidei. Constat enim similem esse fontem in Samnitibus, humanas lacrymas repraesentantem, quem celebravit poeta Petrus Gravina[55]) elegantissimis his versibus:

48) Arachne — referendae] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. Arachnae — reverendae.

49) *ignis* — *Deioïda*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *igneus* — *Deoïda*.

49a) Martial. Epigramm. II, 86, 9. 10.

50) Ovid. Met. VI, 114.

51) Afran. apud Gellium XIII, 8.

52) Ovid. Met. VI, 148 sqq.

52a) Tzetzae Historiarum variarum chil. IV. hist. 141. vss. 445—448. Ed. Kiessling.

53) Palaeph. de incredibil. c. 9, 3. Ed. Fischer.

54) Pausan. I, 21.

55) Petrus Gravina canonicus Neapolitanus e Sicilia oriundus, Romae 1528. aet. 74. mortuus.

Ubertim lacrymas stillat de rupe cadentes
 Fonticulus vitreis conspiciendus aquis,
Quem bibit in petris Samnitibus incola vallis
 Tapinae, et sedat blandula lympha sitim.
Tres olim hic, fama est, viduae flevere puellae
 Haec patrem, haec natum, tristior illa virum,
Qui cum Romanis ducibus tunc fortibus armis
 Congressi pulchra morte obiere diem.
O fons nate piis lacrymis et fletibus aucte,
 Testis et antiquae fons pietatis amor.

Lycii in ranas.

Depinguntur hic ingenia et mores rusticorum, qui in multis regionibus, ut in Anglia et Vasconia, adeo improbi sunt et malitiosi, ut nemini ullum humanitatis officium praestent, ne ipsi quidem Deo, si advenerit. Ea est autem natura rusticorum, ut quo magis rogentur, eo insolentius et contumacius se gerant. Servat igitur decorum poeta in eo, quod fingit Lycios nulla obtestatione flecti, eosque converti in ranas. Ut enim ranae in paludibus et limo: ita rustici in tabernis, humore, saltu, altercatione et vociferatione gaudent, ac sibi videntur perire siti, nisi in ipsis quasi doliis habitent.

Marsyas excoriatus [57]).

Marsyas fuit poeta lyricus, quem Ovidius propterea, ut arbitror, appellat Satyrum, quod vel inconditos vel obscoenos versus scripserit. Hunc poetae fabulantur cum Apolline tibiarum cantu certasse. Fuit enim insignis quoque musicus, atque omnium primus tibiam modulate inflavit. Cum vero ars tibiarum ab illo excitata, haberi apud Graecos, praesertim Thebanos, in tanto honore ac pretio coepisset, ut a multitudine omnibus fere liberalibus artibus anteferretur, essetque prope honorificentius nomen tibicinis, quam aut poetae aut oratoris, Athenienses, apud quos eloquentiae et sapientiae studia erant in admiratione, ad evellendam hanc opinionem, finxerunt fabulam de Minerva tibiam abiiciente, et de Apolline excoriante Marsyam, ut significarent artem canendi tibia, esse illiberalem, nempe quae homini deformitatem afferat, osque et buccas inflet. Qua fabula motus Alcibiades, ut refert Plutarchus [58]), tibiae cantum aversatus est, tanquam ingenuo homine indignum, dixitque: Canant Thebanorum liberi; loqui enim nesciunt; nobis autem Atheniensibus sinant absque invidia adesse et Minervam, quae tibiam abiecit, et Apollinem, qui tibicinem excoriavit. Quos Alcibiadis sermones partim ioco [59]), partim serio habitos, ubi fama inter adolescentes dissipavit, cunctis sententiam eius probantibus, tantopere contempti sunt tibicines, ut communi consensu ex omni ingenuorum coetu amoverentur tibiae. Meminit huius quoque fabulae Aristoteles 7. Politicorum, ubi ait arte tibiarum impediri usum rationis: itaque priscos in adolescentibus et liberis hominibus improbasse eius usum, et finxisse Minervam, cum tibiam invenisset, eam abiecisse; et quamquam oris deformitate offensam id fecisse illam non sit alienum dicere: tamen probabilius esse ob eam causam, quod ad cognitionem animi ars tibiarum nihil pertineat, cum praesertim Minervae scientiam artemque attribuamus. Significatur etiam inerudita poetica per fistulam a Pallade abiectam, qua Satyrus sese ostentat; hanc enim a sapientibus spretam Satyri, hoc est, versificatores leves et petulantes amplectuntur. Porro Q. Curtius [60]) scribit: Marsyam, Phrygiae amnem, ex summo montis cacumine in subiectam petram cadere magno strepitu aquarum, et inde diffusum placido labi cursu, eamque esse causam, cur poetae fingant Marsyam fuisse tibicinem et excoriatum delicuisse in aquas. Nam ille strepitus est quasi concentus, et subita aquae mutatio efficit, ut amnis fracto impetu tanquam detracta cute induat alium colorem, fiatque nitidissimus.

Pelopis humerus in eburneum.

Vs. 405. *ebur ostendisse sinistro.*

Pelopem, Tantali filium, arbitror insigni atque atroci aliqua iniuria afflictum et laceratum fuisse a patre, eamque esse causam, cur poetae fingant, illum patriis manibus dissectum et appositum fuisse Diis epulandum. Multis vero ingentibus beneficiis Deum levasse [61]) iniuriam innocenti factam, videlicet magnitudine opum, celebritate nominis ac potentia. Ebur enim di-

56) Ovid. Met. VI, 317—381.
57) Ovid. Met. VI, 400.
58) Plutarch. vita Alcibiadis c. 2.

59) ioco] sic recte Ed. 1555. b.; Editt. 1555. a., 1559. loco.
60) Curt. III, 1, 2. 3. Ed. Zumpt.
61) levasse] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. lavasse.

vitias, et humerus vires seu potentiam significat. Hinc apud Homerum omnia magni pretii finguntur vel eburnea vel aurea. Et fuisse Pelopem opibus affluentem indicat proverbium: Pelopis talenta, quod de immensis opibus dici solet. Ad haec, eundem magni nominis et praepotentem fuisse testatur Peloponnesus ab eo subacta et cognominata, ubi ipse auri fodinas reperit, quibus ita ditatus est.

Tereus, rex Thracum, in upupam [62]).

Terei et Procnes fabula docet cohibendos esse effrenatos animi affectus, quibus homines ad immanitatem compelluntur. Impetus autem Venereus et ulciscendi cupiditas reddunt homines insigniter immanes. Quid enim tam immane, quam uxoris sorori linguam praecidere, illato prius stupro; aut matrem suos liberos discerpere, et apponere epulandos?

Ac tyrannus libidinum sordibus inquinatus, recte fingitur in upupam commutatus; nihil est enim hac ave foedius, nihil inquinatius, quae nusquam libentius commoratur, quam in stercoribus. Ad haec longo et acuto rostro upupa tanquam cuspide armata exercet tyrannidem in aviculas, habetque cristam plicabilem, quae cum erigitur per longitudinem capitis, refert similitudinem diadematis regii. Extat Ioannis Antonii Campani epigramma de upupa non inelegans, quod est eiusmodi:

> Rex fueram: sic crista probat; sed sordida vita
> Immundam e tanto culmine fecit avem.

Procne in hirundinem et Philomela in lusciniam [63]).

Non satis liquet ex fabula, in quasnam aves hae sorores mutatae fuerint. Servius, interpres Virgilianus, scribit Procnen in aëdona, hoc est, in lusciniam, et Philomelam in chelidona sive hirundinem fuisse mutatam, cuius opinioni suffragatur Ovidius in epistola Sapphus [64]), ubi inquit:

> *Sola virum non ulta pie moestissima mater*
> *Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.*

Hic enim loquitur de Procne, deque hirundine, quae non gaudet sylvis, sed tectis. Virgilius tamen quarto Georg. [65]) refert Procnen in hirundinem esse conversam:

> Et manibus Procne pectus signata cruentis.

Estque verisimilius Philomelam in lusciniam fuisse mutatam. Luscinia enim inter canendum crebro edit has voces: Τηρεὺς γλῶτταν, quibus vocibus videtur quasi conqueri de Tereo, quod amputarit linguam. Ad haec nomen quoque ipsum convenit; Philomela enim significat amabilem; neque ullius aviculae musica est amabilior, quam lusciniae. Eius sonus (ut inquit Plinius) perfecta musicae scientia modulatus, nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, revocatur et infuscatur inopinato; interdum et secum murmurat; plenus, gravis, acutus, creber, extentus, ubi visum est vibrans, summus, medius, imus; breviterque in tam parvulis faucibus omnia sunt, quae tot instrumentis ars hominum excogitavit.

Porro hoc loco observandum est, quod Laurentius Valla de voluptate lib. 3. refert: Poetas finxisse has duas aves, sorores fuisse, Pandionis regis filias, quod viderentur cantus praestantia paene germanae; et has duas intellexisse oratoriam et poeticam, quae prope sorores sint; atque ut hanc similitudinem cantus, ita illam discrepantiam autores fabulae secutos esse, quod in altera sit mira libido tecta et urbes incolendi, in altera arbusta et sylvas: significantes hirundinem similem esse urbanae eloquentiae, et illis, qui in domibus, in senatu, in foro, suam facundiam exercent, Philomelam vero similem [66]) eloquentiae nemorali et poetarum, qui sylvas, et solitudines, et loca non ab hominibus, sed a Musis et a Diis celebrata, amant, et materias a forensibus controversiis remotissimas tractant. Itaque quantum Philomela in cantando vocalitate, vi, motu, scientia, varietate, suavitate hirundini praestat, tantum poeticam vocem oratoriae praestare.

Orithyia a Borea rapta.

Vs. 683. *Dilectaque diu caruit Deus Orithyia.*

Socrates apud Platonem in Phaedro [67]) refert Orithyiam, Erechthei filiam, e quadam petra

62) Ovid. Met. VI, 424 sqq.
63) Ovid. Met. VI, 428—674.
64) Ovid. Epist. XV, 153 sq.
65) Virg. Georg. IV, 15.
66) similem] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. simile.
67) Plat. Opp. Ed. H. Steph. T. III. p. 229. b.

ad Ilissum amnem vento deiectam atque ita mortuam essse: hinc et fingi a Borea, Strymonis filio, raptam esse, et poetas hominis raptum transtulisse ad ventum propter similitudinem nominis. Horum opinioni subscribit Ovidius in epistola Paridis ad Helenam [68]), cum inquit:

Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces.

68) Ovid. Epist. XVI, 343.

In librum VII. Metamorphoseon.

Allegoria Harpyiarum.

Triplex est genus hominum, a quibus reges ac principes misere vexantur. Primi generis sunt adulatores [69]) seu assentatores, qui blandiendo et mentiendo illorum animos occupant, et quasi excaecant. Secundi sunt delatores seu calumniatores, quorum tanta est improbitas, ut fidissimos quosque et de republica optime merentes, illis invisos reddant. Tertii vero generis sunt foeneratores, qui oppida, vectigalia et portoria illorum tenent oppignorata. Hoc triplex hominum genus per tres illas Harpyias intelligitur, quas poetae fingunt insidere mensae Phinei oculis capti, et inquinare omnia, ipsasque dapes praeripere misero et calamitoso regi. Tales enim homines inquinant reges ac principes oculis animi captos, eorumque facultates et alimenta ad se rapiunt. Alphonsus, rex Neapolitanus, facta Harpyiarum mentione fertur ioco dixisse, illas non amplius habitare in insulis Strophadibus; sed illinc commigrasse in curiam Romanam, ibique domicilium iam constituisse: quo ioco sapientissimus rex taxavit inexplebilem avaritiam et rapacitatem Romanorum sacerdotum.

Calais et Zetes pennati.

Vs. 3. *iuvenesque Aquilone creati.*

Vestes manicatae, quibus Thessali per luxum usi sunt, proverbiali ioco Thessalorum alae dicebantur. Erant et olim in usu vestes, quas plumarias seu plumatiles vocabant, propter diversitatem colorum, qualis in collo columbarum apparet. Propter eiusmodi igitur vestes, vel manicatas, vel plumarias, arbitror Calain et Zeten fingi alatos seu pennatos, quamquam mihi etiam non displicet expositio Tzetzae [69a]) Graeci, qui putat illos ideo fingi alatos, quod insigniter comati fuerint, adeo ut humeri capillis quasi alis tegerentur:

Βορέας Θρᾷξ ἐξ Ἀθηνῶν Ὠρείθυιαν ἁρπάξας,
Ζήτην γεννᾷ καὶ Κάλαϊν, εἰςάγαν ἁβροκόμας,
Καὶ τὸν Ἀβεσαλὼμ αὐτὸν εἰς τρίχωσιν νικῶντας,
Οὔςπερ καὶ πέτεσθαι θριξὶν ἔφασαν μυθογράφοι,
Ὡς ἐπηρμένους ταῖς θριξὶν αὐτῶν καὶ γαυρουμένους.

Expeditio in Colchos.

Vs. 6. *Contigerant rapidas limosi Phasidis undas.*

Argonautarum expeditio in Colchos admonet generosos animos, ut ad gloriam excitentur, eamque magnis et illustribus rebus gerendis quaerant. Hinc Valerius Flaccus eleganter in suis Argonauticis (I, 78.) fingit ipsam gloriam:

Phasidis in ripa stantem iuvenesque vocantem.

Ferunt Carolum, ducem Burgundiae, mirifice delectatum fuisse Iasonis fabula, eiusque exemplo incensum, flagrasse cupiditate maximarum rerum gerendarum: ideoque instituisse societatem, cuius symbolum esset aureum vellus, quae societas inter Carolum V. Imperatorem, et principes heroica virtute praestantes adhuc servatur.

Medeae amores.

Inter figuras sententiarum apud Ciceronem numeratur disputatio, qualis est haec, qua Medea incensa amore Iasonis, hic deliberat, et secum quasi colloquitur, disputans, quid amor, quid ratio suadeat: in qua disputatione illud inprimis observandum est, quod inquit (Vss. 20 sq.):

video meliora proboque;
Deteriora sequor.

Sic enim plerumque solet accidere, ut indulgentes affectibus, consilium deterius sequamur. Magna autem vis est affectuum, praesertim amoris; nullus enim affectus rationi minus obtemperat. Itaque fingitur animus Medeae tam variis cogitationibus distrahi. Primum quidem disputat ac

69) adulatores] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. adulteratores.

69a) Tzetzae Chil. I. hist. 7. vss. 209—213. Ed. Kiessling.

fatetur, non esse honestum, ut ipsa sit magis propensa erga exterum, quam erga parentem. Sed huic argumento opponit contrarium, videlicet se non posse non favere Iasoni propter egregias ipsius dotes, propter aetatem, genus, virtutem et formam; seque vocat immaniorem omni bellua, si his dotibus nihil moveatur. Deinde argumentatur a necessario, illum misere periturum, nisi adiuvetur. Quod argumentum ratio refutat ab honesto, etiamsi ille amari mereatur, tamen propterea nihil scelerate faciendum contra patriam; item ab eventu, esse incertum, qualem ille gratiam sit relaturus ei pro tanto beneficio; et ab itineris periculo, esse difficilem ac periculosam navigationem ex Colchis in Graeciam. Quae argumenta refelluntur hoc modo: sed non apparere eum fore ingratum; item amplexum eius amoturum esse omnem periculi metum.

Haec est summa disputationis, quae periphrasi explicari possit vel hoc modo: Nescio, quis motus rationi non obtemperans verset animum meum; certe quantum intelligo, amor est. Cur enim parentis iussa mihi displicent? cur Iasoni metuo? Atqui castae mentis est resistere amori. Fateor; sed qui possum? Equidem luctor mecum, atque invita huic perturbationi animi succumbo; aliud enim amor, aliud ratio suadet. Ac quamquam non ignoro affectum amoris esse pessimum consultorem: tamen illi obtemperare cogor. Verum si obtemperandum est amori, cur regis filia exterum atque ignotum amo? siquidem haec quoque terra habet praestantes viros, coniugio meo non indignos. Quid ergo de illo sollicita sum? quidve mea refert, sive vivat, sive intereat? Nihil quidem; sed tamen, quia iuvenis est nobilitate generis, virtute et forma praestans, malim eum vivere quam interire. Illud quidem licet, vel absque infamia amoris. At non votis tantum, sed factis conservanda est illius vita, alioqui misere interibit. Ergo cum praeter me nemo illi subvenire possit, ero immanior omni bellua, ero omni saxo et ferro durior, nisi innocentis vitam conservavero. Sed dum illi consulo, patriam prodo. Egone admittam hoc nefarium scelus? Quid? quod incertum est, qualem gratiam ipse mihi relaturus sit pro beneficio. Forte salvus et incolumis discedet me relicta, aliamque ducet uxorem: id si ita eventurum esset, tum mallem profecto illum iamiam interire. Sed ingenuus vultus, generosus animus, et excellens illius forma mihi persuadent ac pollicentur, illum fore nihil minus quam ingratum. Quin etiam obligabitur iureiurando, priusquam a me iuvetur, quamvis alioqui servaturus sit fidem, utpote summo beneficio devinctus. Sed quid mecum diu disputo? metuo, quae non sunt metuenda. Ille me legitimo matrimonio sibi iunctam adducturus est in Graeciam, ubi ero celebris et honorata. Ergo discedens deseram ego patriam et parentem? Quid tum? pater enim est asper, durus [70]), et immanis, et patria est barbara. Hanc mutabo meliore et cultiore terra, magnam nominis celebritatem consequutura apud humanissimas gentes, hac nimirum laude, quod ipsa [71]) Graecorum salutem patriae et parenti anteferre non dubitarim: quodque adhuc pluris facio, habitura sum talem maritum, quem cum omnibus opibus et regnis non commutarim. Sed navigatio subeunda deterret me; audio enim in mari esse monstra, nescio quae. Ego vero nihil moror pericula, quaecunque mihi subeunda sunt; ero enim in complexu et gremio ipsius Iasonis secura etc.

Porro in fine huius disputationis apud Ovidium duo adhuc observanda sunt: alterum, quod ait (Vss. 69 sq.):

speciosaque nomina culpae
Imponis, Medea, tuae.

nam plerumque fit, ut scelerate factis honesti et speciosi tituli praetendantur; alterum, quod fingitur ratio quidem vincere affectus, sed oculorum sensus dare rursus vires affectibus (Vss. 72. 73. 76—83.):

ante oculos rectum, pietasque, pudorque
Constiterant, et victa dabat iam terga Cupido.
Et iam fractus [72]) erat, pulsusque resederat [72]) ardor,
Cum videt Aesoniden; extinctaque flamma reluxit [73]),
Et rubuere genae, totoque recanduit ore.
Ut solet a ventis alimenta resumere [74]), quaeque

70) durus] sic recte Ed. 1555. b.; Editt. 1555. a., 1559. durius.

71) ipsa] sic Editt. 1555. b., 1559., Ed. 1555. a. male: ipse.

72) *fractus — resederat*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *fortis — residerat.*

73) *reluxit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *revixit.*

74) *resumere*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *assumere.*

Parva sub inducta latuit scintilla favilla,
Crescere, et in veteres agitata resurgere vires,
Sic iam lenis [75]) *amor, iam quem languere putares,*
Ut vidit iuvenem, specie praesentis inarsit.

Aureum vellus.

Vs. 7. *Dumque adeunt regem, Phryxeaque vellera poscunt.*

Aurei velleris allegoriam Suidas exponit de arte, quam Graeci χημείαν vocant. Ait enim Iasonem abstulisse Colchorum regi librum in pellicea membrana scriptum de auro conficiendo per χημείαν. Verum, ut mihi quidem videtur, poetae per aureum vellus intelligunt magnam auri vim apud Colchos, aut a Phryxo, Athamantis regis filio, relictam, aut ab Aeëta rege congestam. Nam et verisimile est Phryxum ex Graecia secum abstulisse patrios thesauros, cum insidias novercae timens ad Aeëtam confugeret. Et regio Colchorum propter vicinitatem Caucasi montis abundat auro, teste Strabone, qui scribit multos fontes ex Caucaso manare [76]) scaturientes aurea arena tam tenui, vix ut videri possit, eamque ab accolis colligi lanosis pellibus in aquam positis. Atque hanc opinor esse occasionem fabulae. Pelles enim subsidente in iis arena prae se ferunt speciem aurei velleris. Quare non dubium est, Iasonem aut bello repetivisse thesauros, quorum ipse erat haeres, vel auri gratia intulisse bellum Colchis, quemadmodum nostro tempore Hispani, qui eadem de causa in Indiam navigarunt, ut videlicet aurum inde auferrent.

Tauri et draco aurei velleris custodes.

Vs. 104. *Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant.*

Tauros ignem efflantes Diodorus Siculus [77]) scribit Aeëtae regis custodes fuisse, quos ex Taurica adductos ob immane corporis robur et animi ferociam Colchi nomine taurorum appellarint. Unde non dubium est et draconem fuisse primarium quempiam virum et principem apud Colchos, cuius nomen poetae simili modo ad animantis fabulam traduxerunt. Per sementem intelligenda sunt intestina Colchorum dissidia, quae Argonautis bono et commodo fuerunt.

Ambiguus lupus. Ein Berwolff.

Vss. 270 sq. *Inque virum soliti vultus mutare ferinos*
Ambigui prosecta lupi.

Certos homines effici quotannis lupos, et rursus ad pristinum habitum redire, vulgo persuasum est. Tales refert Herodotus [78]) esse apud Neurios, Scythiae populos. Et hic quoque apud Borussos fama est tales inveniri, e quibus nuper unus fuit captus, et duci Prussiae adductus a rusticis, quorum iumenta dilaniasse credebatur. Erat homo deformis, nec multum absimilis ferae, habebatque vulnera in facie, quae dicebatur accepisse morsus a canibus, ubi fuisset mutatus in lupum. Is a quibusdam, quibus princeps id negotii dederat, interrogatus, aiebat se quotannis bis ita mutari solitum: primo circa natalem Christi, deinde circa festum Ioannis Baptistae; illisque temporibus se efferari, et cogi impetu quodam naturae versari in sylvis inter lupos; maximo autem horrore et languore corporis se affici, antequam pili erumperent et forma mutaretur. Haec affirmanti credita sunt; sed cum ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur, ac diligenter observaretur a custodibus carceris, an aliquando efficeretur lupus, retinuit semper eandem formam, quam habuit. Is fuit exitus fabulae. Unde constat ea, quae de ambiguis lupis narrantur, esse falsa, utpote quae homines mente capti sibi imaginantur.

Aeson ex sene in iuvenem [79]).

Non est absimile figmentum, quod extat rhythmis Germanicis nuper Noribergae editum de quodam balneo, ubi senes et vetulae lavantes iuvenescant; item quod in historia orbis nuper inventi legitur, nempe in Bonnica insula esse fontem, qui homines effoetos restituat, nec tamen canos [80]) mutet, nec tollat rugas iam contractas: cuius tamen fontis meminit, ut rei nequaquam fictae, in suis decadibus Petrus Martyr Angerius Mediolanensis, scriptor historicus. Quin

75) *lenis*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *lentus.*
76) manare] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: manere.
77) Diod. Sic. Biblioth. IV, 46.
78) Herodot. IV, 98.
79) Ovid. Met. VII, 285—293.
80) canos] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. cunos.

etiam novi quendam impostorem, qui accepta ingenti pecunia olim persuaserat Carolo, Geldriae duci, senio confecto se praeparaturum ei aurum potabile, quo ita recrearetur, vix ut quadragenarius videretur. Haec sunt similia et cognata huic fabulae de Aesone cocto, et in iuvenem restituto. Ferunt autem Medeam instituisse quaedam exercitia, quibus mollia et effeminata corpora redderentur vegeta et robusta. Hinc fama est, effoetis corporibus aetatem florentem restituisse; quamquam et credibile est Medeam salubri medicamento prorogasse vitam Aesoni in perdita valetudine affectaque aetate; fuit enim ipsa herbarum et artis medicae perita.

Caedes Peliae.

Vss. 304 sq. ***Spes est virginibus Pelia genitore*** [81]***) creatis***
Arte suum parili revirescere posse parentem.

Haec fabula, quemadmodum docet Erasmus Roterodamus, non intempestive narrari potest, ubi quis falsa spe ductus, non solum inanem sumit operam, sed etiam maximum damnum facit; perinde ac si quis artem, quam vocant Alchimicam, exerceat. Nam veluti Peliae regis filiae a Medea persuasae patrem, dum student ad iuventam revocare, lebeti ferventi impositum necant ac perdunt: ita ille ab impostoribus persuasus et arte fretus, dum sibi promittit futurum, ut e stanno fiat argentum, et ex aere aurum, perdit omnem operam et opes, quas impendit.

Cerambus in scarabeum.

Vss. 354. 356. ***Hic ope Nympharum sublatus in aera pennis,***
Deucalioneas effugit inobrutus undas.

Quisquis hic fuit Cerambus, fingitur (ut opinor) transformatus propter similitudinem nominis in scarabeum, quem Graeci per ὀνοματοποιΐαν vocant κέραμβον, quasi κέρατα ἔχοντα, cornua habentem. Habet enim scarabeus longa et ramosa cornua. Cur vero fingatur tempore diluvii pennis tanquam alter Pegasus in altum sublatus et conservatus a Nymphis, id relinquo otiosis ingeniis inquirendum. Est enim obscura et ignobilis fabula, quales sunt et caeterae fere omnes, quas Ovidius hic obiter attingit in describenda Medeae fuga ad Aegeum, neque explicat.

Telchines a Iove submersi.

Vs. 365. ***Phoebeamque Rhodon et Ialysios Telchinas.***

Ialysii propter insignem improbitatem a Graecis cognominati sunt Telchines, sicut olim in littore Italico dicti sunt a latrociniis Laestrygones. Vocantur enim Telchines apud Graecos, mali Genii, qui homines illectos circumveniunt, *παρὰ τὸ θέλγειν*, quod est demulcere. Erant autem Ialysii, ut Diodorus scribit, fascinatores et malefici, qui nubes, imbres, grandinem et nivem inducebant ad afferendam vicinis calamitatem, propter quam improbitatem iusto Dei iudicio tandem puniti sunt. Nam Ialysus, insulae Rhodi urbs, in qua habitabant, submersa est inundatione maris [82]).

Corinthii ex fungis nati.

Vs. 393. ***Corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis.***

Apud Corinthum antiquitus homines feruntur ex fungis nati, ob primaevos incolas illius loci stultos [83]) et fatuos; nam fungi proverbio dicuntur stolidi et stulti.

Iasonis et Medeae divortium.

Vss. 395 sq. ***Flagrantemque domum regis male vidit, utroque*** [84]***)***
Sanguine natorum perfunditur impius ensis.

Iasonis et Medeae divortium, eorumque liberorum tristis ac miserabilis interitus, ostendit connubia, quae invitis vel desertis parentibus ineuntur, non esse firma et felicia. Postquam enim aestus amoris deferbuit, amor in odium et iram convertitur: unde postea magnae calamitates existunt. Facto aut divortio Iason Creontis filiam duxit, quam iniuriam Medea crudeliter ulta, non solum filiam Creontis incendio perdidit, sed etiam suos ipsamet liberos iugulavit: adeo ira, amor et crudelitas in ea exarserant.

---

81) *genitore*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *subiecta*.

82) Conf. Diod. Sic. Biblioth. V, 56.

83) stultos] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. stultus.

84) *male vidit, utroque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *mare vidit utrumque*.

Taurus Marathonius et Cromyonia sus.

Vss. 433—435. *Te maxime Theseu*
Mirata [85]) *est Marathon Cretaei sanguine tauri:*
Quodque suam [86]) *securus arat Cromyona colonus.*

Thesei temporibus tota fere Graecia fuit infesta latrociniis. In Marathone, qui est campus Atticae, latrocinabatur quidam Cretensis, cui nomen Tauro. In Cromyone, vico non procul a Corintho, quaedam pugnax mulier, nomine Phaea, quam propter feritatem ac turpissimos mores vulgus suem appellabat. Alii item diversis in locis: ut Peripheta, Procrustes [87]), Cercyon, et Sinis: quos omnes persecutus Theseus morte mulctavit, eaque virtute, ac singulari in rempublicam beneficio immortalem gloriam consecutus est. Dignum profecto exemplum, quod nostri principes gloriae cupidi imitarentur.

Pestilentia in Aegina Aeaco rege.

Vss. 523 sq. *Dira lues populis odio* [88]) *Iunonis iniquae*
Incidit exosae [88]) *dictas a pellice terras.*

Poetae statuunt pestilentiam esse poenam divinam, eamque infligi mortalibus propter duo potissimum peccata: videlicet propter contemptum religionis, et libidinem. Hinc apud Homerum fingitur Apollo iratus, propter contumeliam sacerdoti factam immittere Graecis pestilentiam. Itidem Ovidius hic fingit, Oenopios simili poena adfectos esse ob adulterium Aeginae. Ideoque sic inquit (Vss. 523—527.):

Dira lues populis ira Iunonis iniquae
Incidit exosae dictas a pellice terras.
Dum visum est mortale malum, tantaeque latebat
Causa nocens cladis, pugnatum est arte medendi:
Exitium superabat opem, quae victa iacebat.

significans eiusmodi poenam divinitus constitutam neque averti neque mitigari posse ulla humana ope. Vocat enim mortale malum, quod hominum arte mutari potest. Illud autem non caret ratione, quod Iuno fingitur inducere pestilitatem. Nam per Iunonem intelligitur aer; et physici tradunt vitium seu corruptionem aeris esse causam pestilentiae, ipsumque aera corrumpi et venenato terrae vapore et multorum cadaverum foetore. Interdum etiam ex vitio aquarum gigni pestilentem morbum. Quas physicas causas omnes Ovidius erudite complectitur, cum inquit (Vss. 528. 529. 533—535. 548.):

Principia coelum spissa caligine terras
Pressit, et ignavos inclusit nubibus aestus.
Constat et in fontes vitium venisse, lacusque.
Milliaque incultos serpentum multa per agros
Errasse, atque suis fluvios temerasse venenis.
Corpora foeda iacent, vitiantur odoribus aurae.

Porro similis descriptio pestilentiae extat apud Thucydidem lib. 2. belli Peloponnesiaci [89]), quam Ovidius videtur hoc loco imitatus; pleraque enim inde transtulit, sicut ex collatione utriusque descriptionis apparet. Thucydides scribit, oculos aegrotorum fuisse suffusos rubore, et linguam cum faucibus visam esse sanguinolentam, et meatus spirandi coarctatos; ad haec, interiora corporis membra adeo vehementer arsisse, ut aegroti ne vestimenta quidem tenuia ex sindone ferre potuerint, neque ullum medicinae locum fuisse, ipsosque medicos interiisse; item aegrotos inexhausta siti adactos sese in gelidam aquam coniecisse, vel in puteos. Haec Ovidius his verbis reddit (Vss. 554—562.):

Viscera torrentur primo, flammaeque latentis
Indicium rubor est, et ductus anhelitus, igni [90])
Aspera lingua tumet: tepidisque arentia ventis [91])
Ora patent, auraeque graves captantur hiatu.
Non stratum, non ulla pati velamina possunt,
Dura sed in terra ponunt praecordia, nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.
Nec moderator adest, inque ipsos saeva medentes
Erumpit clades, absuntque [92]) *autoribus artes.*

Et paulo post (Vss. 567—569.):

passim, positoque pudore,
Fontibus et fluviis puteisque capacibus haerent,
Nec sitis est extincta prius [93]) *quam vita bibendo.*

85) *Mirata*] sic Editt. 1555. (= Ovid. Ed. Mitsch.); Ed. 1559. *Mira.*

86) *suam*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *suis.*

87) Procrustes] sic scripsi; Editt. 1555., 1559. Procustes.

88) *populis odio — exosae*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *ira populis — exosa.*

89) Thucyd. II, 47—54.

90) *igni*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *aegre.*

91) *tepidisque a. ventis*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *trepidisque a. venis.*

92) *absuntque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *obsuntque.*

93) *Nec sitis est ext. prius*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Nec prius est ext. sitis.*

Deinde Thucydides refert, ipsa quoque templa, in quibus homines sibi tabernacula fecerant, magnitudine mali ita perturbati, ut ignorarent, quid agerent, fuisse repleta cadaveribus, funerum quoque ritus a nemine servatos, cadavera aut foedis et inusitatis locis illata, aut per vim alienis rogis imposita. Idem Ovidius refert, dum ait (Vss. 602. 603. 606—610.):

Ante sacros vidi proiecta cadavera postes,
Ante ipsas, quo mors foret invidiosior, aras.
Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus; neque enim capiebant funera portae.
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos, et iam reverentia nulla est,
Deque rogis pugnant, alienisque ignibus ardent.

Praeterea inserti sunt duo loci, quos Ovidius a Virgilio mutuatus est: alter de equo bellatore ignava morte vitam amittente (Vss. 542—544.):

Acer equus quodam, magnaeque in pulvere famae
Degenerat, palmae 94) *veterumque oblitus honorum,*
Ad praesepe gemit morbo interiturus 94) *inerti.*

alter de hostia exsangui et ad aras concidente sine ictu (Vss. 597—599.):

mugitus victima diros
Edidit, et subito collapsa sine ictibus ullis
Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros.

Huius enim rei, nempe de exiguo sanguine meminit Virgilius et in Georgicis, ubi pestilentiam describit. Et ego vidi anno 1549., cum horribilis pestilentia hic in Borussia grassaretur, decollari mulierculam in pago, cui nomen Laptae, ex cuius mulierculae toto corpore tam modicus sanguis effluebat, ut vola 95) contineri potuisset.

Myrmidones ex formicis.

Quae Latinis formicae, Graecis μύρμηκες dicuntur. Hinc propter agnationem nominis et naturam gentis, poeta fingit Myrmidonas ex formicis natos: idque significat, cum ait (Vss. 654—657.):

Myrmidonasque voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidisti, mores, quos ante gerebant,
Nunc quoque habent, parcum 96) *genus est patiensque laborum,*
Quaesitique tenax et quod quaesita reservet 96).

Erant enim homines laboriosi et frugales, adeo etiam ut nullos in exstruendis aedificiis sumptus facerent; sed in cavernis subterraneis habitarent more formicarum, teste Strabone.

Cephalus ab Aurora raptus.

Vss. 703 sq. *Lutea mane videt pulsis Aurora tenebris*
Invitumque rapit.

Cephalus fingitur ab Aurora raptus in venatione, quia venatores soliti sunt surgere ante lucem, quasi Aurora ipsos rapiente.

Oraculum Themidis contemptum.

Vss. 759 sq. *Carmina Naiades* 97) *non intellecta priorum*
Solvunt 97) *ingeniis.*

Themidis oracula significant pia et sana consilia. Est enim Themis Dea consiliorum, quae iustum et honestum suadet. Naiadum vero oracula significant stulta consilia, quae dum Thebani sequuntur et sanioribus consiliis anteferunt, in calamitatem publicam incidunt. Themis enim irata immittit vulpem, a qua illorum agri divexantur. Exemplum usurpari potest, si quando vel in republica homines nullius consilii anteferuntur prudentioribus, vel in Ecclesia fanaticae opiniones pro oraculis habentur. Nam ubi sapientes a concilio removentur, aut sincera doctrina religionis fastiditur, illic vere Naiades pro Themide coluntur, imminetque publica calamitas. Vulpes autem, cuius hic fit mentio, dicta est Teumessia a Teumesso colle, ubi versari solita est; fuitque, ut Palaephatus 98) testatur, astutus et vafer Thebanorum hostis, qui nulla neque vi neque fraude capi potuit; qualis nuper Marchiacus fuit latro cognomento Lepus 99), a quo Saxonia toto fere septennio vexata est.

---

94) *palmae — interiturus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *palmas — moriturus.*

95) vola] sic Editt. 1555.; Ed. 1559.: volo.

96) *parcum — quod qu. reservet.*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *parcumque — qui qu. reservent.*

97) *Naiades — Solvunt*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Laiades — Solverat.*

98) Palaeph. de incredibil. c. 8, 1. Ed. Fischer.

99) Scilicet Hans Kohlhas, Berolinensis, cuius historiam C. Mücke nuper enarravit (Die Geschichte vom Hans Kohlhas. Erzählt von C. Mücke. Berlin, Norddeutsche Volksbuchh. o. J. 8.).

Cephali iaculum et canis.

Vs. 771. *Poscor et ipse meum consensu Laelapa magno.*

Sicut Attila rex, quia acerrimus fuit bellator, dicitur habuisse gladium Martis: ita etiam Cephalus, quia insignis fuit venator, fingitur habuisse iaculum et canem Dianae. Meminit Cephali Xenophon in lib. de venatione, eumque inter celeberrimos venatores numerat. Iaculum igitur nihil aliud significat, nisi usum ac peritiam venandi. Per canem vero intelligitur (ut arbitror) comes et minister quispiam venationis, cui nomen Canis. Nam Ioannes Tzetza scribit hunc ipsum a Minoë missum fuisse Cephalo, eique reduxisse Procrin reconciliatam, ac postea congressum cum Vulpe, Thebanorum hoste, simul cum illo periisse utrumque navigio ad scopulos maris fracto: hinc et natam esse fabulam de ambobus in marmora seu petras conversis.

Procris suspicax telo interficitur.

Vs. 826. *Credula res amor est.*

Suspiciones in matrimonio saepe afferunt magnam calamitatem, quare hoc exemplo admonemur, ne suspicionibus materiam aut locum demus. Ita Ovidius ipsemet hanc fabulam accommodat, de arte amandi[100], ubi inquit:

Ne cito credideris. Quantum cito credere laedat,
Exemplum vobis non leve Procris erit.

100) Ovid. Art. amat. III, 685 sq.

In librum VIII. Metamorphoseon.

De Scylla, Nisi filia, et Minoë.

Dissimilia exempla hic observanda sunt: alterum sceleris, alterum virtutis. In Scylla vituperatur scelus, quod ipsa in patriam et patrem commisit; in Minoë commendatur virtus, impiam et nefariam puellam detestante (Vss. 97 sq.):

Di te submoveant, o! nostri infamia saecli,
Orbe suo, tellusque tibi pontusque negetur [1]).

Observandae sunt item exornationes sententiarum, quibus exprimuntur fluctuantis animi affectus; et consideranda sunt argumenta, quibus Scylla utitur ad extenuandum proditionis scelus (Vss. 56—59.):

saepe utile vinci
Victoris placidi fecit clementia multis.
Iusta gerit certe pro nato bella perempto,
Et [2]) *causaque valet causamque tuentibus armis.*

Sic enim plerumque argumentantur proditores et parricidae patriae, praetendentes bonitatem, clementiam, iustitiam et potentiam hostis. Praeterea hic etiam locus consideratione dignus est, ubi Scylla sic exclamat (Vss. 125—127.):

exige poenas,
Nise pater: gaudete malis modo prodita nostris
Moenia.

Hoc nimirum solet esse praemium, haec merces proditorum, ut tandem omnibus invisi, et conscientiae stimulo agitati, ipsimet imprecentur sibi poenas. Crinis autem fatalis significat secretum Nisi consilium, quo hostibus enuntiato, urbs Megareusium prodita et capta est.

Similis historia narratur de Romilda Foroiuliensi, quae cum in obsidione Fori Iulii oppido conspicata esset regem barbarum aetate iuvenili florentem, a quo oppidum obsidebatur, significavit ei per nuntium se cives traditurum, si ab eo in matrimonium duceretur. Quod cum barbarus se facturum recepisset, illa noctu reseravit portam arcis, inscioque populo hostem intromisit. Is vero ingressus, iussit urbem diripi et omnes trucidari, praeter Romildam, quam propter religionem iurisiurandi illa nocte quasi in matrimonio habuit, postridie tradidit duodecim lixis per vices stuprandam; stupratam palo suffixit.

Pasiphaë, Minois uxor, tauri amore capta[3]).

Taurum, quem Pasiphaë amavit, Servius scribam, Plutarchus ducem seu praefectum fuisse tradit: unde intelligi potest, ex nomine aequivoco natam esse fabulam. Exemplum vero Pasiphaës docet, nobilissimas mulieres magnis ac

1) *negetur*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *negentur*.

Et] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *In*.

3) Ovid. Met. VIII, 136.

praestantibus viris nuptas, saepe libidinoso amore ita flagrare, ut pudicitiam suam prostituant hominibus turpissimis, brutorum animalium non dissimilibus.

Minotaurus.

Vss. 155 sq. *Creverat opprobrium generis, foedumque patebat*
Matris adulterium monstri novitate biformis.

Dissipata fama adulterii poetae commenti sunt fabulas, quibus Minos in Atticis theatris contumeliose exagitatus est. Finxerunt enim uxorem eius inclusam intra vaccam ligneam, et corio iuvencae tectam, admisisse taurum; atque ex eo concepisse monstrum biforme, cui nomen Minotauro. Vocant autem poetae Minotaurum non modo puerum adulterio conceptum, quasi Minois et Tauri filium; sed etiam illum ipsum adulterum, quasi Minois taurum proletarium; fuit enim Minotaurus, qui a Theseo victus et occisus est, ipse moechus, teste Plutarcho[4]).

Labyrinthus[5]).

Labyrinthus fuit carcer in Creta, quem nihil incommodi habuisse testatur idem Plutarchus[6]), nisi quod nemo illinc evadere poterat. Erat enim aedificium perplexis parietibus exstructum. In huius custodia cum liberi Atheniensium servati tractarentur indignius, fabulis celebratum est, illos in labyrintho aut devorari a Minotauro aut palantes errantesque necari.

Daedali et Icari fabula.

Daedali alae significant vela navium. Haec enim ab illo inventa dicuntur, estque usitata significatio alarum pro velis, ut apud Virgilium[7]):

Velorum pandimus alas.

Icari vero lapsus admonet, ne efferamur altius quam pro nostra sorte: utque teneamus in omni re mediocritatem; id enim vult poeta, cum inquit (Vss. 203 — 206.):

Instruit et natum: Medioque ut limine curras,
Icare, ait, moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola.

Lucianus in libello de Astrologia scribit, Daedalum fuisse mathematicum, et filium Icarum docuisse astrologiam; sed eum iuvenili fervore et persuasione doctrinae elatum aberrasse a vero, et decidisse in mare rerum immensae profunditatis. Caeterum in hac fabula duo sunt, quibus inest multum gratiae et suavitatis: alterum, ubi consuetudo et mos puerilis depingitur his verbis (Vss. 195 — 200.):

puer Icarus una
Stabat, et ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat, lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus.

Ita enim solent pueri, accurrunt ad parentes, si quid novi prae manibus habere vident; interrogant, quid agatur; attrectant omnia; impediuntque ipsos parentes labori intentos: quae tamen impedimenta non tam molesta sunt parentibus quam iucunda, sicut illi norunt, qui haec sunt experti. Alterum, ubi consuetudo senilis et paterna sollicitudo exprimitur his verbis (Vss. 210 sq.):

Inter opus monitusque genae maduere seniles,
Et patriae tremuere manus, dedit oscula nato.

Haec enim ἠθικὰ sunt, et ad naturam senum et ad vim paterni amoris erga natos accommodata, quae bene tractata sive a poetis, sive ab oratoribus, admirabilem (ut inquit Cicero) eloquentiam faciunt.

Inventor serrae et circini in perdicem avem.

Vss. 258 sq. *Propter humum volitat, ponitque in sepibus ova,*
Antiquique memor metuit sublimia casus.

Puer, cui adscribitur inventio serrae et circini, idem invenit quoque tornum, et rotam, qua figuli utuntur; fuitque Daedali ex sorore nepos. Eum alii Perdicem, alii Talum vocant. Daedalus de eius nece suspectus et accusatus, Athenis profugit in Cretam. Haec omnia sunt historica; metamorphosis vero est conficta ex similitudine nominis et accommodata ad naturam avis perdicis.

4) Plutarch. vita Thesei c. 15.
5) Ovid. Met. VIII, 159 — 168.
6) Plutarch. l. l. c. 16.
7) Virg. Aen. III, 520.

Venatio apri Calydonii.

Vss. 282 sq. *Misit aprum, quanto maiores herbida tauros*
Non habet Epirus.

Aper Calydonius, a quo Aetolia est vastata tempore Meleagri, fuit latro, Pheae mulieris filius, quam poetae suem Chromyoniam vocant. Nam, ut Strabo [8]) refert, ex Chromyonia sue Calydonius aper procreatus est. Huius meminit Phoenix apud Homerum in oratione ad Achillem lib. 9. Iliad. [9]), unde et sumpta est fabula. Non mirum autem videri debet tot principes Graeciae, quot hic numerantur, convenisse et sumpsisse arma adversus hunc latronem, cum constet senatum populumque Romanum totis viribus consurrexisse adversus Spartacum gladiatorem, qui Campaniam latrocinio depopulatus est. Huic apro Calydonio assimilari possunt haeretici, a quibus vinea Domini hodie vastatur. Utinam vero inter monarchas orbis existat Meleager, qui accensus non cupiditate gloriae, sed amore veritatis, congreget synodum adversus eiusmodi apros Ecclesiam vastantes. Porro haec fabula continet pulcherrimas hypotyposes, quibus describuntur: primum personae et officia venatorum, et loca cincta indagine; deinde impetus apri exciti, gestusque eorum, qui illum ruentem iaculis venabulisque excipiunt. Describuntur item varii casus, quales incidunt in venatione, cum alii tela improvide dirigunt, et sauciantur a feris; alii metu perculsi deserunt stationem, in qua collocati sunt. Inter hos vero casus, duo notabiles sunt: alter Nestoris, viri prudentis quidem, sed parum strenui, qui territus conscendit in arborem, ita tamen ut strenuus appareat. Nam hoc illius factum poeta commodis verbis honestat, cum inquit (Vss. 366 sq.):

sumpto posita conamine ab hasta
Arboris insiluit, quae stabat proxima, ramis.

Alter Ancaei, hominis temerarii et iactabundi, qui omnes prae se contemnens, ita se iactat (Vss. 392—395.):

Discite femineis quid [10]) tela virilia praestent,
O iuvenes, operique meo concedite, dixit.
Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis,
Invita tamen hunc [11]) perimat mea dextra Dianae.

Sed iactantia et nimia audacia qualem habet exitum? (Vss. 396—402.):

Talia magniloquo tumidus memoraverat ore,
Ancipitemque manu tollens utraque securim
Institerat digitis, primos suspensus in artus.
Occupat audentem [12]), quaque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.
Concidit Ancaeus, glomerataque sanguine multo
Viscera lapsa fluunt, madefactaque terra cruore est.

Itaque prudenter Theseus, ut ostendat illam iactantiam ac nimiam audaciam non esse viri fortis, (Vss. 405—407.):

O me mihi carior, inquit,
Pars animae subsiste meae, licet eminus esse
Fortibus, Ancaeo nocuit temeraria virtus.

Ac potest hoc ipsum, ***Licet eminus esse fortibus,*** usurpari vice proverbii, vel ioco, cum aliquis audaculus irridetur, cominus ab hoste pulsatus, vel serio, cum amicus a nobis admonetur, ne velit esse propior periculo, praesertim alieno. Illi quoque versiculi in hac venatione observandi sunt (Vss. 422—424.):

Immanemque feram [13]) multa tellure iacentem
Mirantes spectant, neque adhuc contingere tutum
Esse putant; sed tela tamen sua quisque cruentat [13]).

Est enim exemplum simile apud Homerum, ubi occiso Hectore ab Achille, omnes inferunt cadaveri vulnera, quorum nemo ausus fuisset aggredi illum viventem. Estque verum, quod dici solet: Leonem mortuum etiam mordent catuli.

Contentio de exuviis apri.

Vs. 431. *Invidere alii, totoque erat agmine murmur.*

Interfecto apro Calydonio, oritur altercatio inter heroes de victoria, et postea ex altercatione caedes. Nam Plexippus et Toxeus, Meleagro in-

8) Strab. VIII. p. 380. Ed. Casaub. a. 1620.

9) Hom. Il. IX. 548.

10) *quid*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *quam.*

11) *Invita tamen hunc*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Hunc tamen invita.*

12) *audentem*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *audacem.*

13) *feram — cruentat.*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *ferum — cruentant.*

videntes, movent contentionem de exuviis apri. Ita autem fieri solet, ut saepissime inter amicissimos, laborum et periculorum socios, de exuviis apri, hoc est, de levissimis rebus moveantur contentiones, quae afferunt reipublicae magnam calamitatem.

Meleagri fatum.

Vss. 451 sq. *Stipes erat, quem, cum partus enixa iaceret*
Thestias, in flammam triplices posuere sorores.

Quae de fatali stipite referuntur in ignem posito, intelligenda sunt haud dubie de magicis execrationibus, quibus Althaea Meleagro imprecata est mortem. Nam Homerus testatur eam orasse Plutonem et Proserpinam, ut filio mortem afferrent, ex quo sane manifestum est, eam magicis ministeriis usam esse. At vero, quantus dicendi artifex sit Ovidius, nusquam apparet melius, quam ex rebus tragicis, in quibus describendis ac tractandis ita mirificus est, ita regnat, ut omnes cogitationes, affectus et motus animorum in potestate et quasi in manu sua habere videatur: sicut apparet ex fabula Thysbes, Medeae, Procnes, Scyllae, et in primis ex hac fabula de Althaea flagrante cupiditate vindictae. Non est enim cuiusvis artificis depingere et exprimere verbis talem hominis imaginem, in qua contrarii affectus, ira, metus, indignatio, et misericordia, simul exprimantur, qualem ipse effingit, cum de Althaea ait (Vss. 465—474.):

Saepe metu sceleris pallebant ora futuri,
Saepe suum fervens oculis dabat ira ruborem,
Et modo, nescio quid, similis crudele minanti
Vultus erat, modo quem misereri credere posses.
Cumque ferus lacrymas animi siccaverat ardor,
Inveniebantur lacrymae tamen: utque carina,
Quam ventus ventoque rapit contrarius aestus,
Vim geminam sentit, paretque incerta duobus:
Thestias haud aliter dubiis affectibus errat,
Inque vices ponit, positamque resuscitat iram.

Magna autem vis eloquentiae est, ut saepe admonui, in illis contentionibus seu luctis animorum, quales necesse est existere in hominibus facinora machinantibus. Nemo est enim tam sceleratus, cuius animus non saepius reluctetur et reprehendat suum furorem, antequam obsequitur affectibus. Ad haec quam illa sunt tragica, quae ab Althaea dicuntur (Vss. 482—485.):

Eumenides sacris vultus advertite nostris[14])
Ulciscor, facioque nefas, mors morte pianda est.
In scelus addendum scelus est, in funera funus.
Per coacervatos pereat domus impia luctus.

Est itaque inter praecipua eloquentiae exempla haec quoque Althaeae disputatio seu deliberatio observanda, qua vix potest quicquam cogitari artificiosius.

Meleagri sorores in aves Meleagrides[15]).

Sicut peregrinae quaedam aves nono quoque anno in Prussiam advolant, quae vulgo Parisiae aves dicuntur: ita certis temporibus aves ex Africa in Boeotiam advolant, quas poetae fingunt sorores fuisse Meleagri, quia locum, ubi Meleager tumulatus est, maxime frequentant. Videntur autem Meleagrides esse eaedem aves, aut non dissimiles iis, quae ex India nuper allatae sunt, ac vocantur gallinae Indicae. Nam Plinius[16]) refert esse gallinarum genus gibberum ac variis sparsum plumis, novissimumque peregrinarum avium admissum in mensas, propter ingratum virus.

Perimele, Hippodomantis filia, in insulam.

Vs. 588. *In totidem, mediis quod*[17]) *cernis Echinadas undis.*

Echinades insulae, quas inundatio et alluvio effecit, poetice finguntur ab Acheloo et Neptuno effectae, quia vi aquarum vel interrumpente vel aggerente terram insulae nascuntur. Emergunt etiam in mari insulae, quando aut aqua recedit, aut spiritus terrae inclusus potens atque acris ipsam terram sibi luctanti resistentem attollit, et magno impetu protrudit. Hoc igitur modo Ovidius indicat et Perimelen extitisse, cum ait, illam fuisse servatam beneficio Neptuni, ne mergeretur: ita ad fabulas transfertur, quod rerum natura fecit.

Baucis et Philemon.

Baucidis et Philemonis fabula docet hospitalitatem ac frugalitatem Deo gratam esse. Idem

---

14) *nostris*] sic Editt. 1555., 1559.: Ovid. Ed. Mitsch. *nostros.*

15) Ovid. Met. XIII, 520.

16) Plin. Nat. Hist. X. c. 38. Ed. Franz. (c. 26. Editt. antiq.).

17) *quod*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *quot.*

docent sacrae litterae, quae testantur angelos sub specie humana saepe nobiscum versari. Ideoque hospites libenter accipiendos et humaniter tractandos esse. Verisimile est autem hunc Philemonem fuisse villicum ipsius Ovidii; nam ita solent poetae interdum suos celebrare occasione data. Ac videtur Ovidius hilari animo fuisse, cum scriberet hanc fabulam. Descripta est enim admodum lepide et festive, habetque multas hypotyposes aptas et iucundas, quibus decore effingitur gestus Baucidis ignem excitantis, et Philemonis bicorni furca levantis (Vs. 648.):

Sordida terga suis, nigro pendentia ligno[18]).

Item cura collocandae mensae, cui erat pes tertius impar, testa parem fecit. Ad haec apparatus rusticus et frugalis, humanitas erga hospites, et hypotyposis illa anseris velocitate sua fatigantis senes (Vss. 686 sq.):

Ille celer penna, tardos aetate fatigat
Eluditque diu.

Proteus[19]).

Metamorphosis Protei non minus varias allegorias, quam ipse formas recipit. Hanc Diodorus Siculus[20]) exponit de varietate insignium, quibus Proteus, Aegypti rex, more veterum regum sese ornabat. Nam priscis Aegyptiorum regibus morem fuisse scribit, ut insigne aut leonis, aut tauri, aut ignis, aut arboris, in capite gestarent. Philippus Melanthon[20a]) in declamatione de artibus liberalibus refert ad intelligentiam, quae se in omnes quasi species transformat, motus, ut mihi videtur, autoritate Virgilii[21]), qui de Proteo cecinit hunc in modum:

novit namque omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quam mox ventura trahantur.

Plato in Euthydemo[22]) exponit de fallaciis, quibus Sophistae in disputando quasi praestigiis utuntur. Scribit enim ipsum Protea fuisse Sophistam Aegyptium. Alii exponunt de natura rerum, quae gignit varias species; alii de diversis vestimentorum formis, quibus Pallenei cives olim utebantur. Est enim Pallenae, vetusta Achaiae civitas, Protei patria, in qua diversae vestimentorum formae olim fiebant, teste Suida.

Est et erudita Protei allegoria, quae extat apud Caelium Calcagninum, is per Protea intelligit veritatem, quae in abdito latens non facile potest deprehendi; atque ait, illum hac de causa fingi in antro obdormiscere, et comprehensum vera dicere; in varias autem transire formas, quia, dum ingenium ad veritatem indagandam ratione ducitur, variae oriuntur formae, quae veritatis speciem habent, hoc est, falsae opiniones, quibus deludimur; multa enim putamus esse vera, quae non sunt. Quo plura vero simulacra seu commenta opinionum nobis obiiciuntur, eo instandum acrius, donec Proteus redeat in suam formam, hoc est, veritas illucescat. Sumpta est autem fabula ex Odyssea, ubi Homerus[23]) fingit Protea in varias formas se mutantem a Menelao capi: quem locum et Virgilius in Georg.[24]) imitatus, ad fabulam Aristaei transfert.

Ingens quercus.

Vss. 748 sq. *mensuraque roboris ulnas*
Quinque ter implebat.

Videtur quidem hyperbolica haec descriptio arboris, cuius mensura quindecim ulnas impleat; sed Petrus Bembus in historia Veneta scribit, arbores reperiri sub polo antarctio tantae magnitudinis, ut eas capere nequeat complexus viginti hominum extremis manibus sese contingentium. Idem testatur Hieronymus Cardanus, cuius verba sunt haec lib. 8. de Subtilitate: Pingui alimento arbores crescunt non salso; ob id pinguissimum et minime salsum Indiae solum existimandum est, quod in immensum ibi crescant arbores. Referunt enim ibi quandam inventam e Zebeli genere (nam hoc est arboris genus omnium maximae) trifidam inter caeteras, cuius singuli trunci viginti pedum ambitu cingebantur; spatia vero ipsa inter truncos iuxta terram totidem pedibus; per ipsa vero spatia currus onustus pulchre duci poterat. At ubi trunci in unum coibant, hoc autem a terra procul pedibus quindecim, erat crassitudo arboris pedum quadraginta quinque; ab ima parte crassioris trunci ad locum, ubi primo prodibant rami, pedes 80; superior pars, ex qua rami pendebant, absque mensurae modo.

---

18) *ligno*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *tigno*.
19) Ovid. Met. VIII, 731.
20) Diod. Sic. Biblioth. I, 62.
20a) Conf. quod supra p. 559. nota 39. dixi.
21) Virg. Georg. IV, 392 sq.
22) Plat. Opp. ed. H. Steph. T. I. p. 288, b.
23) Hom. Od. IV, 384 sqq.
24) Virg. Georg. IV, 350 sqq.

Erisichthonis filia in varias formas[25]).

Erisichthon absumptis per luxum facultatibus cum ad extremam egestatem redactus esset, filiam nomine Metram prostituisse fertur: idque significare videtur Ovidius, cum inquit (Vs. 872.):

Saepe pater dominis Triopeïda tradit.

At quoniam eo tempore nondum argenti et auri erat usus, varia munera illi afferebantur[26]) ab amatoribus filiae, aut aves, aut equi, aut boves, aut ferae. Hinc per iocum dicta est Metra Erisichthonis verti in omnia, quae ab amatoribus donabantur. Sic exponit Erasmus hanc fabulam

25) Ovid. Met. VIII, 873.

26) afferebantur] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. efferebantur.

in Chiliadibus adagiorum[27]). Fieri autem potest, ut Erisichthon non solum luxu absumpserit facultates, sed etiam inexplebili voracitate. Historiae tradunt quendam fuisse apud Aurelianum Imperatorem, qui uno die comederit aprum integrum, centum panes, vervecem, et porcellum. Tali famelico certe mediocres facultates non sufficiunt. Ac quoniam nullum est peccatum gravius impietate, non immerito impius Erisichthon ea afficitur poena, qua nihil est etiam durius; nam fame mori est durissimum et miserrimum genus mortis. Eusebius in historia ecclesiastica scribit, Herodem regem Iudaeorum simili aviditate vorandi a Deo punitum fuisse, nec tam phthiriasi, quam fame extinctum esse.

27) Erasmi Adag. chil. III. cent. III. prov. 70.

In librum IX. Metamorphoseǫn.

Hercules cur Iovis filius.

Vs. 24. *Iupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.*

Hercules, quod omnia animi sui viribus inferiora duceret, habitus est Iovis filius; nam veteres clarorum virorum originem, propter virtutem excellentem, referebant ad Deos. Neque enim humanum, sed divinum est subire pericula pro salute reipublicae, adversis rebus non terreri, non consternari, sicut Hercules in pacando orbe fecit.

Acheloi et Herculis lucta.

Acheloum extra ripas saepe diffluentem, et efficientem agri vastitatem, Hercules coercuit aggeribus et aquarum ductibus: sicut apud nos in Prussia Teutonici Mariani olim coercuerunt inundationes Istulae, altero ostio eius patefacto, et aggeribus ad utramque ripam congestis. Hoc Herculis opus comparatur luctationi; ipse enim cum Acheloo, dum eius vim et inundationem coercet, quasi luctatus est. Sunt in hac fabula versus ad usum et rationem proverbii accommodati (Vss. 5—7.):

Nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum:[28])
Magnaque dat nobis tantus solatia victor.

28) *decorum*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *decorum est*.

His siquidem versibus uti poterit, qui insigni aliquo certamine, vel a doctiore, vel a potentiore superatus est. In hanc sententiam Hannibal apud Livium[29]) allocutus Scipionem: Si hoc (inquit) ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is ultro ad petendam pacem venirem: laetor te mihi potissimum datum, a quo peterem. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum fuerit[30]), Hannibalem, cui de tot Romanis[30]) ducibus victoriam Dii dedissent, tibi cessisse. Similiter usurpari possunt loco proverbii etiam hi versus (Vss. 29 sq.):

Melior mihi dextera lingua
Dummodo pugnando superem; tu vince loquendo.

Alphonsus, rex Neapolitanus, bellum illaturus Florentinis, dicitur his versibus respondisse oratori Florentino, minas iactanti.

Achelous in serpentem et taurum.

Vss. 62 sq. *Inferior virtute, meas divertor ad artes,*
Elaborque viro, longum formatus in anguem.

Assimilatur Achelous tum serpenti propter obliquam longitudinem, tum tauro propter

29) Liv. XXX, 30.

30) fuerit — de tot R.] sic Editt. 1555., 1559.: Liv. Ed. I. Gronov.: hoc fuerit — tot de R.

alveorum flexus, qui cornua vocantur, et propter raucum strepitum, quem edit, similem taurino sono, teste Strabone [31]).

Cornu copiae.

Vss. 87 sq. *Naiades hoc, pomis et odoro flore repletum,*

Sacrarunt, divesque meo bona copia cornu est.

Per cornu copiae significatur ubertas agrorum et abundantia omnium fructuum. Eo enim loco, ubi Achelous antea stagnabat, agri Calydoniorum facti sunt fructuosissimi, postquam exsiccati fuerunt.

Angues ab Hercule infante strangulati.

Vs. 67. *Cunarum labor est angues superare mearum.*

Ab ipsis incunabilis natura dat indicia excellentis animi, futuraeque magnitudinis et virtutis: quod ut significarent poetae, finxerunt Herculem exemplum viri fortis ac magnanimi, infantem pusillis manibus strangulasse angues. Nemo enim fit (ut dici solet) excellens, nisi cui natura quasi suffragatur nascenti. Sic maior ille Africanus Scipio, quali indole esset, adolescentulus in pugna ad Ticinum declaravit, ubi patrem ab hostibus recepit; cumque Hispaniense bellum sibi depoposcit obstupefactis aliis et contradicentibus. Sic et Octavius Caesar, qualis esset futurus, prae se tulit, cum puer adversus Antonium se belli ducem professus est. Huc alludens Ovidius libro primo de arte [32]) inquit:

Parcite natales timidi numerare Deorum,
Caesaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium coeleste suis velocius annis
Surgit, et ignavae fert mala damna morae.
Parvus erat, manibusque suis [33]) Tirynthius angues
Pressit, et in cunis iam Iove dignus erat.

Lernaea hydra.

Vss. 70—72. *Vulneribus foecunda suis erat illa, nec unquam [34])*

De centum numero caput est impune recisum,
Quin gemino cervix haerede valentior esset.

Hydra, ut Plato scribit in Euthydemo [35]), fuit Sophista ex Lernaeo oppido, qui Herculem maledictis insectatus est: cuius Sophistae uno capite, hoc est, argumento sermonis amputato, plura renascebantur; nihil est enim sophistica foecundius: haec, una ratione confutata, plures statim suggerit.

Tzetza per Hydram intelligit plurimos fratres seu adversarios ὁμοψυχοῦντας, quorum uno ab Hercule occiso subinde alii atque alii prodierunt in certamen, donec omnes obtruncati sint. Horatius [36]) lepide transfert allegoriam Hydrae ad invidiam:

diram qui contudit Hydram
Comperit invidiam supremo fine domandam. [37])

Est enim invidia monstrum innumeris armatum capitibus, quorum uno reciso, protinus duo suppullulant in eius locum.

Herculis leonina pellis.

Vs. 113. *Mox ut erat pharetraque gravis spolioque leonis.*

Herculis leonina pellis significat, virum fortem oportere non fallaciis, sed virtute tectum esse, neque insidiis, sed aperto Marte pugnare. Hinc Plutarchus in vita Lysandri [38]) refert, Lysandrum, virum versutum, irrisisse eos, qui iudicabant hoc dignum progenie Herculis, ut sine fallaciis belligerarent; aitque solitum dicere, quo leonina pellis non attingeret, assuendam esse vulpinam.

Nessi Centauri dolus.

Vs. 133. *Dat munus raptae velut irritamen amoris.*

Exemplum Nessi monet, ut caveamus, ne decipiamur simulata et ficta hostium benevolentia: ac reprehendit stultitiam eorum, qui credunt venena habere vim et illecebram amoris. Simili fere dolo, et benevolentiae simulatione usa est Medea, cum Creontis filiae misit dono coronam naphtha illitam, qua illam perdidit.

---

31) Strab. X. p. 458. Ed. Casaubon. a. 1620.

32) Ovid. Art. amat. I, 183 — 188.

33) *suis*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *duos*.

34) *unquam*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *ullum*.

35) Plat. Opp. ed. H. Steph. T. I. p. 297, b.

36) Horat. Epist. II, 1, 10. 12.

37) domandam] sic Editt. 1555., 1559.; Horat. Ed. Bentl.: domari.

38) Plutarch. vita Lysandri c. 7. extr.

Querela Herculis continens enumerationem rerum ab ipso gestarum.

Vss. 182 sq. *Ergo ego foedantem peregrino sanguine templa* [39])
Busirim domui.

Haec querela sumpta est ex Sophocle, apud quem in Trachiniis [40]) Hercules magnitudine doorum eiulans, eodem modo, quo hic, enumerat suas res gestas. Quae vero de monstris ab Hercule domitis traduntur, intelligenda sunt partim de tyrannis, partim de latronibus, cum quibus ille belligeravit.

Busiris et Antaeus fuerunt reges potentes et crudeles, quorum alter in Aegypto, alter in Libya tyrannidem exercuit, ob quam uterque etiam ab Hercule debellatus et occisus est; bella enim, quae Hercules gessit, fuerunt pro communi hominum salute suscepta, ad liberandum orbem a tyrannide et latrocinio. Antaei meminit Plutarchus in vita Sertorii [41]), ac tradit, eius cadaver a Sertorio effossum sexaginta cubitorum fuisse.

Geryones regnavit in insulis Hispaniae, ubi fama est tantam pabuli laetitiam esse, ut, nisi abstinentia impediatur sagina, pecora rumpantur: unde etiam armenta eius fuerunt tantae famae, ut Herculem ex Graecia praedae magnitudine illexerint. Is fingitur tricorpor habuisse tres animas, propter tres insulas, videlicet Balearicam maiorem, minorem, et Ebusam, quas cum fratribus concors tenuit. Erant enim (ut Iustinus scribit) tres fratres tanta inter se concordia, ut esset una et eadem eorum voluntas.

Iovinianus Pontanus in prooemio libri septimi de rebus coelestibus, fabulam Geryonis physice ita exponit: Poetae (inquit), qui primi de natura rerum per fabulationes quasi quasdam scripsere, Petre Bembe, tradunt Geryonem quendam regnantem ad Hispanicum Oceanum tres animas, tria etiam corpora habuisse, hisque tribus fuisse usum: nimirum triplex corporis genus, triplex etiam animae genus, mirificis his dictis innuere voluerunt. Siquidem genus unum est corporis, arborum, herbarumque proprium, idque a vegetatione solaque corporis ipsius alimonia atque enutritione vegetabile dictum est; animaeque huius aliud officium est nullum, praeterquam educatio. Ipsa sola soli etiam inhaeret corpori, neque extra se quicquam movet, nisi quantum succos ipsos, e quibus vegetatur, ad se trahit, attrahendo corpori insinuat, in proceritatemque convertit. Secundum corporis atque animae genus est, quod a sentiendo nomen duxit; nam et corpus ipsum movetur per loca, et victum hic atque illic quaeritando alitur; et anima ipsa videndo, audiendo, olfaciendo, gustando sic afficitur, ut corpus ipsum moveat, impellatque ad ea exterius quaerenda, quae profutura sentiat, contraque ad ea fugienda, quae videantur nocitura. Neque enim sine motu esse ipsius opera potest ulla, aut motus aliquis per loca corporeus ac suus absque sensu. Haec ipsa anima viribus his suis usa, per visum, per auditum, per olfactum, extra corpus ipsum paene egressa, ea, quae extrinsecus posita sunt, videtur sentire, atque ita quidem sentire, ut diiudicet, quid ex illis profuturum atque obfuturum naturae sit suae: indeque sentiens anima vocatur. Atque haec quidem corporis et animae duo genera naturaliter servilia sunt, tertioque illi, quod rationale genus est, animae obediunt. Hoc autem ipsum rationalis animae genus, quantum a vegetante atque sentiente recedit anima, tantum superiori illi naturae aut potius (ut nunc loquuntur) essentiae, quae divina dicitur, sese adiungit atque inhaerescit. Quocirca aliud quoddam corpus huic rationalis animae generi attribuitur, tum figura, tum temperatione diversum, ut si et vegetetur et sentientibus utatur viribus, veluti ea corpora, quae cum vegetabilia, tum sensibilia dicta sunt, tamen alio quodam modo, et figuratione, et membrorum dispositione, et humorum praecipue temperatione affectum est etc.

Similiter Hesiodi interpres allegoriam eiusdem fabulae ad physiologiam refert, intelligens nomine Herculis solem, propterea quod is vere sit Iunonis, hoc est, aëris coelique decus et gloria; et Geryonis nomine, hyemem a verbo γηρύω, quod est, clamo, propter hyberni temporis quasi clamorem seu tumultum, quem sol vincit et perimit a brumali tropico conversus ad aequinoctium vernum. Per boves autem Geryoni ereptos, intelligit tonitrua ob similitudinem soni: propterea quod ea fiant occiso Geryone, hoc est, finita hyeme. Sed haec allegoria videtur petita longius.

---

39) *sanguine templa*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *templa cruore.*

40) Sophocl. Trachin. 1046—1111. Ed. Brunck.

41) Plutarch. vita Sertorii c. 9.

Cerberus, quem Hercules fingitur ab inferis traxisse, fuit regis Molossorum canis. Nam apud Molossos, teste Plutarcho [42]), erat Herculis temporibus rex, qui habebat uxorem nomine Cererem, filiam Proserpinam, et canem Cerberum. Ad hunc cum Pirithous et Theseus accessissent, ut filiam eius Proserpinam raperent, Pirithous cani Cerbero obiectus, et ab eo devoratus est; Theseus vero in vinculis detentus est, donec ab Hercule liberaretur. Hinc conficta est fabula de Theseo per Herculem ab inferis liberato, deque inferorum cane simul abducto. Nicolaus Leonicenus tamen de varia historia scribit, Hecateum Milesium, autorem Graecum, tradere, in Tenaro, Laconiae promontorio, fuisse serpentem horribili magnitudine et forma, quem Hercules iussu Eurysthei interfecerit, eumque ab incolis illius loci dictum fuisse canem inferorum, propterea quod erat solitus obvios quosque venenato morsu et afflatu necare.

Augiae stabulum congesto ter mille boum fimo repletum, fuit ipsius Augiae regis aula, luxu perdita, ac plurimis vitiis inquinata, quam occiso tyranno Hercules expurgavit.

Diomedes sanguine et visceribus hominum equos pavisse fingitur, eo, quod magnum in aula equitatum partim latrociniis, partim intolerabilibus tributis et exactionibus aluit. Erasmus Roterodamus in adagio: Diomedea necessitas [43]), refert ex Aristophanis interprete Diomedem solitum hospites suos compellere ad stuprum faciendum cum filiabus suis deformissimis, et stupro facto, illos interemisse; et eam ob causam Diomedis filias a viris agitatas, dictas esse equas, quae pabuli vice humana carne vescerentur.

Stymphalides aves erant praedones, qui circa Stymphalum oppidum et lacum Arcadiae latrocinabantur: id quod coniicere licet ex his versibus Claudiani [44]):

> Audieram, memorande, tuas, Stymphale, volucres
> Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu.

Nam cum ait sparsisse tela seu spicula, non obscure indicat, fuisse praedones armis instructos. Hae vero aves in primis infestae sunt mercatoribus, et relicta Arcadia commigrarunt in multas Germaniae regiones.

42) Conf. Plutarch. vita Thesei c. 31.

43) Erasmi Adag. chil. I. cent. IX. prov. 4.

44) Claudiani Idyll. II, 1 sq.

Taurus, cerva, leo, inter praepotentes et nobiles latrones numerandi sunt, qui horum animalium vel insignia vel nomina gesserunt; quamquam fieri etiam potest, ut Hercules, quemadmodum Simson [45]), inciderit forte in leonem, eumque memorabili casu interfecerit.

Draco, pomarii custos, fuit (ut Plinius refert) meatus maris flexuosus, qui procul spectantibus praebebat effigiem longi ac tortuosi draconis. Eo meatu erant cincti Hesperidum horti, quos Hercules depopulatus est.

Centauri fuerunt populi Thessaliae, qui primi equites fuisse perhibentur; ac ideo finguntur bimembres, quoniam in equitibus procul apparet mixta species equi et viri. Cum his populis Hercules quoque pugnavit.

Cacus fuit princeps Campaniae, qui cum esset Euandro infestus, duce Hercule ab Arcadibus oppressus, et fumo necatus est, igne in spelunca succenso, ubi sese abdiderat. Is fingitur exspuisse ignem, propterea quod incendiis omnia devastabat.

Magnam quoque gloriam Hercules consecutus est astrorum sphaera in Graeciam allata, quam Atlas, Mauritaniae rex, paulo ante invenerat. Et hac de causa dictus est alter post Atlantem sustinuisse coelum humeris.

Indignatio Herculis adversus Deum.

Vss. 203 sq. *At valet Eurystheus: et sunt, qui credere possunt* [46])
Esse Deos.

Illud quidem minime est heroicum, sed tamen a mortali homine non alienum, quod Hercules indignatur et irascitur, ut incuset Deum, quasi res humanas nihil curet. Nam cum boni in hac vita affligantur calamitatibus, et improbi bene habeant, certe humanus animus nisi doctrina Christiana confirmatus non potest aliter statuere, nisi aut nullum esse Deum, aut res humanas non esse Deo curae: quam humanae mentis cogitationem poeta Claudianus erudite complexus est his versibus:

> Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
> Curarent Superi terras, an nullus inesset
> Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
> Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi,

45) Simson] sic scripsi; Editt. 1555., 1559. Samson.

46) *possunt*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *possint*.

Praescriptosque maris fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno iusserit igne
Compleri, solemque suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, laetosque diu florere nocentes
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Religio, causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi [46a]).

Lichas in scopulum [47]).

Lichae exemplum docet, ministeria praesertim in aulis esse periculosa; saepe enim famulis ac ministris iniunguntur, quae comparant ipsis exitium.

Hercules in Deum.

Vs. 272. *Quadriiugo curru radicibus* [48]) *intulit astris.*

Qui Herculem et caeteros heroas ex hominibus Deos consecrarunt, indicare voluerunt (ut inquit Cicero de Legibus) omnium quidem animos immortales esse, sed fortium ac bonorum divinos [49]).

Galanthis in mustelam.

Vs. 323. *Ore parit, nostrasque domos, ut et ante, frequentat.*

Idem fertur de ave Aegyptiaca, quam Ibin vocant, nempe quod foetus per rostrum edat. Mustela tamen (ut scribit Aristoteles de natura animalium) non quidem ore parit (quo enim pacto foetus ad os perveniret?), sed quia parit catulos admodum parvos, ac saepe ore susceptos transfert, ideo vulgo ita persuasum est illam ore parere. Monet autem Galanthidos fabula, se ipsos fallere, qui insidiis et praetextu Deum fallere conantur; illa enim, dum deceptam Lucinam irridet, ab ea in bestiolam mutatur.

Dryope in lotum arborem.

Vs. 393. *Corpore mutato rami caluere recentes.*

Dryope, cuius nomen a quercu et voce factum est, fingitur in lotum conversa, ob hanc forte causam, quod inter utramque arborem, quercum et lotum, aliqua sit convenientia. Aiunt enim loton non sentire cariem, eiusque lignum esse solidum perinde ut quercum. Est autem iucunda fabula haec et plena suavissimis affectibus, praesertim in fine, ubi Dryope ex arbore loquitur, iurans se esse innocentem, et mandans adduci saepius filiolum ad suam arborem, ut sub ea ludens, matris recordetur. Item, ubi suis valedicens, petit se defendi a morsu pecorum, et a falce, qua frondes amputantur. Haec admodum sunt sauvia et iucunda, praesertim in tali argumento.

Hebe uxor Herculis.

Vs. 400. *Hoc illi dederat Iunonia muneris Hebe.*

Hebe fingitur uxor Herculis eo, quod pubertas seu florens aetas coniuncta est cum robore, quod per Herculem intelligitur, propter fortia ipsius facta.

Iolaus.

Vs. 399. *Ora reformatus primos Iolaus in annos.*

Iolaus vixit ad summam senectutem integris prope viribus, et in senili aetate multas praeclaras res gessit; ideo fingitur denuo pubertatem adeptus. Simili ratione finguntur Alcmaeonis et Callirrhoes filii beneficio Hebes transformati ex infantibus statim in adolescentes, nempe propter res virili aetate dignas, quas in tenera aetate gesserunt.

Tithonus.

Vss. 420 sq. *queritur veteres Pallantias annos Coniugis esse sui.*

Tithonus fingitur adamatus ab Aurora, eadem (opinor) ratione, qua Cephalus, nempe quod ante solis ortum surgere et matutina tempora non somno, sed agendis rebus tribuere solitus fuerit. Fingitur item ad summam pervenisse senectutem, eiusdem Aurorae succo perfusus; ad tuendam enim valetudinem prodest perfundi Aurorae succo, hoc est, simul cum sole expergefieri.

46a) Claudian. in Rufin. I, 1—18.

47) Ovid. Met. IX, 211 sqq.

48) *radicibus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *radiantibus.*

49) His in Editt. 1555., 1559. proxime annexa est enarratio Vss. 43 sq. libri X., inscripta: *Urnae Belidum.* Hanc hoc quidem loco omisi, quippe quae in libri X. enarratione exhibenda est.

Iasion.

Vss. 421 sq. *queritur canescere mitem* [50]) *Iasiona Ceres.*

Iasion fuit studiosus agriculturae: ideo in fabulis traditur a Cerere adamatus.

Erichthonius.

Vss. 422 sq. *repetitum Mulciber aevum Poscit Erichthonio.*

Erichthonius fingitur Vulcani et Minervae filius, quia inter infantes vulgo quaesitus inventus est in templo Vulcani et Minervae expositus, quod ambobus commune Athenis habebatur.

Anchises.

Vss. 423 sq. *Venerem quoque cura futuri Tangit, et Anchisae renovare paciscitur annos.*

A Venere adamari finguntur, qui aut formosas habent uxores, aut ipsi praestante sunt forma, qualem Anchisen et uxorem eius fuisse non dubium est. Neque aliam ob causam Aeneas dicitur Veneris filius, nisi quod matrem habuit formosissimam.

Byblis.

Vs. 454. *Byblis Apollinei correpta cupidine fratris.*

Talia exempla proponuntur, non ut inde discamus vitia aut turpitudinem; sed ut illis admoniti, caveamus, ne illicito aut inhonesto amore capiamur: id quod autor etiam ipse indicat, cum inquit (Vs. 453.):

Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellae.

Tantas autem vires sumit Venereus impetus, ut nullum neque sanguinis neque cognationis discrimen haberi sinat: id quod exempla declarant. Ptolemaeus Ceraunus duxit uxorem sororem suam Antigonem. Papa Alexander VI. inceste amavit filiam suam Lucretiam, de qua extat hoc epigramma:

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Chimaera.

Vss. 646 sq. *Quoque Chimaera iugo mediis in partibus ignem, Pectus et ora leae, caudam serpentis habebat.*

Chimaeram, quae a poetis fingitur monstrum ignivomum, capite leonino, et cauda anguina, Plutarchus [51]) scribit fuisse navim praedatoriam, cuius prora ignivomo leone, et puppis dracone insignita erat, eamque a Bellerophonte sublatam fuisse, interfectis piratis, a quibus maritima Lyciae ora infestabantur.

Servius tradit Chimaeram esse montem Lyciae olim incendio et feris infestum, sed postea cultum et habitabilem a Bellerophonte factum. Sic enim ipse ait: Chimaera est re vera mons Lyciae, cuius hodie ardet cacumen, iuxta quod sunt leones, in medio autem pascua sunt, et ima montis serpentibus plena: hunc Bellerophon habitabilem fecit, unde Chimaeram dicitur occidisse. Gregorius Nazianzenus in vita Basilii Magni allegorico sensu Chimaeram exponit de tribus rhetoricae partibus. Chimaera (inquit) monstrum ex tribus compositum, anteriore parte leo est, posteriore draco, media capra: sic item rhetorice in tria divisa est genera, iudiciale, deliberativum, et demonstrativum. Videtur autem Nazianzenus iudiciale genus, quia sit acre, comparare leoni, et deliberativum draconi, quia sit varium, et multarum conversionum; caprae vero demonstrativum, quia lasciviat.

Harpocrates.

Vs. 691. *Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.*

Harpocrates, Aegyptiorum deus, pingebatur clauso ore, digito labris admoto, quo significabatur linguam diligenter custodiendam atque cohibendam esse, nihilque silentio ac taciturnitate tutius. Nam ut dici solet:

Nulli tacuisse nocet; nocet esse locutum.

Iphis in marem.

Vs. 774. *Fer, precor, inquit, opem, nostroque medere dolori* [52]).

Insigne exemplum, licet fabulosum, quo monemur in summis etiam difficultatibus non desperandum esse, sed precibus confugiendum ad auxilium divinum.

---

50) *mitem*] sic Editt. 1555.. 1559.: Ovid. Ed. Mitsch. *mitis*.

51) Plutarch. de mulierum virtutibus, eo loco, quo de Lyciis mulieribus disserit.

52) *dolori*] Editt. 1555., 1559.: Ovid. Ed. Mitsch. *timori*.

In librum X. Metamorphoseon.

Urnae Belidum [53]).

Vss. 43 sq. *urnisque vacarunt*
Belides.

Belides, Danai regis filiae, hoc genus poenae apud inferos pendent, ut assidue aquam in dolium pertusum urnis similiter pertusis inferant. His urnis et huic dolio Plato in Gorgia assimilat animum incontinentem, qui effusis in omni intemperantia libidinibus agitatur. Eisdem persimiles sunt homines futiles, qui, ut ille Terentianus, pleni sunt rimarum, et undique effluunt. Potest etiam allegoria lepide exponi de fisco principis, quem omnes omnium civium fortunae explere nequeant.

De Sisyphi saxo et Titii iecore semper renascente, prius dictum est libro 4.

Orphei descensus ad inferos.

Vss. 50 sq. *Hunc simul et legem Rhodopeïus accipit Orpheus* [53a]),
Ne flectat retro sua lumina.

Audivi fabulam Orpheae similem, si modo dicenda est fabula, quam multorum testimonia affirmant esse historiam. Ferunt in Bavaria virum nobili familia natum extincta uxore tantum animo dolorem cepisse, ut nullam admitteret consolationem, ac vitam ageret in solitudine. Tandem ubi nullum finem lugendi faceret, uxorem eius comparuisse excitatam a mortuis, ac dixisse se quidem semel confecisse circulum vitae a natura datum, sed importunitate ipsius revocatam esse nunc in vitam, atque a Deo iussam uti eius consuetudine adhuc diutius, hac tamen conditione ac lege, ut matrimonium morte solutum denuo per sacerdotem solenni ritu iungeretur, utque deinceps ipse abstineret blasphemis conviciandi verbis, quibus uti consueverat. Se enim horum causa ei ademptam fuisse, atque iterum excessuram e vita, cum primum eiusmodi aliquod verbum edidisset. His actis, illam curasse rem domesticam, ut antea, et aliquot etiam peperisse liberos, semper tamen fuisse tristem ac pallidam. Post multos vero annos maritum vesperi potum, et ancillae iratum edidisse verba, quae non debebat; interea illam disparuisse e cubiculo, unde allatura erat marito poma, ac reliquisse muliebrem vestitum sine corpore stantem, quasi phantasma, ad cistam, ubi poma servabantur. Haec audivi ex multis viris fide dignis, qui affirmabant ducem Bavariae eadem retulisse duci Saxoniae pro veris. Sed Orphei fabulam exponamus. Pausanias [54]) scribit Orphea magicis artibus ac praestigiis evocasse umbram suae uxoris, quae postea statim evanuerit. Hinc equidem opinor confictam esse fabulam de illius uxore reducta ab inferis. Commendat autem fabula amorem coniugalem, et simul admonet, ne conficiamur luctu et desiderio mortuorum.

Prospiciens e specu in saxum [55]).

Est quoddam saxum specie viri e specu prospicientis, de quo finxerunt eiusmodi fabulam: fuisse hominem natura timidum, qui audita Herculis fama se abdiderat in specum: unde cum aliquando prospiceret, et forte Herculem adducto Cerbero praetereuntem conspicaretur, exanimatum immodico metu diriguisse in saxum. Meminit huius fabulae Erasmus in proverbio: Timidior prospiciente [56]).

Olenus et Lethaea in lapides [57]).

Cum Lethaea dotibus formae superbiens sese praetulisset Diis, eaque impietate conscivisset divinam iram et ultionem, Olenus maritus culpam uxoris in se transferens, una cum illa punitus est. Haec fabula idem docet, quod regula iuris: culpam esse, immiscere se rei ad se non pertinenti.

Orphei cantus.

Vs. 90. *Umbra loco venit; non Chaonis abfuit arbor.*

Sapientissimi homines, ut mitiores artes, nempe poeticam et musicam, pueris commendarent, finxerunt arbores, feras, volucres Orpheum admiratas, et canentem secutas esse. Fuit enim Or-

---

53) Haec, quae in Editt. 1555., 1559. male libri IX. enarrationi sunt inserta (vide supra p. 597. notam 49.) in hunc locum transposuimus.

53a) *Orpheus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *heros.*

54) Pausan. VI. c. 20.

55) Ovid. Met. X, 65—67.

56) Erasmi Adag. chil. I. cent. IX. prov. 2.

57) Ovid. Met. X, 69 sq.

pheus insignis poeta et musicus, qui agrestes et feros Thraciae populos cantu et suavitate carminum permulcens, ab inhumanitate traduxit ad mansuetudinem: id quod testatur Horatius [58]), cum inquit:

Sylvestres homines sacer interpresque Deorum
Caedibus et foedo victu [59]) deterruit Orpheus,
Dictus ob id [59]) lenire tigres rabidosque leones.

Constat autem poeticam et musicam habere summam vim ad ciendos et permulcendos hominum animos; nulla enim res ita penetrat in animos, ut harmonia numerorum et vocum, qua qui non moventur, nae illi rigidiores sunt feris et arboribus. Monachi, ut commendarent eloquentiam Antonii Patavini, hanc fabulam imitati, finxerunt pisces exsertis e mari capitibus audivisse illum in littore Adriatico concionantem. Erasmus Roterodamus ioco scribit, ex earum arborum genere, quae Orphea secutae sunt, fuisse quercus et fagos, quibus divus Bernardus usus est pro magistris (sic enim monachi de illo quoque fabulantur), aitque optandum esse, ut haberemus aliquos ex sapientissimis illis arboribus surculos, quos insereremus. Nam ita haberemus (ut comicus ait), unde disceremus.

Atys in pinum.

Vs. 105. *Exuit hoc* [60]) *hominem, truncoque induruit illo.*

Atys fingitur excisis genitalibus in pinum mutatus propter fructus arboris inutiles; nam Porphyrius philosophus de ratione naturali Deorum, scribit per Atym et Adonim inutiles fructus significari, et flores, qui decidunt, antequam ferant fructus.

Cyparissus in cupressum.

Vs. 137. *In viridem verti coeperunt membra rigorem* [61]).

Graeci κυπάρισσον vocant cupressum: hinc Cyparissus puer in cupressum mutatus, et ab Apolline dilectus fingitur eo, quod et poetices fuit studiosus, et poetarum scriptis celebratus est; tales enim Apollini aut Musis chari habentur. Ac quoniam cupressus succisa nunquam regerminat, ideo in exequiis olim adhibita, et ante mortuorum domus funeris signo posita est, quo ritu significabatur, hanc vitam esse mortalem, et semel amissam non recuperari. Alludit ad eundem ritum Ovidius his versibus (Vss. 141 sq.):

Ingemuit, tristisque Deus: Lugebere nobis,
Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit.

Ganymedis raptus.

Vss. 159 sq. *percusso mendacibus aëre pennis Arripit* [62]) *Iliaden.*

Herodianus historicus scribit Ganymedem, Trois regis filium, in quodam Phrygiae agro, cui nomen Pessimunti, interemptum a fratre atque amatore, sublatumque e medio. Deinde pro calamitatis solatio fuisse divinis honoribus affectum, relata ad Iovem raptorem fabula. Eusebius vero tradit eundem a Tantalo raptum et in Cretam Iovi missum, et postea bellum inde ortum inter Troem et Tantalum. Erat autem aquila insigne Cretensium: inde sumpta occasione finxerunt Iovem in aquilam conversum, rapuisse Ganymedem.

Hyacinthus in florem sui nominis.

Vss. 211 sq. *Tyrioque nitentior ostro Flos oritur.*

Lazarus Bonamicus, cuius in Italia auditor fui, cum enarraret Georgica Virgilii, referebat de hyacintho varias opiniones medicorum, inter quos aiebat esse quosdam, qui ita persuasum habeant, nusquam terrarum eiusmodi florem nasci, in cuius foliis notae litterarum reperirentur; se tamen Venetiis semel vidisse florem Alexandria allatum tali forma, qua poetae suum hyacinthum describunt. Porro quod ad fabulam attinet, flores amari ab Apolline finguntur, quod calore ac virtute solis evocantur ac vegetantur, sicuti aliquoties iam dictum est.

Cyprii in Cerastas.

Vs. 223. *unde etiam nomen traxere Cerastae.*

Cyprus a promontoriis olim Cerastis dicta est, hoc est, cornuta; nam promontoria quoque

58) Horat. ars poet. 391—393.

59) foedo victu — ob id] sic Editt. 1555., 1559.; Horat. Ed. Bentl.: victu foedo — ob hoc.

60) *hoc*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *hac*.

61) *rigorem*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *colorem*.

62) *Arripit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Abripit*.

vocantur cornua, ut apud Ovidium in epistola Phyllidis [63]):

Est sinus, adductos modice falcatus in arcus,
Ultima praerupta cornua mole rigent.

Hinc barbari [64]) et agrestes populi in promontoriis habitantes cornuti finguntur, tum propter situm loci, tum propter inhospitalitatem.

Propoetides in saxa.

Vs. 242. *In rigidum parvo silicem discrimine versae.*

Iustinus refert morem fuisse Cypriis, prostituere virgines ante nuptias, statis diebus ad dotalem pecuniam quaerendam: ex qua turpitudine fortassis nata est haec fabula. Propter extinctum vero pudorem Propoetides finguntur exhausto rubore fuisse, ore ita duro, ut parvo discrimine in silicem verterentur; nam oris vocabulum saepe usurpatur pro impudentia, ut apud Ciceronem pro Quintio [65]): Mihi videtur ore durissimo, qui praesente Roscio gestum agere conetur; qua in significatione etiam os ferreum dicitur.

Pygmalionis coniunx eburnea.

Vss. 248 sq. *Sculpit ebur, formamque dedit, qua femina nasci*
Nulla potest etc.

Similis fabula narratur de divo Francisco, qui cum esset caelebs, et a feminarum consuetudine abhorreret, tamen, ut desiderium, quo tenebatur, leniret, fertur sibi finxisse uxorem et liberos ex nive, quemadmodum Pygmalion Ovidianus ex ebore. Uxor vero Pygmalionis fingitur eburnea fuisse, vel propter corporis candorem (nihil enim est ebore candidius), vel propter nominis similitudinem, quia fortassis dicta fuit Ebur vel Eburnea. Fabula autem docet castam et pudicam uxorem a Deo dari et petendam esse.

Myrrhae amor.

Vs. 298. *Editus hinc* [66]) *ille est, qui sine prole fuisset,* etc.

Myrrha nefando patris amore capta, nutricis opera cum eo inscio concubuit. Ad exaggerandam huius sceleris magnitudinem, initio poeta lectorem tum attentum reddit, tum praemonet, ne eiusmodi scelus in exemplum rapiat, sed detestari ac vitare discat; sic enim inquit (Vss. 300—303.):

Dira canam, procul hinc natae, procul ite [67]) *parentes,*
Aut, mea si vestras mulcebunt carmina mentes,
Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum;
Vel, si credetis, facti quoque credite poenam.

Deinde quo ostendat non libidinem, sed Diabolum eiusmodi amoris autorem esse, excusat Cupidinem, ac transfert culpam in ipsas Furias, cum ait (Vss. 311—313.):

Ipse negat nocuisse tibi sua tela Cupido,
Myrrha, facesque suas a crimine vindicat isto:
Stipite te Stygio, tumidisque afflavit Echidnis
E tribus una soror etc.

Praeterea duo insignes loci sunt in hac fabula: alter de stellis ita perhorrescentibus incestum, ut sese abscondant, qua quidem prosopopoeia significatur nihil in rerum natura esse hoc nefario scelere detestabilius; alter de improbitate vetularum, quae plerumque sunt scelerum et flagitiorum administrae, ac inprimis ingeniosae in illis perficiendis, iuxta tritos sermone versiculos Aeneae Sylvii:

Non audit Stygius Pluto tentare, quod audent
Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.

Narratur fabula, hoc loco non aliena, de vetula, cui Diabolus erat pollicitus par calceorum, si discordiam concitaret inter coniuges, quorum ipse animos distrahere frustra tentaverat: id cum illa perfecisset, iamque ex pacto mercedem postularet, daemon ei calceos ultra fluvium porrexit suspensos longae hastae, tanquam ipse eam metueret, ac daemonibus peiorem iudicaret [68]).

Atalanta aureis pomis superata.

Vs. 680. *Praeterita est virgo, duxit sua praemia victor.*

Atalantae pernicitas aureis malis elusa et superata, facete referri poterit ad mobilitatem seu inconstantiam animi; ad hanc enim vincen-

63) Ovid. Epist. II, 131 sq.
64) barbari] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. et barbari.
65) Cic. pro Quintio 24, 77.
66) *hinc*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *hac.*
67) *procul hinc natae, procul ite*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *natae procul hinc, procul este.*
68) Eadem fabula invenitur in Lutheri colloquiis mensal. Ed. Foerstemann. P. III. p. 82.

dam nihil est auro efficacius. Magnus est autem istorum pomorum usus hodie in negotiis non solum amatoriis, sed etiam bellicis. Omnis enim spes victoriae in illis praecipue consistit, neque ulla est belli celeritas tanta, quae non possit illis proiectis vinci. Proinde reges ac principes inter se bello certantes, illis potius, quam ferreis globis nunc contendunt. Exemplum vero Hippomenis docet, ne simus ingrati pro beneficiis, praesertim divinis. Deus enim maxime offenditur ingratitudine, ac punit suorum beneficiorum immemores. Deinde et verissimum est, quod Xenophon ait: ingratitudinem sequi impudentiam, et impudentiam esse ducem ad omnem turpitudinem. Ergo et Hippomenes, cum esset ingratissimus, tandem factus est adeo impudens et impudicus, ut ne in locis quidem sacris effrenatam libidinem suam cohibere posset. Postremo, quia homines Venereo impetu fiunt immanes, recte etiam finguntur Hippomenes et Atalanta transire in leones, quibus nullum genus ferarum est truculentius.

Adonis in anemonen florem.

Vs. 735. *flos de sanguine* [69]) *concolor ortus.*

Adonidis casus docet venationem esse studium seu exercitium virorum fortium, non mollium ac delicatorum, quales plerumque sunt amatores. Nec sine causa fingitur puer formosissimus mutari in anemonen florem maxime caducum, nempe ut admoneamur, nihil esse minus diuturnum pulchritudine ac forma, iuxta illud [70]):

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo.

Pontanus ad physiologiam transfert fabulam, per Adonim intelligens solem, quo nihil formosius; per virilia, radios solares, quibus omnia humi nascentia generantur; per aprum, signum zodiaci Capricornum; is enim radios solares amputat, ubi dies in bruma fiunt contractiores; per Venerem, ipsam tellurem, quae solem amat, eoque carens squallet. Sic autem ait Pontanus primo de stellis:

Terra etenim solem queritur deserta cadentem,
Invidit quem tristis hyems, cui saevior apri
Horret cana gelu facies, qui plurimus imber
Crine madet, geminos et cum male contudit armos,
Ac veluti virgo absenti cum sola marito
Suspirat sterilem lecto traducere vitam,
Illius expectans complexus anxia caros,
Cum gravidos aperitque sinus, et terra relaxat
Spiramenta, novas veniat quo succus in herbas,
Diglomeratque nives, et grandine verberat auras.
Nam cum sol rebus praesit pater ipse creandis,
Ut sese aut manes bruma sub frigora transfert,
Tum tellus vidua sulcos oblimat in alvo,
Et tandem complexa suum laetatur Adonim.

Porro id hemistichion: *Coelo praefertur Adonis,* usurpari poterit loco proverbii, ubi significabimus voluptatem anteferri pietati.

69) *de sanguine*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *e sanguine.*

70) Ovid. Art. amat. II, 113 sq.

In librum XI. Metamorphoseon.

Orphei caedes [71]).

Orphei a mulieribus trucidati ac discerpti exemplum docet, nullas feras tam implacabiles se praestare, quam mulieres ira et odio incensas. Hae nulla sermonis suavitate leniuntur, neminem audiunt, nullis precibus exorantur; estque ita, quemadmodum apud Euripidem [72]) dicitur de malis mulieribus:

Δεινὴ μὲν ὀργὴ [73]) *κυμάτων θαλασσία* [73]),
δεινοὶ δὲ ποταμοὶ, καὶ πυρὸς θερμαὶ πνοαὶ,
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω δεινὸν, ὡς γυνὴ κακή [73]).

71) Ovid. Met. XI, 22 sqq.

72) Eurip. fragm. ex incert. tragoed. LIII, 1. 2. 4. Ed. Musgr.

73) *Δεινὴ μὲν ὀργὴ — θαλασσία, — κακή.*] sic Editt. 1555., 1559.; Ed. Musgr. *Δειναὶ μὲν ὀργαὶ — θαλασσίων, — κακόν.*

Lyra Orphei delata in Lesbum [74]).

Orphea Lyra significat studium poetices. Id apud Lesbios floruit, Orpheo in Thracia extincto; atque ideo fingitur ea pervenisse ex Thracia in Lesbum insulam, sicuti testis est Phanocles, vetus poeta, qui ait:

Ἐκ κείνου μολπαί τε καὶ ἱμερτὴ κιθαριστὺς
νῆσον ἔχει. πασέων τ' ἐστὶν ἀοιδοτάτη.

Loquitur enim de Lesbo insula et de lyra Orphei istuc delata.

Lucianus narrat de eadem lyra rem memorabilem et risu dignam; scribit Neanthum, Pyttaci tyranni filium, in Lesbo affectasse gloriam

74) Ovid. Met. XI, 50 sqq.

Orpheae similem, et furtim abstulisse divinam illam lyram, in templo Apollinis suspensam, qua in permulcendis feris Orpheum imitaretur; sed hanc imitationem ei infeliciter evenisse. Noctu enim eum obambulantem in suburbio, et imperite canentem lyra, excivisse omnes canes, iisque coëuntibus fuisse dilaceratum.

Anguis caput Orphei mordens.

Vss. 56 sq. *peregrinis anguis arenis*
Os petit.

Anguis in silicem mutatus, qui Orphei caput laceravit morsu, fuit Lesbius (ut opinor) obtrectator, qui mortuum insectatus est. Tales enim sunt et angue crudeliores, et duriores silice, qui famam bonorum hominum, praesertim mortuorum, lacerant.

Midae contactu omnia versa in aurum.

Midae fabula docet infinitam cupiditatem auri longe deteriorem esse paupertate: idque significat poeta, cum inquit (Vss. 129 sq.):

Copia nulla famem relevat, sitis ardua [75]) *guttur*
Urit, et inviso merito [75]) *torquetur ab auro.*

Apud Plutarchum extat historia huic fabulae prope similis, de Pythio, principe avaro, qui inventis aurifodinis, cum omnes cives eruendo et conflando auro ita fatigaret, ut aliud nihil agere possent, multique ob laboris magnitudinem perirent: uxor eius prudentia et probitate insignis, clam adhibitis aurifabris auream mensam, aureos panes et varia ciborum fercula ex auro fabrefieri curavit; quibus diligenter studioseque confectis, Pythio, qui dies aliquot ab urbe abfuerat, domum reverтenti et parari coenam postulanti mulier auream mensam afferri iussit, in qua nihil quidem, quod edi posset, appositum erat; sed omnia ex auro fabrefacta. Ac primo quidem adspectu gavisus est Pythius mira arte conspiciens singula elaborata: inde auri contemplatione iam abunde satiatus, sibi cibum afferri praecepit. Verum uxor cuncta, quae postulasset, ex auro confecta iubebat apponi; cumque ille iracundia percitus esurire se vociferaretur, neque se aurum id temporis amplius exposcere: ibi illa: Tu vero (inquit) nullius rei praeter hanc habendae facultatem praebes; omnis enim civium cura, omnisque ars tuo iussu in parando auro versatur, ut nemo iam agros colat, nemo hortos conserat, dum in his fodiendis ac perquirendis, quae minime usui esse possunt, tuo iussu omnes sunt occupati, nec pauci etiam eiusdem rei causa moriantur. Hac oratione non mediocriter commotus Pythius avarum suum animum commutavit, et quintam duntaxat civium partem in opere continuit; caeteros tum agriculturae, tum aliis artibus operam dare iussit. Haec Plutarchus in lib. de claris mulieribus [76]).

Caeterum Midae dissimillimus fuit rex Salomon, qui delata sibi optione, non immensas opes, nec totius orbis imperium, sed sapientiam elegit. Dissimillimus item fuit Ubaldus Feretrius, Urbini dux, qui se sapientia commutaturum (si fieri posset) omnes suas fortunas testatus est, cum dixit, se ad paupertatem deventurum, si sapientia veneat. Ut igitur huius principis et Salomonis votum ab omnibus laudatur: ita econtra vituperatur cupiditas auri, quam Midas habuit. Ac quoniam plerique regum ac principum sunt aut prorsus illitterati aut indoctiores, quam ut de musica, hoc est, de litteris et honestis artibus recte iudicare possint; nam in aulis, ut videmus, plerumque semilitterati doctissimis praeferuntur: ideo poetae finxerunt Midam quoque admirari agrestiorem musicam, nec favere Apollini. Tales enim Midae raro favent studiis, quibus ipsi non sunt exculti; ac melius diiudicare possunt, ut clangat tuba, quam ut numerus in oratione vel in versu apte cadat. Antaeus, Scytharum rex, fertur dictitasse, se magis delectari hinnitu equorum, quam cantu et symphonia. Huius aures a Musis tam alienas et abhorrentes, quis [77]) non asininas dixerit? Ergo non dubium est hanc fabulam esse confictam in principes avaros et indoctos, quibus pluris est aurum quam sapientia, infantia quam eloquentia, barbaries quam eruditio. Neque aliud sunt aures asininae, quae Midae affinguntur, nisi aures ineruditae: tametsi earundem allegoria possit etiam ad alia referri.

Iustinus refert ad delatores et exploratores, quorum sunt multi in aulis regum; sic enim scri-

75) *ardua — merito*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *arida — meritus.*

76) Plutarch. de mulierum virtutibus cap. ult., ubi de Pythei uxore disserit.

77) quis] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: quia.

bit: Sunt, quibus placet hac allegoria significatum Midam utpote tyrannum coryceos et subauscultatores dimittere solitum, per quos, quaecunque per omnem regionem vel fierent vel dicerentur, cognosceret, nimirum illis utens aurium vice. Proinde cum vulgus admiraretur ab illo resciri etiam ea, quae clam ac procul fierent, occasionem fabulae dederunt, ut Midas diceretur auriculas asini habere, vel quod nullum animal, excepto mure, acutius audiat quam asinus.

Alii fabulam exponunt de loco, et aiunt Midam habuisse oppidulum[78]), cui nomen *ὄνου ὦτα*, et ideo incidisse in fabulam, quod haberet asini aures.

Midae famuli vox in arundinem [79]).

Regum ac principum vitia teguntur tiara, hoc est, dignitate, qua ipsi sunt ornati; eo enim tegmine reges ac principes suam deformitatem occultant, neve manifesta fiant eorum vitia, obruuntur illa quidem scrobibus, sed ad tempus, donec e scrobibus enascantur cannae seu arundines vocales, hoc est, donec ipsis sepultis existant scriptores, qui posteris prodant turpia illorum facta. Vocales enim arundines nihil aliud significant, nisi scriptorum calamos, qui litterarum monimenta conficiunt. Hi enim calami vocem edunt, hi loquuntur, hi efferunt arcana scrobibus obruta.

De muris Troianis.

Vs. 207. *Non impune ferat*[80]), *rector maris inquit.*

Magna respublica non tam hominum opera et industria, quam numine divino constituitur. In republica vero bene constituta inprimis contractuum et rerum pactarum fides praestanda est: quorum utrumque ut poetae significarent, finxerunt Deos ad aedificandam urbem Troianorum accessisse ut architectos. Deinde eosdem propter neglectam fidem iurisque iurandi religionem, Troianis maximam calamitatem attulisse; nam perfidiosi ac periuri nunquam manent impuniti. Extat etiam apud Bocatium non invenusta huius fabulae expositio ad historiam accommodata. Refert enim Bocatius Laomedonta in aedificandis muris adiutum esse auro e templo Apollinis et Neptuni ablato. Deinde secuta inundatione causam publicae calamitatis in illum collatam esse. Similis fabula posset confingi de quibusdam Germaniae civitatibus, quod videlicet in exstruendis moenibus opera mortuorum sint adiuti, quia in multis locis Germaniae hoc tempore muri construuntur monimentis sepulcrorum e coemiteriis ablatis.

Thetis Nympha in varias formas [81]).

Certum est matrem Achillis fuisse praestantem feminam et maritimarum urbium vel insularum dominam, hancque ob causam fingi deam marinam. Quantum vero ex fabula intelligitur, non facile persuaderi potuit, ut Peleo, regi Thessaliae, nuberet. Itaque formae, in quas se mutavit, significant quandam animi varietatem, qua nuptias illius recusavit. Euripides in Iphigenia scribit insignia Achillis fuisse aureas Nereidas[81a]); ac fieri potest, ut propterea eius mater dicta et habita sit una ex Nereidibus.

De Autolyco et Philammone.

Vs. 313. *Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne.*

Autolycus homo dolosus et furax, ideo fingitur Mercurii filius, quia Mercurius in genitura infeliciter positus, plerumque tales format mores. Eadem ratio est de Philammone poeta, Apollinis filio. Nam sol ad honesta et liberalia studia excitat natos, in quorum genitura bono loco constitutus est. Multi autem reperiuntur hoc tempore similes illius Autolyci (Vss. 314 sq.):

Qui facere assuerat, patriae non degener artis,
Candida de nigris, et de candentibus atra.

Eo siquidem artificio nihil est usitatius, praesertim in aulis et in iudiciis forensibus, quique id artificium optime norunt, illi maximo in honore et pretio habentur.

Daedalion in accipitrem.

Vs. 340. *Cum se Daedalion saxo misisset ab alto.*

Daedalionis in accipitrem fabula detestatur640 ferociam principum, qui pacis et quietis inimici, tanquam accipitres bello et caede grassantur.

78) oppidulum] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. oppidum.

79) Ovid. Met. XI, 183 sqq.

80) *ferat*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *feres*.

81) Ovid. Met. XI, 241 sqq.

81a) Euripid. Iphig. Aul. 239 sq. Ed. Barnes.

Lupus in saxum.

Vs. 366. *Bellua vasta, lupus, sylvisque*[82]) *palustribus exit.*

Lupus hic fuit Pelei hostis, qui ad ulciscendam Phoci necem incubuit, et illum exulem persecutus est, multisque damnis affecit. Strages vero divinitus per hunc facta, docet Deum et esse humani sanguinis vindicem et homicidis irasci, eosque odisse ac graviter punire, id quod agnoscit ipse, cum (Vss. 397—399.):

tendens manus[83]) *in aperti littora ponti,*
Caeruleam Peleus Psamathen, ut finiat iram,
Orat, opemque ferat.

Peleus a caede expiatus.

Vs. 409. *Sumit ab Haemonio purgamina caedis Acasto.*

Homicidae olim erant cunctis invisi adeo, ut, si quis vel imprudens aliquem interfecisset, exilio mulctaretur, atque a civili excommunicaretur consortio. Erat tamen caedes per imprudentiam facta expiabilis. Quibus vero ritibus et caeremoniis expiatio fieri solita sit, intelligi potest ex libro primo[84]) Herodoti, ubi Adrastus a Croeso expiatur; servantur et hodie in Ecclesia certae expiationis caeremoniae.

Alcyone in avem.

In hac fabula primum observanda est descriptio tempestatis ac naufragii, qua vix extat alia illustrior. Initium descriptionis sumptum est a prognostico futurae tempestatis, videlicet a praecedente motu aquarum. Id enim certum est signum surgentis venti, quando aquae incipiunt albescere ac moveri. Hinc omnia, quae in tempestate accidunt, graphice depinguntur: impetus ventorum, clamor et trepidatio virorum, stridor rudentium, fremitus maris assurgentis et dehiscentis, fragor navis quassatae et fatiscentis. Ad haec assimilantur fluctus et venti hostibus machinisque bellicis; navis vero urbi obsessae, et decumanus fluctus militi, qui (Vss. 525. 527 sq.):

numero praestantior omni,
Spe potitur tandem, laudisque accensus amore
Inter mille viros murum tamen occupat unus.

Ad extremum depingitur naufragium, quomodo nimirum fractis malo et gubernaculo navis sit oppressa, quomodo ex hominibus alii statim in imum demersi, alii arreptis tabulis inter fluctus natarint, donec omnes simul perirent. Deinde observandum est exemplum amoris coniugalis; nam Alcyone quam charum habeat maritum, quam difficile ferat desiderium absentis, declarat gemitu, lacrymis, aliisque evidentibus signis. Dissuadet navigationem, cumque impedire hanc nequeat, collabitur prae dolore exanimis; diu item prospectat navim e portu discedentem: quae quidem omnia habent mirificam declarationem amoris. Similiter et Ceyx, quam charam habeat uxorem, testatur in extremo vitae periculo (Vs. 566 sq.):

Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus,
Nominat Alcyonen, ipsisque immurmurat undis.

Caeterum tota fabula aptissime accommodata est ad naturam aviculae, in quam Alcyone fingitur propter similitudinem nominis mutata. Est enim Alcyon avis, ita amans coniugis, ut nullo anni tempore a suo compare discedat, nisi quando excludit ova; sed quemadmodum nuptam decet, eum semper comitetur, eundemque senem[85]) et aegre volantem humeris ferat, ac foveat. Ad haec ova excludit in mari, ac tanquam naufragii memor construit nidum instar navis, ea forma, ut neque mergi neque everti fluctibus queat. Componit enim spinas aciculae piscis[86]), ac rectis alis ceu stamini, transversas, alias veluti subtegmen implicat; mox consertum recurvat, et in orbem reducit; et sic denique coaptat, ut opus navigii specie fiat turbinatum, perfectum littori, quo fluctus extremi pertingunt, applicat hic unda molliter feriens, nondum firma satis hiantiaque procellarum verbere deprehensa, sarcire docet; solida vero et iam cohaerentia constringit, figitque adeo, ut nec saxo, nec ferro dissolvi queant. Qua quidem in re magna cum primis admiratione dignum ostiolum est, ita factum, ut hanc unam subeuntem recipiat; caecum caeteris et ab-

---

82) *sylvisque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *ulvisque.*

83) *tendens manus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *manus tendens.*

84) primo] sic scripsi; legitur enim haec narratio in Herodoti libr. I. c. 33.; Editt. 1555., 1559. male: secundo.

85) senem] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: semen.

86) piscis] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. mendo typogr.: pisces.

ditum, nec aliud quicquam admittens, ne undam quidem, ut Plutarchus tradit in libro de industria animalium[87]).

Cimmerii.

Vs. 592. *Est prope Cimmerios longo spelunca recessu.*

Cimmerios, quorum meminit Homerus, constat temporibus belli Troiani habitasse in Italia prope Neapolim, Cumas et Puteolos. Apud hos perpetuam esse caliginem ac noctem, ideo poetae finxerunt, quia specus magis quam domos incolebant; deductisque cuniculis sub terra diversabantur, homines furtis ac latrociniis assueti. Orpheus in Argonauticis etiam meminit Cimmeriorum; sed eos ad septentrionem collocat, in locis ad Bosporum sitis, inter Rhiphaeum et Calphium, altissimos montes umbris et nebulis tectos. Constat autem vere Cimmerias tenebras esse in Islandia et Pilappia, ubi brumales dies adeo sunt contracti, vix ut lux compareat. Nam in Livonia dies circa brumam est non multo longior tribus horis. Sunt alii quoque Cimmerii, qui nullam unquam lucem conspiciunt, nempe homines ebriosi, quorum hic ad septentrionem infinitus est numerus. Hi noctu in cellis vinariis perpotant, et interdiu dormiunt. Recte igitur Ovidius somni domicilium aedificat apud eiusmodi homines crapulae et somno deditos.

87) Plutarch. de amore prolis c. 2.

Somniorum genera.

Vss. 634 sq. *Excitat artificem simulatoremque figurae Morphea.*

Somnia sunt imagines, quae fiunt in somno per spiritus varie discurrentes in cerebro. Sunt enim spiritus instrumenta cogitationum, ac plerumque somnia de iis offeruntur, quae vigilantes saepe cogitamus. Fingit autem Ovidius triplex somniorum genus: unum, quod rationis gestus imitatur, ut sermonem ac vultum: huic nomen Morpheo. Aliud, quod repraesentat animata quidem, sed ratione carentia: huic nomen Acelos, quia simulet formam animantis. Tertium genus est plane phantasticum, quo inanimata repraesentantur. Verum quia cogitationes magnorum hominum aliis in rebus versantur, quam cogitationes vulgi, diversis quoque somnis et non vulgaribus ipsi reges ac principes luduntur.

Aeacus in mergum.

Vs. 795. *Aequor amat, nomenque tenet, quia mergitur illo*[88]).

De mergo, cur subinde se demittat in fundum, etiam alia narratur causa, quam Ovidius hic fingit. Nam in apologis traditur fuisse negotiator, et naufragio amisisse merces: ideoque nunc obsidere littora ac se mergere in fundum, sicubi inveniat merces suas, vel in littus eiectas, vel in fundo haerentes.

88) *illo*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *illi.*

In librum XII. Metamorphoseon.

Serpens in saxum.

Vs. 23. *Fit lapis et servat serpentis imagine saxum.*

Per occasionem narrantur transformationes et conversiones rerum tempore belli Troiani factae, quae, quoniam ex Homero pleraeque ad verbum translatae sunt, id quoque utilitatis adferunt, quod docent rationem transferendi Graeca in Latinum. At fabula de serpente in Aulide passeres devorante, narratur ab Agamemnone apud Homerum secundo Iliados[89]). Extat etiam Latinis versibus elegantissime translata a M. T. Cicerone de divinatione[89a]).

Iphigenia in cervam[90]).

Iphigenia pro exercitu Graecorum a patre mactata, docet rempublicam ita caram esse regibus debere, ut, si necessitas postulet, ipsi communem populi salutem suae suorumque vitae anteponant. Extat fabula apud Euripidem, quae inscribitur Iphigenia in Aulide. Ipsa vero Iphi-

89) Hom. Il. II, 308 sqq.

89a) Cic. de divinat. II, 30, 63. 64.

90) Ovid. Met. XII, 31—34.

genia in cervam mutata fingitur eo, quod cerva in locum illius supposita, fuit Dianae immolata.

Famae domus.

De expeditione in Troianos haud dubie magna fuit fama, tam in Phrygia et in omnibus finitimis regionibus, quam in Graecia. Nullum enim bellum tam occulte parari potest, quin praecedat fama; in bellis autem multae sunt suspiciones; multa accidunt πανικά. Quod ut significet Ovidius, fingit domicilium famae inter coelum et terram, ubi omnia audiantur, omnia divulgentur; alluditque ad proverbium: πολλὰ καινὰ τοῦ πολέμου, multa belli inania, cum ait (Vss. 59 sq.):

Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaque laetitia est, consternatique timores.

Cygnus invulnerabilis.

Vss. 76 sq. *Congreditur Cygnus*[91]*; decimum dilatus in annum*
Hector erat.

Cygnus cum interfuisset multis proeliis, nec ullum unquam vulnus accepisset, denique et in bello Troiano citra vulnus esset extinctus, fabulis poetarum celebratus est, non modo ut fortis ac strenuus, sed etiam ut in omni vita invulnerabilis.

Telephus ab Achille vulneratus et sanatus.

Vs. 112. *opusque meae bis sentit*[92]) *Telephus hastae.*

Telephus Achillis hasta vulneratus et sanatus est, ut Ovidius alibi[92a]) testatur his versibus:

Vulnus Achilleo quae quondam fecerat hosti
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Hanc ob causam ita gloriatur hic Achilles de sua hasta, quod eam Telephus bis senserit. Plinius scribit Achillem a Chirone doctum, curasse Telephi vulnus per decussionem ferri; naturam enim ferri stipticam esse, ideoque eius limaturam emplastris plagarum adhiberi.

Qualia heroum colloquia.

Vss. 159 sq. *virtusque loquendi*
Materia est.

Magnorum principum ac fortium virorum colloquia debent esse de rebus honestis et gravibus; sunt autem honestissima colloquia de virtute. Itaque finguntur heroes apud Achillem in convivio non habere alios sermones nisi de memorabilibus factis (Vss. 157—165.):

Non illos citharae, non illos carmina vocum,
Longaque[93]) *multifori delectat tibia buxi.*
Sed noctem sermone trahunt, virtusque loquendi
Materia est; pugnam referunt hostisque suamque,
Inque vices adita, atque exhausta pericula saepe
Commemorare iuvat. Quid enim loqueretur Achilles?
Aut quid apud magnum potius loqueretur Achillem?

Nostri vero proceres, quando ineunt convivia, plerumque colloquuntur de helluatione, scortatione, morbo Gallico, aliisque rebus turpissimis. Hi sunt enim sermones, quibus hodie in conviviis potissimum sese exhilarant.

Nestoris longaevitas.

Vss. 187 sq. *vixi*
Annos bis centum; nunc tertia vivitur aetas.

De longaevitate Nestoris variae sunt opiniones. Quidam putant illum fuisse tantum nonagenarium, definientes aetatem, spatium triginta annorum. Ego vero arbitror Nestorem re vera tam longaevum fuisse: idque celebratum esse a poetis, ut rem inprimis memorabilem. Non est enim rarum fieri nonagenarium, cum adhuc non pauci reperiantur, qui prospera valetudine usque ad centum viginti annos vitam producant. Neque est incredibile, illis temporibus hominem temperantem, qualis fuit Nestor, pervenire ad tantam vitae longitudinem potuisse, cum ex annalibus constet, Ioannem, Caroli Magni armigerum, Nestori parem vixisse annos trecentos, cuius longaevi hominis meminit Baptista Mantuanus libro secundo de patientia; meminerunt et multi annalium scriptores, qui eum nominant Ioannem de temporibus.

Caeneus ex femina in marem.

Cum ex molli et ignavo adolescente Caeneus acer et bellicosus vir extitisset, dedit occasionem

91) *Cygnus*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Cygno.*

92) *sentit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *sensit.*

92a) Ovid. Remed. amor. 47 sq.

93) *Longaque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Longave.*

fabulae, quod ex femina conversus esset in marem. Est enim usitatum vulgo appellare eos feminas, qui sunt viris opprobrio. Sic Numanus ille Virgilianus[94]) Troianos vocat feminas:

O vere Phrygiae, neque enim Phryges: ite[95]) per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris
Idaeae: sinite arma viris, et cedite ferro.

Neque alia ratione nisi per opprobrium Caeneus vocatur femina, id quod patet ex his verbis, quibus Latreus Centaurus eum ita compellat (Vss. 470 sq.):

Et te, Caeni, feram? nam tu mihi femina semper,
Tu mihi Caenis eris.

Item (Vss. 474—476.):

columque,
I, cape cum calathis, et stamina pollice torque,
Bella relinque viris.

Invulnerabilis vero eadem de causa fingitur, qua Cygnus. Nam aiunt Caeneum fuisse rei bellicae peritum, adeo ut, cum plurima proelia fecisset, nunquam tamen vulneratus sit.

Centauri cur nubigenae.

Vss. 211 sq. ***Nubigenasque feros, positis ex ordine mensis,***
Arboribus tecto discumbere iusserat antro.

Thessaliae equites finguntur nubigenae, propter arces in altissimis montibus sitas, ubi fuerunt geniti; est enim Thessalia regio montosa. Eodem modo nubigenae fingi possunt apud Germanos equites Franci et Tirolenses; nam hi quoque in altissimis montium iugis gignuntur.

Convivium Lapitharum et Centaurorum.

Convivium Lapitharum et Centaurorum detestatur ebrietatem et caedes, quae ex ebrietate proveniunt; nam ebrietas impellit homines ad quodvis facinus, ut ait Horatius[96]):

In proelia trudit inermem.

Allegatur huius fabulae exemplum ab eodem Horatio in Odis[97]) contra ebrietatem his versibus:

At[98]) ne quis modici, transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super
Debellata mero[98]).

Non dissimile convivium meo tempore actum est in finibus Thuringiae et Franciae, ubi equites ad nuptias invitati Centaurice a poculis descenderunt ad arma, ipsumque sponsum cum praecipuis affinibus et cognatis trucidarunt. Lucianus describit simile convivium, in quo philosophi diversarum professionum ad nuptias invitati, non syllogismis, sed pugnis more Centaurorum et Lapitharum inter se contenderunt.

Vss. 601—603. Quid spicula perdis
Sanguine plebeio?[99]) *si qua est tibi cura tuorum,*
Vertere in Aeaciden.

Haec carmina usurpari possunt vice proverbii in admonitione ad principes, qui bellicam gloriam expetunt, ut intermissis bellis civilibus et plebeiis, acquirant victoriam non ex caede miserorum civium et rusticorum, sed ex bello adversus Turcam pro gloria Dei et defensione Ecclesiae suscepto. Hoc nimirum est ***verti in Aeaciden.***

Achillis interitus.

Vss. 608 sq. ***Ille igitur tantorum victor Achille,***
Victus es[100]) ***a timido Graiae raptore maritae.***

Locus communis de usitato heroum[1]) interitu. Saepissime enim accidit, ut fortissimi quique ab ignavissimis fraude interficiantur. Sic Scipio Africanus, sic Pompeius magnus, sic Iulius Caesar, multique alii perempti sunt. Fertur autem Achilles insidiose occisus a Paride in templo Apollinis; nam cum illuc venisset in colloquium cum Andromache, Hectoris uxore, de Polyxena in matrimonium ducenda, ex insidiis interfectus est telo Paridis, qui se in templo occultaverat. Et hinc conficta est fabula de Apol-

---

94) Virg. Aen. IX, 617—620.

95) ite] sic Virg.; Editt. 1555., 1559. male: ita.

96) Horat. Epist. I, 5, 17., ubi autem loco *inermem*, quod Editt. 1555., 1559. h. l. exhibent, in Ed. Bentl. legitur *inertem*.

97) Horat. Od. I, 18, 7—9.

98) At — super Debellata mero.] sic Editt. 1555., 1559.; Horat. Ed. Bentl.: Ac — super mero Debellata.

99) *Sanguine plebeio?*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Sanguine plebis? ait.*

100) *Victus es*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Vinceris.*

1) heroum] sic Ed. 1555. b.; Editt. 1555. a., 1559. herorum.

line exhortante Paridem, ac telum dirigente in Achillem.

Vs. 617. At vivit, totum quae gloria compleat orbem.

Alius locus communis de gloria, praeter quam omnia in hoc mundo sunt caduca. Haec enim sola est immortalis; caetera vero omnia, quantumvis magna, intereunt. Sunt igitur digni observatione hi versus (Vss. 615—619.):

Iam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvum quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quae gloria compleat orbem.
Haec illi mensura viro respondet, et haec[2]) *est*
Par tibi, Pelide[2]), *nec inania Tartara sentit.*

Vs. 628. Arbitrium litis traiecit in omnes.

Exemplum, quo admonentur principes, quomodo in gravibus et odiosis controversiis se gerere debeant, ut invidiam et offensiones declinent: nempe ita, ut legitimo iudicio controversias diiudicandas permittant, nec arbitrium litis sibi vindicent.

2) *haec — tibi Pelide*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *hac — sibi Pelides.*

In librum XIII. Metamorphoseon.

Contentio Aiacis et Ulyssis.

Vs. 1. *Consedere duces et vulgi stante corona.*

Aiacis et Ulyssis contentio de armis, sumpta est ex Euripidis Helena; ibi enim fit eius mentio a Teucro commemorante casum sui fratris[3]). Ac videtur conficta ad imminuendam eorum opinionem, qui arbitrantur nullam esse virtutem admiratione et honore dignam, nisi fortitudinem decertandi. Multi enim sic habent persuasum, bellatores antecellere omnibus hominum ordinibus, magisque necessarios esse reipublicae quam viros eloquentia, consilio et eruditione praestantes. Nec dubium est plurimos olim fuisse et Athenis et Romae hac opinione inflatos, qui occasionem huic figmento praebuerint. Tractatur igitur hac contentione locus communis, quem Cicero tractat in I. Officiorum, ubi disputat res urbanas praestantiores esse bellicis, cum inquit: Cedant arma togae, concedat laurea linguae[4]).

Sed Ovidius longe illustrius quam Cicero hunc locum explicat proponens ob oculos duorum principum contentionem, quorum alter animi et corporis viribus, alter eloquentia et consilio excellit: quodque mirificam habet gratiam, utrique personae affingit pro decoro orationem aptam et moribus convenientem. Aiacis oratio est militaris, incitata, plena iactantiae, plena indignationis; econtra Ulyssis oratio est urbana et oratoria, et quodammodo etiam veteratoria. Ille enim iactatorem, hic simulatorem refert, et quam ille insolenter, tam modeste hic causam suam agit. Ambae vero orationes pertinent ad statum iuridicialem; est enim disputatio, utri iure debeantur arma. Sed utrinque sumuntur argumenta a persona, cuius dignitas ducitur ex genere demonstrativo, a nobilitate parentum, et magnitudine rerum gestarum.

Aiax pro decoro militari utitur exordio acri et abrupto. Orditur autem a re praesenti; nam cum eo in loco causa ageretur, unde conspici posset classis Graecorum, quam paulo ante sua virtute servaverat, arripit hinc exordium, conquerens nihil esse indignius, quam eo loco, ubi non ita pridem ipse omnium fortissime pugnasset ac classem ab impetu et incendio hostili defendisset, nunc in dubium vocari suam virtutem, seque conferri cum Ulysse, homine loquaci et imbelli[5]), qui, cum defendendi essent socii, defendenda essent castra, eo ipso loco aciem deseruisset. Deinde argumentatur in hunc modum: Achillis arma iure deberi vel haeredi, vel praestantiori; se vero Achillis esse patruelem, et Ulysse praestantiorem tum nobilitate, tum virtute: ergo sibi iure deberi. Minorem probat, primum serie maiorum; deinde narratione et enumeratione rerum a se gestarum; rationemque sumptam a propinquitate et splendore natalium amplificat collatione familiae Ulysseae. Prius vero, quam exponat sua merita, commemorat

3) Eurip. Helena v. 101. Ed. Barnes.

4) Cic. de Offic. I, 22, 77.

5) imbelli] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. imbecilli.

Ulyssis turpiter facta: nempe Philocteten per scelus ab illo relictum in itinere; Palamedem virum praestantissimum eiusdem criminatione, dolo et invidia circumventum; Nestorem in acie desertum. Postea iactat sua facinora, videlicet se protexisse suo clypeo Ulyssem hostibus cinctum; se prohibuisse incendium a classe; opposuisse se Hectori igni et ferro grassanti. His factis e regione confert res Ulyssis, quas odiose extenuat. Postremo argumentatur a clypei magnitudine et splendore, quod Ulyssi, viro ad insidias nato, talis clypeus minime conveniat. Ac quemadmodum in exordio per indignationem se vultu et manibus iactat: ita et in fine orationis ostendit signum animi acris et indignantis, ubi pro decoro fingitur uti hoc colore rhetorico, seu potius militari, ex consequentibus (Vss. 120—122.):

Denique quid verbis opus est? spectemur agendo.
Arma viri fortis medios mittantur in hostes:
Inde iubete peti.

Haec est summa prioris orationis, quae etsi est diserta, tamen ad posteriorem collata, videtur quodammodo horrida et inculta. Nam Ulyssea oratio est adeo oratoria, ut nesciam, an Demosthenes vel Cicero in hac causa disertiorem habere potuisset. Seneca scribit Ovidium contendisse cum eloquentissimis declamatoribus sui temporis tractando hoc ipso argumento de iudicio armorum: unde non dubium est has orationes summo studio et iudicio elaboratas esse.

Porro initio dicendi non properandum oratori, sed paululum commorandum esse, quemadmodum Cicero et Quintilianus docent. Mora enim et expectationem auditorum excitat, et verecundiae speciem habet. Itaque in Ulysse, ut in oratore, depingitur alius gestus et habitus, quam in Aiace. Fingitur enim Ulysses, antequam initium dicendi faciat, stare cogitabundus, oculis in terram defixis (Vss. 125—127.):

Adstitit, atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, expectatoque resolvit
Ora sono.

Estque hic locus de Ulysse terram intuente sumptus ex tertio Iliados[6]):

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεὺς,
στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας.

6) Hom. Il. III, 216 sq.

Dispositio et paraphrasis[7]) orationis Ulysseae.

Vs. 128. *Si mea cum vestris valuissent vota Pelasgi.*

Exordium ex ipsa causa, ab affectu, quo captat principum benevolentiam a persona Achillis, quem ostendit esse causam huius contentionis.

„Si quid meae preces vestris coniunctae apud Deos immortales Graeci valuissent, nihil hac controversia nunc opus esset. Nam et Achilles adhuc vivus suis armis potiretur, et nos egregia eius virtute frueremur. At iniquitate fati (id quod sine lacrymis effari nequeo) ille mihi pariter et vobis ademptus est. Ecquis in possessione armorum tanto viro haeres succedet iustius, quam is, cuius ipse opera ad societatem huius belli accessit?"

Vs. 135. *Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur.*

Inversio ironiae, qua Aiax initio orationis suae contumeliose de eloquentia loquitur, cum ait (Vss. 9—12.):

Tutius est igitur fictis contendere verbis,
Quam pugnare manu. Sed nec mihi dicere promptum
Nec facere est isti. Quantumque ego Marte feroci,
Inque[8]) *acie valeo, tantum valet iste loquendo.*

„Cum vero eloquentia, ut probrum mihi obiiciatur, initio orationis meae peto, ne huic, qui ad arma tantum promptus, alioqui hebes est, nihilque utilitatis vel oratione vel consilio vobis unquam attulit, ipsa stupiditas prosit; neve mihi obsit haec (si quae est) facultas dicendi, qua nunc meam causam ago, et semper communi commodo atque utilitati vestrae servivi."

Vs. 140. *Nam genus, et proavos, et quae non fecimus ipsi.*

Refutatio argumenti de nobilitate generis, in qua Ulysses callide et prudenter dissimulat[9]) ea, quae sibi ab Aiace obiecta sunt de Anticlea matre a Sisypho stuprata. Vicissim autem obiicit ei patruum propter fraternam caedem exilio mulctatam. Qua in re observat praecepta, quibus rhetores docent, obiecta crimina, si palam negari

7) In sequenti enarratione locos, qui paraphrasin continent, his signis „—" notabimus.

8) *Inque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Quantus*

9) dissimulat] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: dissimulan

aut commode refutari nequeant, esse dissimulanda silentio: confutationis tamen loco similiter aliquid probri adversario obiiciendum, quod eum rursus pungat [10]), et apud auditores in contemptum adducat.

„Liceat igitur mihi, quod necessitas postulat, commemorare, quibus rebus alter alteri praestet, et absque invidia gloriari bonis, quae proprie nostra dicuntur. Nam Aiax, dum natalibus et maiorum imaginibus gloriatur, non suis, sed fortunae bonis se iactat. Si quid tamen nobilitate generis, unde nihil solidae et verae laudis nobis accedit, gloriandum est, ego quoque gloriari possum, me Iovis pronepotem esse. Laërtem enim patrem habeo, Laërtes Arcesium, hic Iovem. Neque ullus scelere contaminatus, et in exilium eiectus reperitur in mea familia paterna, ut in Aiacis. Auget quoque nobilitatem meam ipsa mater, quam Mercurii neptem esse constat. Atque ita utrumque parentem Diis genitum habeo. Sed quoniam (ut dixi) haec bona fortunae potius, quam nostra sunt, nihil in hac causa valeat, quod materno genere sum nobilior: quod in mea familia paterna nullus fratricida habetur. Quare omni nobilitate generis exclusa, solis in rempublicam meritis causam expendite."

Vs. 151. *Dummodo quod fratres Telamon Peleusque fuerunt.*

Refutatio argumenti de cognatione et iure haereditario.

„Deinde si in hoc negotio, ubi non de natalibus, sed de meritis contentio est, tanquam in adeunda haereditate propinquitas valeret, haec arma non Aiaci, sed Pyrrho, filio Achillis, iure deberentur. Si vero is non relictus esset haeres, Peleo, Achillis patri, qui adhuc vivit, haereditas obveniret. Videte ergo, quam impudenter faciat Aiax, qui, cum non sit gradu proximus, tamen haereditario iure audet arma postulare. Quid dicam de Teucro, ipsius fratre germano? Cur eandem haereditatem non petit? Est enim Achilli non minus cognatione patruelis, quam ipse Aiax. Sed ideo non petit, quia intelligit ea sibi nullo propinquitatis iure deberi."

Vs. 159. *Ergo operum quoniam nudum certamen habetur.*

Conclusio, quae praeparat aditum ad narrationem suorum meritorum in rempublicam.

10) pungat] sic Editt. 1555.; Ed. 1569. pugnat.

„Itaque cum in hac causa neque nobilitas, neque cognatio, sed sola utriusque virtus et merita spectanda sint, ego paucis attingam nec singula, sed praecipua, quae pro communi exercitus salute in hoc bello peregi."

Vs. 162. *Praescia venturi genitrix Nereïa leti.*

Inchoat narrationem ab Achille adducto, colligens omnia eius facta sibi adscribenda esse; se enim horum fuisse causam.

„Ac primum (ut ordinem rerum in narrando sequar) scitis, quanta cura et sollicitudine Thetis mater Achillem filium custodierit, ne in expeditionem hanc proficisceretur, quam ex oraculo praenoverat ei fatalem esse. Abdidit eum in gynaecium regis Lycomedis, ubi inter puellas vestitu muliebri lateret. Cum vero a vobis desideraretur, essetque obscurum, ubinam delitesceret, quave ratione posset inveniri: ego dedi operam, ut investigarem, ubi versaretur. Cumque explorassem eum occultari in Scyro insula, clam illuc profectus sum, allatis mecum variis mercibus, quibus et puellae et iuvenes delectantur. His expositis ad gynaecium regis, cum accedentes puellae contemplarentur, et cuperent, quae ipsis placebant: Achilles adhuc muliebri veste indutus, arripit parmam et hastam: unde coniecturam feci, hunc ipsum esse Achillem. Itaque eum allocutus et hortatus sum, ne subterfugeret militiam, neve dubitaret nobiscum oppugnare Troiam, ad cuius interitum ipse natus esset. Effeci denique, ut mecum huc proficisceretur, et in bello egregiam vobis operam navaret. Ergo quicquid ab eo praeclare, quicquid utiliter hic gestum, mihi sane debetur. Ego Telephum domui; ego insulas et urbes Troiae vicinas expugnavi; ego denique praestiti, ut esset, qui saevum et omnibus formidabilem Hectorem compesceret atque prosterneret. Quare his armis, quibus ego Achillem tunc indui, me pro tanto in rempublicam merito nunc donari atque ornari non iniquum esse censeo."

Vs. 181. *Ut dolo unius Danaos pervenit ad omnes.*

Quod rem difficillimam, sed utilissimam confecerit, persuaso Agamemnone, ut filiam pro salute Graecorum immolaret ad placandam Dianam.

„Alterum hoc beneficium mihi quoque acceptum ferri debet, quod, cum universus exer-

citus noster iam convenisset, in Phrygiam classe transmissurus, nec idoneam tempestatem haberet, ac propterea in Aulide diu haereret otiosus: ego tandem perfeci, ut classis inde solveret; persuasi enim Agamemnoni, ut Iphigeniam, filiam suam, pro salute exercitus immolaret Dianae, quae irata adversis ventis nos remorabatur, et illam ad sacrificium sibi hostiam dari poscebat. Quanta vero difficultate hoc a patre impetraverim, ipse mihi testis est. Fateor equidem (fatenti autem Agamemnon ignoscat, oro) me in hac causa adhibuisse omnes ingenii vires, omnes eloquentiae machinas, quibus eum impuli in hanc mentem, ut statueret sibi quoquo modo tolerandum et concedendum esse, quod publice prodesset; utque amorem erga fratrem, et quam in exercitu summam potestatem habet, paternae caritati anteferret. Iam accedente patris voluntate, matrem arte circumveni, quia sciebam hanc nullis rationibus in eandem voluntatem adduci posse. Ad hanc si Aiax fuisset missus, nostra classis etiam nunc impedita illic haereret in portu."

Vs. 196. *Mittor et Iliacas audax orator ad arces.*

Quod periculosam obierit legationem, cum Paris [11]) accusandus esset apud Troianos.

„Quid? quod etiam periculosissima legatione functus sum, cum mitterer Troiam legatus ad reposcendam Helenam: ubi cum Paridis scelus, et ipsum acriter accusassem, et permovissem Priamum et Antenorem: vix effugi violentiam Paridis et aliorum, qui mihi nefarias manus inferre conabantur, sicuti tu nosti, Menelae, qui eiusdem legationis et periculi socius fuisti."

Vs. 205. *Longa referre mora est, quae consilioque, manuque.*

Congeries multarum rerum, quibus se profuisse reipublicae commemorat.

„Longum est commemorare omnia, quae toto illo tempore cum Troianis in obsidione habuimus, utiliter consului, ac manu mea feci: hostes initio belli aliquot proeliis repressi, diu moenibus se continuerunt, nec postea nobiscum aperto Marte conflixerunt, nisi decimo demum anno. Quid tu interea, qui manu tantum strenuus es, quid fecisti? quis tui fuit usus tam diuturno tempore? Si vero requiris, quid ipse fecerim: ego interea hostibus insidias tetendi; castra et navalia fossis propugnaculisque communivi; socios consolatus sum, ne frangerentur mora belli; curavi, ut exercitus noster abundaret commeatu; de armandis quoque militibus multa utiliter monui; nusquam non missus sum, ubi necessitas postulavit."

Vs. 216. *Ecce Iovis monitu, deceptus imagine somni.*

Quod seditionem in castris sedaverit, ac prohibuerit, ne exercitus dilaberetur.

„Ad haec, cum Agamemnon divino somnio deceptus, fingeret se infectis rebus dimissurum esse exercitum, meministis, ut plerique ruerint in naves. Non incuso hîc Agamemnonem, cuius factum autore Iove defendi potest; sed Aiacem incuso, qui Graecos fugam molientes, non modo non revocavit a turpi proposito, id quod talem bellatorem in primis decebat, sed etiam ipsemet tum meditatus est fugam. Vidi enim, ac puduit me tui, Aiax, cum tu instrueres navem, et inhonestam abitionem parares. Ibi ego praecipue retinui in officio militem; revocavi fugientes; compescui acribus verbis contumaces, et dixi, ne post tanti temporis moram relinquerent obsidionem, proque victoria ex hostibus, sempiternum dedecus reportarent. Dolor enim tunc suggerebat mihi orationem, pro republica laboranti, ne quid fieret tanto exercitu indignum, quod ad posteritatem nobis omnibus afferret ignominiam. Cumque Agamemnon convocaret principes ad sedandum multitudinis motum, ne tum quidem Aiax habuit, quod in medium consuleret, vel solummodo hisceret. Ego vero non solum in consilio dixi, quae prodessent, sed et clamosissimum quemque ex plebe compescui, nec passus sum Thersiten impune regi caeterisque principibus facere convicia. Exhortatus sum socios ad tolerandos ac perferendos belli labores; acui ad pristinam virtutem, eorumque animos iam deiectos iterum erexi. Quare si quid ex eo tempore etiam iste utiliter magnoque animo gessit, mihi inde aliqua gratia debetur, qui eum ex fuga retraxi."

Vs. 238. *Denique de Danais quis te laudatve petitve?*

Inversio argumenti, quod Aiax obiicit Ulyssi, cum inquit (Vs. 100.):

Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto.

11) Paris] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: Patris.

Atque haec inversio amplificatur ex signis consequentibus, quibus Ulysses probat se pugnasse acrius ipso Aiace, quia exceperit vulnera non clypeo, sed adverso corpore, Aiacem vero semper sibi cavisse, ne vulneraretur.

„Illud autem in magna laude pono, quod Diomedem, virum fortissimum, sine quo iste ait nihil a me gestum esse, socium habeo consiliorum et laborum: cum ipse tam parvi fiat, ut nemo ex Graecis omnibus eum sibi socium expetat. Me vero Diomedes ex tanto numero solum elegit, quo socio maxima obiret pericula. Scitis enim me non sorte illi adiunctum, sed ab ipso fuisse iudicio electum, ut speculatores ingrederemur castra hostium. Qua in re quantum periculi susceperim pro utilitate publica, vobis constat. Neque sine fructu nostra fuit diligentia. Nam Dolonem eadem ausum, quae nos, interemi, non ante tamen, quam ex ipso omnia explorassem, quae hostes machinabantur. Confectum erat negotium, cuius causa exieram, iamque poteram redire cum laude rebus hostium praeclare exploratis et cognitis per Dolonem; sed ut amplius de patria mererer, accessi etiam ad ipsa castra hostium, ibique Rhesum, potentem illum regem, cum multis primoribus Thraciae in tentoriis suis interemi, et capto regio curru similis triumphanti reversus sum. Nunc igitur (si Diis placet) mihi denegate illius arma, cuius equos Dolon, Troianorum speculator, ausus erat petere pro nocturna sua opera, sitque melius de vobis meritus Aiax, quam ego. Ac ne putetis me insidiis tantum et lingua cum hostibus bellare, vobis notum est, quomodo me gesserim in acie, cum incidissem in copias Lyciorum, quamque multos praestantes viros ex illis mea manu interfecerim. Nec desunt mihi cicatrices adverso corpore exceptae, quas, si verbis meis fidem non habetis, en adspicite. Libet enim eas exhibere ac proferre tanquam testes meae virtutis, id quod Aiax non potest. Si quod enim vulnus accepit per tot annos, ipse ostendat."

Vs. 268. ***Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga.***

Concedit esse quidem vera, sed non uni arroganda, quae Aiax retulit de classe, et de monomachia.

„Iam vero concedo ei hanc laudem (nolo enim quicquam ei detrahere), quod pro tuenda classe et reprimendo hostium impetu strenue arma ceperit; sed ita tamen concedo, ut aliis quoque communem. Non solus enim propugnavit classem, nec solus propulsavit hostes, sed socium habuit Patroclum, qui propter arma Achillis, quibus tunc erat indutus, intulit hostibus tantum terroris, ut in fugam converterentur. Quia etiam nimis arroganter iactas te solum singulari certamine ausum congredi cum Hectore, oblitus Agamemnonis, Menelai, mei, et aliorum, qui idem facturi erant, si per sortem, qua praelatus es, licuisset; quamquam in eo certamine nihil laude dignum effecisti, cum Hector abierit sine vulnere."

Vs. 280. *Me miserum quanto cogor meminisse dolore.*

Refutatio argumenti de inutili armorum usu per inversionem.

„Nunc autem non sine acerbissimo dolore mihi in mentem venit, ut Achillis interfecti corpus, adhuc armis indutum, sustulerim in meos humeros, ac reportaverim in castra: quod cum fecerim luctu et dolore prope exanimatus, an veremini, ne sim par solis armis gestandis? Ac mihi, principes, non modo sunt vires ad gestanda arma, sed etiam mens est, quae eorum dignitatem ac pretium intelligit. Ideone putatis Thetin, Achillis matrem, voluisse tanta cura fabricari haec arma, ut imperitus et stolidus miles ea circumferat? Quid enim iste intelligit Pleiades, Hyadas, et alia ornamenta in clypeo insculpta?"

Vss. 296 sq. ***Quid? quod me, duri fugientem munera belli, Arguit*** etc.

Inter turpia facta obiectum est Ulyssi, quod simulatione militiam subterfugere voluerit. Ad hanc criminationem ipse nunc respondet, eamque ita diluit a simili.

„Porro cum ait me simulatione subterfugisse militiam, ac serius venisse ad exercitum, non tam me quam Achillem arguit. Si quid enim criminis habuit simulatio, qua usus sum, ipse etiam Achilles non caret crimine, qui eadem usus est. Si vero mora culpari debet: ego minus sum culpandus, qui veni maturius quam Achilles. Alioqui uterque nostrum iustas habuit causas, cur eiusmodi simulatione uteretur: illum pietas matris, me pietas uxoris detinuit [12]): pri-

12) detinuit] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. male: detinui.

mum illis, postea vobis satisfecimus (et ut spero) cumulatissime. Quod si tamen hae causae fortassis me non excusant: ego non recuso in eo accusari et reprehendi, quod mihi commune est cum tanto viro. Verum utut est, interimg lorior simulationem illius meo ingenio, et meam non ingenio Aiacis deprehensam esse."

Vs. 306. *Neve in me stolidae convicia fundere linguae.*

Translatio criminis de Palamede et Philoctete. Nam ipse culpam utriusque facti transfert in principes, ostendens communi eorum suffragio alterum condemnatum, alterum in Lemno relictum esse. Translationi vero criminis de Philoctete additur in fine ironia et ἀδύνατον ad amplificandam confutationem criminis, et ad exagitandam Aiacis stoliditatem.

„At non mirum est eum in me contumeliosum esse: vobis etiam contumeliosa obiicit. Si enim facta est Palamedi iniuria, magis ad vos, qui eum condemnastis, crimen pertinet, quam ad me, qui eum accusavi: siquidem gravius est damnare innocentem, quam accusare. Sed non est facta illi iniuria. Nam causa manifestis rebus tenebatur: convictus est proditionis, auro et litteris hostium repertis in ipsius tentorio. Nec video, quo iure me accuset de Philoctete, cum illum vestro consensu reliquerim in Lemno. Suasi equidem, ut se abduceret a molestia belli et itineris, et ut in loco tranquillo suae valetudini serviret, quod et fecit. Sed cum hac ratione vitam retineat, eventus testatur, me fidele consilium ei dedisse. Ac quia vates indicant eo quoque viro opus esse ad capiendam Troiam, praecipiuntque ipsum adduci: ne mihi, sed Aiaci iniungite, ut suo eloquio et ingenio eum vobis placatum adducat, qui magnitudine dolorum furens, irascitur omnibus; sed prius tota rerum natura mutabitur, quam Aiax sine me adducet Philocteten, qui quantumvis sit iratus [13]) et Agamemnoni et mihi, meque execretur, accedam eum et mecum reducam. Nec minus potiar (Deo volente) ipsius sagittis, quam aliis rebus potitus sum, quibus studui vobis prodesse: ut cum Helenum vatem coegi aperire Troianorum fata, eiusque oratione edoctus, Palladium sustuli."

13) iratus] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. mendo typogr.: ratus.

Vs. 339. *Nempe capi Troiam prohibebant fata sine illo.*

Amplificatio ablati Palladii, quantum videlicet momenti in eo fuerit, et quanta cum difficultate, quantoque cum periculo ipse id abstulerit. Hoc autem factum propterea sic amplificatur, quia Aiax in sua oratione id extenuat.

„Quae cum omnia reipublicae salutaria a me gesta sint, et quidem summo cum periculo meo, tamen Aiax non erubescit se mecum conferre. Nempe erat in fatis, ne Troia caperetur sine isto signo: ubi tunc Aiax ille magniloquus? qui cum unus omnium fortissimus velit haberi, cur non audebat tum, quemadmodum ego, contemnere vitam pro salute vestra, et noctu per excubias totque armatos hostes ingredi non modo urbem, sed arcem Troianorum, atque inde ex ipsis penetralibus templi auferre signum illud fatale? Quod nisi ego praestitissem: Aiax iam frustra se ostentaret ista mole septemplicis clypei. Illa siquidem nocte peperi vobis victoriam, patefeci hostium moenia, tradidi urbem quasi captam, cum transtuli ad vos Palladium."

Vs. 350. *Desine Tydiden vultuque et murmure nobis.*

Repetitio superioris argumenti: gestum nihil est Diomede relicto. Id argumentum nunc amplificat collatione, quod quidem uterque adiutus sit alieno praesidio; sed ipse unius tantum, Aiax vero multorum.

„Non est, cur Diomedem oculis et murmure ita designes; ego candide impertior ei suam laudem. Nec tu solus defendisti classem, quamvis eius rei gloriam tibi soli arroges. Ego vero ab uno tantum adiutus sum, qui, nisi statueret virum sapientem bellatori anteferendum esse, haud dubie etiam sibi arma dari postularet."

Vs. 354. *Qui nisi pugnacem [14]) sciret sapiente minorem.*

Collatio sapientiae et virtutis bellicae.

„Quid dicam de aliis principibus virtute bellica praestantibus, de Aiace Oileo [15]), Eurypylo, Thoante, Idomeneo, Merione et Menelao? qui cum magnitudine animi sint nequaquam

14) *pugnacem*] sic Ovid. Ed. Mitsch.; Editt. 1555., 1559., male: *pugnarem*.

15) Aiace Oileo] sic recte Ed. 1555. b.; Editt. 1555. a., 1559. male seiunctim: Aiace, Oileo.

te inferiores, si manu decertandum sit, tamen nemo eorum, ut tu, mecum hic in iudicio contendit de rerum gestarum gloria; sed nimirum hi omnes intelligunt, quanto plus praesidii sit in prudentium consiliis, quam pugnantium viribus. Tu quidem ad arma promptus, sed temerarius; tu robustus, sed nullius consilii es: ego in rebus gerendis provideo, quid futurum sit. Tu miles dimicando; de tempore dimicandi Agamemnon mecum deliberat. Tu tantum prodes corpore, ego animo. Et si dicere licet, quantum gubernator navis remigi, quantum dux militi, quantum denique pectus, in quo omnis nostri corporis vis est, manui praestat, tantum ego tibi antecello."

Vs. 370. *At vos, o proceres, vigili date praemia vestro.*

Conclusio per obtestationem.

„Quae cum ita sint, principes, facile statuetis, utri nunc arma iure tribuatis. Me quidem (ut spero) non fraudabitis isto praemio, quod peto pro vigiliis et laboribus susceptis publicae salutis causa. Victoriam habetis in manibus; mea enim opera effeci, ut nihil iam obstet, quo minus Troia capi possit. Quare per communem spem, per optatum Troiae interitum, per Deos, quos hostibus eripui, vos oro, si quid sapienter et periculosum agendum superest, in quo industria et fides mea vobis usui esse possit, ut mei rationem habeatis, aut, si omnino censetis arma mihi deneganda esse, tunc Palladi, cuius fatale signum en videtis, ea consecrate."

Vss. 382 sq. *Mota manus procerum est, et, quid facundia possit* [16]),
Re patuit.

Effectus eloquentiae (ut inquit Cicero) est audientium approbatio [17]). Itaque Ulysses ut homo eloquens, magno applausu locutus fingitur. Est autem haec contentio hominis eloquentis cum homine bellatore, conficta (ut supra diximus) ad minuendam Thrasonum arrogantiam, qui a studiis litterarum alieni, de nulla re bene existimant, nisi de re militari: id quod poeta in fine, quasi insultans contemptoribus eloquentiae, indicat, cum ait (Vs. 383.):

fortisque viri tulit arma disertus.

16) *possit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *posset.*

17) Cic. Quaest. Tusc. II, 1, 3.

Lutherus solebat dicere, equites licet contemnerent prae se litteratos, tamen agnoscere, studium equestre esse inferius studio litterarum: ideoque abiectis caudis equinis, quas olim gestassent, nunc imposuisse sibi pennas, et habere eas in vertice capitis tanquam tropaeum a litteratis positum. Nam ipse pennas, artificium scribendi, ioco interpretatur.

Clypeus Achillis [18]).

Achillis, summi bellatoris, clypeus non otiosis, sed eruditis picturis ornatus, admonet honestas litterarum artes principibus et praesidio et ornamento esse, earumque tuendarum curam ne inter arma quidem esse deponendam. Homerus [19]), unde haec pictura clypei sumpta est, fingit Vulcanum in eo fabricasse astrorum cursus, nuptias, iudicia forensia, item proelia, et obsidionem urbis: quae quidem sapientissimus poeta ideo in clypeo fortissimi principis depingenda duxit, ut doceret, utramque curam, et pacis et belli, ad principes pertinere. Eos rebus pacatis debere curam adhibere, ut honestarum artium studia floreant, ut ius matrimonii castum et legitimum teneatur, utque recte constituantur et exerceantur iudicia, quibus controversiae et lites civium diiudicari et dirimi possint. Belli vero tempore ipsis principibus necessariam esse rei militaris scientiam, ut defendere cives, et propulsare hostes queant. Ad hanc Achillei clypei picturam referendum est illud Iustiniani Imperatoris dictum: imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, verum etiam legibus armatam esse debere.

De Palladio.

Vs. 337. *Phrygiae signum penetrale Minervae.*

Troia fingitur eversa, postquam Palladium fuit illinc ablatum. Eo figmento significatur, tum demum everti respublicas, cum sapientia ex urbibus sublata est. Pallas enim, cuius id erat simulacrum, Dea sapientiae et consilii olim habebatur. Fieri autem potest, ut Troianum regnum habuerit aliquas significationes, quam diu duraturum esset: atque extitisse vaticinium de illo ipso simulacro Palladis, tanquam de signo fatali. Nam imperia et regna plerumque habent

18) Ovid. Met. XIII, 291—294.

19) Hom. Il. XVIII, 468—617.

signa quaedam fatalia de incremento et inclinatione fortunae.

Procopius de bello Gothorum libro secundo tradit, Palladium fuisse redditum Aeneae in Italiam venienti; nam Diomedem, qui Ulysse iuvante illud ex arce Troiana sustulerat, esse admonitum oraculo, cum graviter ac periculose aegrotaret, si vitam retinere vellet, ut Palladium restitueret viro Troiano. Scribit autem (si recte memini) fuisse simulacrum instar proeliantis et vibrantis hastam; nec Graecae, sed Aegyptiae imagini simile; diuque conservatum fuisse Romae in Fortunae fano; postea translatum esse Constantinopolim, ibique defossum in foro Constantini. Arbitror Imperatorem Constantinum ita persuasum babuisse, ibi fore imperium orbis terrarum, ubi simulacrum illud custodiretur.

De sagittis Herculis per Ulyssem allatis.

Vs. 401. *Vela dat, ut referat Tirynthia tela, sagittas.*

Graecis datum erat oraculum, Troiam capi non posse sine sagittis Herculis (Vs. 402—404.):

Quae postquam ad Graios, domino comitante, revexit,
Imposita estque fero [30]) *tandem manus ultima bello;*
Troia simul Priamusque cadunt.

Hoc oraculo significatum est, magnas res confici non posse, sine heroum auxilio.

Interitus Aiacis.

Quam infirma et fragilis sit humana virtus, admonet exemplum Aiacis consciscentis sibi mortem propter acceptam levem iniuriam. Antea nunquam erat armis victus; nunc ira vincitur et succumbit stulto dolori. Hanc fragilitatem humanae virtutis diligenter considerat poeta, et pulchre depingit, cum ait (Vss. 384—386.):

Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Iovemque
Sustinuit toties, unam non sustinet iram,
Invictumque virum vicit dolor.

30) *estque fero*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *est sero.*

Verissimum est igitur, quod scribit Plato [21]), vincere se ipsum esse omnium victoriarum primam et optimam. Est enim maius vincere animum et cohibere iracundiam, quam superare hostem. Huc pertinet ille versiculus Briseidis ad Achillem:

Vince animos iramque tuam, qui caetera vincis.

Hecubae calamitas, lamentatio, et transformatio.

Graviter et prudenter deplorat poeta insignem Hecubae calamitatem, ad commonefaciendos lectores de instabilitate ac vicissitudine rerum humanarum, ne quis videlicet rebus secundis se efferat; sed quilibet cogitet, se ex summa felicitate in similem calamitatem et miseriam incidere posse. Sic enim converso ad illum sermone ait (Vss. 483—487.):

Teque gemunt, virgo, teque, o modo regia coniunx,
Regia dicta parens, Asiae florentis imago;
Nunc etiam praedae mala sors, quam victor Ulysses
Esse suam nollet, nisi quod tamen Hectora partu
Ediderat [22]). *Dominum matri vix reperit Hector.*

Magna est autem calamitas uxorem potentissimi regis, et clarissimi principis matrem, adeo vilem [23]) et abiectam fieri, ut omnes captivam aspernentur, nec quisquam ancillae loco eam habere dignetur. Eiusmodi triste ac miserabile spectaculum rerum humanarum diligenter considerandum est, ac in primis observandum hoc loco, quod inquit poeta (Vs. 487.):

Dominum matri vix reperit Hector.

Nihil enim potest hoc ipso loco ad deplorandam Hecubae calamitatem dici miserabilius.

Attribuitur vero ei lamentatio plena affectibus, qua filiam deplorat, quam e complexu ipsius raptam Graeci ad tumulum Achillis immolaverant. Est enim in singulis paene verbis πάθος, ut cum ait, illam esse ultimam, quam tot orbata liberis iam lugere possit; item illam quamvis feminam, tamen interiisse cruenta morte; nec illi profuisse sexum, qui feminas a caede tueri solet iure belli; denique illam ab uno et

21) Plat. Opp. ed. H. Steph. T. II. p. 626, e.
22) *Ediderat*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Edideras.*
23) vilem] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. mendo typogr.: vitem.

eodem hoste perditam esse, a quo caeteri ipsius liberi sint perditi, id quod in primis erat miserandum. Ad haec, collatione aliorum vocat se omnium miserrimam, suamque privatam calamitatem dicit publica calamitate graviorem esse; nam eversa urbe publicam calamitatem esse finitam; se vero nondum calamitatibus suis defunctam esse. Se olim potentem ac felicem, nunc omnium infelicissimam ac miserrimam, avelli suorum tumulis, trahi procul a patria in servitutem, haberi ludibrio, ac praebere tristissimum spectaculum rerum humanarum. Postremo duo sunt ad movendam in fine commiserationem, valde pathetica: alterum, ubi queritur de sua vivacitate, quod frangi doloribus et extingui nequeat, sed reservetur pluribus malis, praedicans a contrario felicitatem mariti, qui morte ereptus sit omnibus his malis; alterum, ubi deplorat sortem filiae, quod ei non contigerit eadem fortuna, quae caeteris Priami liberis tamen contigit: nempe ut in patria honeste sepelirentur. Caeterum Hecuba fingitur conversa in canem, vel propter quandam animi acerbitatem et rabiem, solent enim ira efferati vulgo appellari canes; vel propter insignem contemptum, in quo fuit apud insolentissimos hostes adeo despicata, ut ne hominis quidem, sed canis loco haberetur. Quemadmodum nunc apud Turcas Christiani habentur captivi, nec aliter appellantur, quam canes. Locus vero, ubi Hecuba lapidibus interfecta ac tumulata est, ideo ex re, ut inquit Ovidius, nomen habet, quia *κυνόσημα*, canis sepulchrum dicitur. Meminit huius loci Pomponius[24]) Mela in descriptione Cherrhonesi Thraciae, suntque haec ipsius verba: Est ibi Cynos sema, tumulus Hecubae, sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna, in quam deciderat, humili nomine accepto.

Ovidius a Seneca nullo iudicio reprehensus.

Hoc loco revellenda est iniuria, quam Seneca Ovidio facit, cum ait eum nescire desinere, et saepe corrumpere sententias, dum studet unam rem aliis atque aliis verbis eloqui; idque probat (si Diis placet) exemplo horum versuum (Vss. 499 – 505.):

Totque tuos idem fratres, te perdidit idem,
Exitium Troiae nostrique orbator, Achilles.
At postquam cecidit Paridis[25]) *Phoebique sagittis,*
Nunc certe dixi, non est metuendus Achilles.
Nunc quoque mi metuendus erat. Cinis ipse sepulti
In genus hoc saevit; tumulo quoque sensimus hostem:
Aeacidae foecunda fui.

Hos enim versus ita reprehendit: Cum Polyxena (inquit [25a])) esset adducta tumulo Achillis, Hecuba dixit: *cinis ipse sepulti in genus hoc saevit,* poterat esse contentus; adiecit: *tumulo quoque sensimus hostem;* neque hoc contentus, adiecit: *Aeacidae foecunda fui.* Ego vero miror Senecam in Ovidio id reprehendere, quod et Virgilio et Ciceroni usitatum est, atque in primis laudi datur. Anne eiusdem generis est illud Virgilianum:

> Quid puer Ascanius? superatne? et vescitur aura [26])
> Aetheria? nec adhuc crudelibus occubat umbris? [27])

Nam ibi cum nihil aliud quaeratur, nisi an adhuc vivat Ascanius, tamen eadem res ter variatur. Erat quidem satis: *superatne*; sed addit: *vescitur aura aetherea*; nec [28]) hoc contentus, adiicit: *nec adhuc crudelibus occubat umbris?* Cicero in oratione pro Ligario, quot [29]) verbis idem significantibus eandem rem versat! cum inquit [30]): Erravi, temere feci, poenitet; ad clementiam tuam [30a]) confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas oro: Item [31]): Quid tuus ille Tubero districtus in acie gladius agebat? cuius latus petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Quanta hic multiplicatio verborum et sententiarum! gladius, mucro, arma, sensus, mens, animus; cupiebas, optabas;

---

24) Pompon. Mela II, 2, 7.

25) *cecidit Paridis*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Paridis cecidit*.

25a) Senec. controv. 28. extr.

26) Virg. Aen. III, 339.

27) Virg. Aen. I, 547. Hi versus h. l. ita coniuncti sunt, quasi apud Virgilium alter alterum subsequatur.

28) nec] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. ne.

29) quot] sic Editt. 1555.; Ed. 1559. quod.

30) Cic. pro Ligario 10, 30.

30a) tuam] in Ed. 1559. deest.

31) Cic. l. l. 3, 9., ubi haec in Ed. Orell. leguntur: Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus etc.

stringere in acie gladium, petere latus: quae quidem et voces idem significant, et sententiae eodem spectant. Ex his igitur manifestum est Ovidium nullo iudicio reprehendi, hoc praesertim loco, ubi res affectum poscit, qui sine multiplicatione verborum et sententiarum unam rem velut inculcantium augeri nequit.

Memnonis cineres in aves Memnonidas[32]).

Memnon fingitur Aurorae filius, propter patriam in Oriente sitam; fuit enim orientalis Aethiopiae rex. Aves vero ex Aethiopia quotannis advolant in Phrygiam, teste Plinio, eoque in loco tantum, ubi Memnon sepultus est, conspiciuntur. Hinc et de avibus haec fabula.

Oratio pro Memnone ad Iovem est brevis quidem, sed apta ad permovendum; ipsa enim Aurora primum orditur sic ab extenuatione sui: Quamquam infima sum Dearum, tamen quia sum ex numero coelitum, non vereor accedere tuam maiestatem. Deinde petit a suis meritis: At qualiscunque sum, tamen nonnulla sunt mea merita, quibus confisa spero me impetraturam id, cuius causa huc veni.

Anii filiae in columbas[33]).

Anius rex fuit diligens paterfamilias, et filias habuit bonas oeconomas: hae et ideo finguntur convertisse omnia in frumentum, vinum et oleum, quae attrectassent, quia fuerunt in tuenda re familiari diligentes. Graeci vero ad Troiam, cum ex omnibus insulis commeatu prohiberentur, et magna agrorum fertilitas eo tempore esset in Delo, coegerunt Anium, insulae regem, ad subvehendum inde commeatum, acceptis ab eo obsidibus ipsis filiabus, quae postea dictae sunt (ut arbitror) in columbas mutatae, cum nihil amplius ex Delo mitteretur, omni frumento quasi a columbis iam consumpto; hae enim aves plurimum frumenti consumunt.

Cyclopis amor et cantilena.

Vs. 755. *Hunc ego, me Cyclops nullo cum fine petebat,*

In Sicilia olim fuerunt homines barbari et immanes ab orbiculato oculo Cyclopes appellati; nam κύκλος circulus, et ὤψ adspectus seu oculus dicitur. Orbicularis vero oculus in media fronte, significat formam galeae, quae apud veteres ita fiebat, ut rotundum foramen in fronte, tanquam fenestram haberet, unde eminebat ea pars faciei, quae a confinio superciliorum oriens, infra nasum porrigitur. Ac verisimile est istos barbaros, quoniam erant praedones, exercuisse latrocinia eiusmodi galeis tectos, atque inde nomen consecutos fuisse. Horum princeps fuit Polyphemus, cui monstrosa corporis moles recte attribuitur; ea enim barbaris et feris moribus convenit. Cantilena eius sumpta est ex undecimo *Idyllio Theocriti*[34]); estque generis partim demonstrativi, partim suasorii. Ipse enim studens conciliare sibi amorem Galateae, primum commendat ac laudat eam, si obsequens sit. Deinde per antithesin rursus vituperat, si non obsequatur; eaque in re utitur plurimis comparationibus diversarum rerum. Postremo hortatur illam ad se amandum, ab utili et a iucundo, recensens praecipuas agrestium hominum opes ac voluptates; seque etiam commendat a sua ipsius forma, a mole corporis, ab orbiculato oculo, atque a nobilitate generis.

Acis in fluvium.

Vss. 896 sq. *Acis in amnem*
Versus, et antiquum tenuerunt flumina nomen.

Acis, fluvius Siciliae, nunc vulgo appellatur frigidus, nec longe a Taurominii amnis ostio influit in mare, sicut Marius Aretius Syracusanus testatur in libello de situ insulae Siciliae.

Glaucus in Deum marinum[35]).

Erasmus Roterodamus in proverbio: Glaucus correpta herba habitat in mari[36]), refert ex Graecis autoribus hunc Glaucum fuisse Anthedonium piscatorem, natandi peritissimum, et commentum esse imposturam eiusmodi: enatasse e portu spectantibus Anthedoniis, donec iam extra prospectum esset: ibi reversum in terram, secessisse in locum aliquem semotum, atque in eo dies aliquot commoratum esse; deinde rediisse nantem in portum spectantibus iis, qui stabant in littore.

32) Ovid. Met. XIII, 576 sqq.
33) Ovid. Met. XIII, 673 sq.
34) Theocrit. Idyll. XI, 19 sqq. Ed. Kiessling.
35) Ovid. Met. XIII, 906—965.
36) Erasmi Adag. chil. IV. cent. I. prov. 63.

Mirantibus autem amicis et sciscitantibus, ubinam gentium tam diu commoratus esset, illum simulasse sese interim fuisse in marinis fluctibus. Tandem evenisse, ut a bellua marina devoraretur, cumque ex more non rediret, iactatum esse populi fama, Glaucum gustata herba factum immortalem, et in mari vitam agere. Similem fere historiam refert Iovianus Pontanus, qui tradit suis temporibus fuisse hominem cognomento Colam, plus in aquis quam in terris vivere solitum, nec potuisse spirare, si diu abfuisset ab aquis, haud secus ac belluam marinam. Hunc nandotantum professum, ut auderet se committere pelago magnis tempestatibus commoto, ac spatium quingentorum stadiorum conficere. Talem igitur fuisse Glaucum verisimile est, eumque venisse in hanc opinionem apud vulgus, ut existimaretur Deus marinus.

In librum XIV. Metamorphoseon.

Scylla, Phorci filia.

Vss. 66 sq. *subiectaque terga ferarum*
Inguinibus truncis, uteroque extante coercet [37]).

Fretum Siciliense, quia scopulosum et angustum est, tanto fervet aestu, ut fluctus inter se concurrentes, scopulisque illisi, quendam quasi latratum referant. Hinc fingitur Scylla a pube canibus et lupis succincta, quam in eo freto scopulum esse constat.

Cercopes in simias.

Vs. 90. *Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas.*

Significat Pithecusanos fuisse astutos et fraudulentos. Nam apud Athenienses olim impostores et dolosi dicebantur Cercopes, quasi caudati, metaphora sumpta ab animalibus, quae cauda blandiuntur.

De aureo ramo.

Vs. 114. *Fulgentem ramum sylva Iunonis Avernae.*

Aureus ramus, qui ad Elysium campum tendentibus est necessarius, explicatur a Baptista Mantuano, et exponitur allegorice de fide seu fiducia in Deum, sine qua nemini contingit introire in aeternam vitam. Hunc vero ramum ait aureum recte appellari eo, quod auri substantia sit praecipua et incorruptibilis: et recte (quemadmodum Sibylla apud Virgilium docet) occultari in magno nemore; nam inter diversas sectas, et hominum opiniones, delitescere fidei sapientiam, quasi arborem in nemore amplissimo; nec inveniri, nisi monstrante Sibylla, hoc est, Dei voluntate nobis revelata per Prophetas; invento hoc ramo et servato, nos per tenebras ac difficultates humanae vitae ambulantes tandem pervenire ad sedem beatorum.

Ab hac theologica allegoria non multum discrepat expositio Marcelli Palingenii, qui per eundem ramum intelligit veritatem, atque ita inquit:

Non cuivis facile est ipsum cognoscere verum.
Hic ille est ramus, medium quem maxime sylva
Arboribus densis cinctum atque erroribus atris
Obductum celat, nec multis aurea virga
Conspicitur, nisi cui purae ostendere columbae.

Sibylla in vocem.

Sibylla Cumaea fingitur a Phoebo amata propter vaticinia, quae olim Phoebo adscribebantur. Vaticinata est autem de bellis et imperio Romanorum. Hanc ob causam fingitur hic praedicere Aeneae futura, tanquam autori gentis Romanae. Quin etiam fertur carminibus suis complexa esse oracula mille annorum: huc fortassis alludit Ovidius, cum fingit illam mille annos victuram, et postea superstitem fore perpetua oraculorum fama. Serapion meminit carminum, quibus Sibylla gloriatur se vaticinando consecutam esse immortalitatem nominis, praedicitque suas vaticinationes usque ad finem mundi duraturas. Videtur igitur Ovidius alludere ad haec ipsius carmina, cum inquit (Vss. 152 sq.):

nullique videnda,
Voce tamen noscar; vocem mihi fata relinquent.

Ulysses a Polyphemo et Anthiphate vexatus [38]).

Ulysses varios habet hostes, a quibus subinde novis afficitur calamitatibus, nempe Scyl-

37) *coercet*] sic Editt. 1555, 1559; Ovid. Ed. Mitsch. *cohaerent.*

38) Ovid. Met. XIV, 223 sqq.

lam, Charybdim, Polyphemum, et Antiphaten. Sic quilibet heros habet[39]) suos hostes, a quibus divexatur. Hercules habuit Antaeum, Geryonem, Cacum; Aeneas Turnum, Mezentium; Carolus V. Imperator Turcam, Pontificem et Gallum.

Venti ab Aeolio utre emissi.

Vs. 225. *Quos bovis inclusos tergo, memorabile munus.*

Fabula de ventis ab utre per imprudentiam emissis, accommodari potest ad inconsideratos principes nostri temporis, qui tumultibus et bellis tanquam ventis ab Aeolio utre emissis turbarunt Germaniam. Nam quemadmodum socii Ulyssis resoluto utre tempestatem inducunt sibi perniciosam: ita et hi revulsis vinculis publicae pacis commoverunt belli tempestatem et sibi et patriae calamitosam.

Ulyssis socii in sues.

Si considerentur mores hominum intemperanter viventium, non est obscurum, quid sociorum Ulyssis conversio significet. Parum enim differunt a suibus homines crapulae, ebrietati et libidini dediti. Significatum est igitur hac fabula, Ulyssis socios apud Circen vixisse admodum intemperanter: id quod etiam Xenophon innuit libro primo de factis et dictis Socratis[40]), ubi refert Socratem saepe ioco dixisse, se arbitrari homines idcirco sues effectos apud Circen, quoniam illic immodicis escis potationibusque quasi in hara saginati sint; Ulyssem vero partim Mercurii consilio, partim abstinentia sua non fuisse suem factum. Ac videtur Ovidius depingere hic temulentum hominem, ubi ait (Vss. 283 sq.):

et qua modo pocula parte
Sumpta mihi fuerant, illa vestigia feci.

Temulenti enim imitantur gradiendo quadrupedes, eorumque manus fiunt quasi pedes. Dicta est autem Circe filia Solis, vel propter eximiam pulchritudinem, vel propter notitiam herbarum, ob quam Aesculapius etiam dictus est filius Apollinis seu Solis; cumque esset formosa et parum casta, homines amore tanquam veneficiis dementavit.

39) habet] Ed. 1559. male: habes.

40) Xenoph. Memorab. Socr. I, 3, 7. Ed. Schneider.

M o l y.

Vs. 292. *Moly vocant Superi; nigra radice tenetur.*

Hanc herbam Homerus decimo Odysseae[41]) scribit valere contra veneficia Circes, sed inventu difficilem esse mortalibus. Arbitror Homerum intelligere per eam voluisse temperantiam. Haec enim efficit, ne voluptatum illecebris ab honesto deducamur; estque virtus in homine rara. Apud Platonem Socrates Charmiden levaturus morbo, indicat radiculam, quam ipse itidem interpretatur temperantiam, alludens fortassis ad hanc ipsam, quae vocatur Moly. Poeta in Priapeis ioco transfert allegoriam herbae ad sensum obscoenum, cum inquit[42]):

Hinc legitur radix, de qua flos lacteus exit,
Quam cur Moly vocant? Mentula Moly fuit.

Ianus cur bifrons.

Vs. 334. *Dicitur ancipiti peperisse Venilia Iano.*

Ianus fuit Ion, Graecae et Ausoniae gentis parens. Is fingitur bifrons, propter eam, qua excelluit, prudentiam; est enim prudentis videre a tergo et a fronte, hoc est, considerare praeterita ac futura, et cum iis conferre praesentia.

Picus in avem sui nominis.

Vs. 396. *Nec quidquam antiquum[43]) Pico, nisi nomina restant[43]).*

Picus, Ausoniae rex, periit in venatione, non longe ab insula, in qua Circe regnavit. Hac de causa poetae fabulantur eum veneficiis Circaeis esse versum in avem sui nominis. Virgilius prolixam hanc fabulam complexus est tribus his versibus[44]):

Picus, equûm domitor, quem capta cupidine coniunx
Aurea percussit[45]) virga versumque venenis
Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.

41) Hom. Od. X, 287 sqq.

42) Priap. 69, 14.

43) *antiquum — restant.*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *antiqui — restat.*

44) Virg. Aen. VII, 189—191.

45) percussit] sic Editt. 1555., 1559.; Virg. Ed. Wagner. percussum.

Canens, Pici uxor, erepti coniugis dolore absumpta.

Vs. 432. *Tabuit, inque leves paulatim evanuit auras.*

Canens a canendo nomen adepta est; fuit enim, ut inquit poeta (Vss. 337—340.),

Rara quidem facie, sed rarior arte canendi:
Unde Canens dicta est. Sylvas et saxa movere,
Et mulcere feras, et flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.

Haec recte fingitur mutari in auras, quia omnis sonus, omnis vox in auras evanescit.

Diomedis socii in aves.

Vs. 499. *In plumas abeunt; plumis quoque*[46]) *cola teguntur.*

In insula contra Apuliae oram sunt aves fulicis similes, quae nusquam alibi visuntur. Hae olim, ut autor est Plinius, aedem Diomedis in ea insula sepulti perluebant quotidie madentibus pennis, ac quasi purificabant; advenas item barbaros plangore infestantes, Graecis tantum adulabantur miro discrimine, veluti generi Diomedis hoc tribuentes: unde origo fabulae, nempe eas aves fuisse Diomedis socios.

Appulus pastor in oleastrum.

Vs. 521. *Improbat hos*[47]) *pastor, saltuque imitatus agresti.*

Non est inconveniens transformatio maledici conviciatoris in oleastrum; par est enim acerbitas in oleastri fructu, et in petulanti lingua. Quid igitur fabula significet, Ovidius indicat, cum inquit (Vss. 525 sq.):

Nempe[48]) *notam linguae baccis oleaster amaris*
Exhibet, asperitas verborum cessit in illas.

Venti ex Astraeo et Aurora nati.

Vss. 544 sq. *tumidum subitis*[49]) *concursibus aequor*
Astraei turbant, et eunt in proelia fratres.

Venti dicuntur ex Astraeo Gigante nati, quod ex halitu terrae velut ex materia generentur. Nam physici per Gigantes intelligunt spiritus terrae inclusos, sicut antea dictum est. Astraeus autem Gigas, ubi genuit ventos, fertur concubuisse cum Aurora. Sol enim autor et parens est motuum, eoque oriente spiritus et augentur et sternuntur pro commotione vel aëris vel redundantis humoris, sicuti Aristoteles disputat in problemate 35. sectione 25.

Naves Aeneae in Nymphas.

Vs. 554. *Lina comae molles, antennae brachia fiunt.*

Mutatio navium in Nymphas, significat naves in aquis fuisse mersas, quae ab hostibus erant incensae, atque ita conservatas. Huius fabulae autor est Virgilius in nono Aeneidos[50]).

Ardea oppidum in avem sui nominis.

Vs. 576. *Congerie e media tum primum cognita praepes.*

„Fabula ex allusione nominis conficta; est enim nomen Ardeae aequivocum, utrumque significans et oppidum et avem. Livius autem testatur Ardeam Rutulorum urbem adhuc fuisse Tarquinii temporibus, unde constat eam tunc incendio quidem conflagrasse, sed postea fuisse instauratam.

Aeneas in Deum Indigetem.

Vs. 603. *Quicquid in Aenea fuerat mortale, repurgat.*

Quae hic narrantur de Numicio amne, Aeneae mortalitatem abluente, haud dubie referenda sunt ad historiam; non obscure enim indicat Ovidius Aeneam in Numicio periisse, cum ait (Vs. 598—604.):

Littus adit Laurens, ubi certus[51]) *arundine serpit*
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hinc[51]) *iubet Aeneae, quaecunque obnoxia morti,*
Abluere, et tacito deferre sub aequora cursu.
Corniger exequitur Veneris mandata, suisque,
Quicquid in Aenea fuerat mortale, repurgat
Et respergit aquis.

---

46) *quoque*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *nova.*

47) *hos*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *has.*

48) *Nempe*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Quippe.*

49) *tumidum subitis*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *subitis tumidum.*

50) Conf. Virg. Aen. IX, 107 sqq.

51) *certus — Hinc*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *tectus — Hunc.*

Genealogia regum[52]) Albanorum.

Vs. 609. *Inde sub Ascanii ditione binominis Alba.*

In hac genealogia observanda est diversitas nominum. Nonnulli enim reges, quorum hic fit mentio, diversis nominibus appellantur. Epitus a Livio Atys, et Capetus ab ipso Ovidio alibi Calpetus vocatur, ut in 4. Fasto[53]):

Et tuus est idem, Calpete, factus avus.

Nam ibi loquitur de Epito, cuius nepotem ait esse Calpetum. Ac quoniam Epitus fuit Capeti seu Calpeti avus, ideo hoc loco ita dicit (Vs. 614.):

Sed Capys ante fuit.

hoc est, Capeto prior; utpote ipsius parens; item Remulus, quem Dionysius Alladium, Livius Romulum vocat. Est autem in numero personarum quoque diversitas; nam Livius aliquanto plures numerat reges quam Ovidius; estque regum Albanorum et Romuli genealogia haec secundum Livium: Aeneas, Ascanius, Sylvius, Aeneas Sylvius, Latinus Sylvius, Alba, Atys, Capetus, Tyberinus, Agrippa, Romulus, Sylvius, Aventinus, Proca, Numitor et Amulius fratres, Rhea, Numitoris filia, Romuli et Remi mater.

Vertumnus in varias formas[54]).

Vertumni metamorphoses in aratorem, messorem, et alias hominum formas, significant[55]) conversiones anni; quibus nunc aratores, nunc messores, nunc vindemiatores, nunc frondatores, exequuntur suum munus. Nam annus, ut apud Graecos ἐνιαυτὸς, ita apud Latinos Vertumnus dicitur, a vertendo, quod semper convertatur peracto cursu: unde Horatius[56]):

Vivere: Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

Vertumnus autem post varias formas in aniculam conversus, significat annum iam senescentem; sub id enim tempus Pomona Vertumno nubit, hoc est, arborum fructus mitescunt. Eaedem metamorphoses transferri etiam possunt ad inconstantiam amoris; nam amantium animi sibi non constant, sed agitantur variis ac diversis affectionibus.

52) regum] Ed. 1559. mendo typogr.: rerum.

53) Ovid. Fast. IV, 46.

54) Ovid. Met. XIV, 642 sqq.

55) significant] sic scripsi propter Plur. *metamorphoses*; Editt. 1555., 1559. significat.

56) Horat. Serm. II, 7, 14.

Anaxarete puella in saxum.

Anaxarete in saxum conversa fingitur, propter duritiem animi: id quod poeta non obscure indicat, cum ait (Vss. 757 sq.):

paulatimque occupat artus,
Quod fuit in duro iam pridem pectore, saxum.

Sabini, Romanorum hostes, sulphurea aqua in fugam coniecti.

Vs. 791. *Lucida*[57]) *supponunt foecundo sulphura fumo*[57]).

Sulphureae et ferventes aquae, quibus Sabini, Romanorum hostes, exusti et in fugam coniecti finguntur, significant milites sacratos, qui superstitioso ritu initiabantur ad Vadimonis lacum, fervida et sulphurea aqua scatentem. Nam cum hostes noctu per ianualem portam irrupissent in urbem, ab his militibus repressi et profligati sunt. Militum vero sacratorum meminit Livius libro 9. primae decadis.

De interitu Romuli.

Vss. 816 sq. *Annuit Omnipotens et nubibus aëra caecis*
Occuluit.

Romulus ideo fingitur a Marte ablatus praecedente tonitru et fulgure, quia subito coorta tempestate ictus est fulmine, cum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Caprae paludem haberet.

Hersilia, Romuli uxor, in Oram Deam.

Vs. 851. *Mutat, Oramque vocat, quae nunc Dea iuncta Quirino est.*

Mortuis honore Deorum consecratis nomina immutabantur, ne crederentur mortales fuisse. Sic Romulus mutato nomine dictus est Quirinus, et Hersilia, eius uxor, dicta est Ora: unde introductam arbitror consuetudinem, qua pontifices Romani tanquam consecrati, nomen suum immutant. Erat autem Ora apud Romanos, qualis Hebe apud Graecos, Dea iuventae, quae et Horta dicebatur, ut Plutarchus[58]) refert in libro

57) *Lucida — fumo*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *Lurida — fonti.*

58 Plutarchi Quaest. Roman. XLVI.

problematum, eo quod iuvenes ad virtutem et gerendas res hortaretur. Hanc Romani suo Quirino perinde ut uxorem consecrarunt, significantes imperium non desidia et otio, sed virtute et rebus gerendis parari atque conservari; virtutem vero bellicam niti flore iuventutis.

In librum XV. Metamorphoseon.

Concio Pythagorae.

Vs. 75. *Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis.*

Opinio Pythagorae de migratione animarum accepta est ab Aegyptiis. Hic enim primi extiterunt teste Herodoto[59]), qui dicerent animam hominis e mortuo corpore subinde in aliud atque aliud corpus immigrare, atque ubi[60]) per omnia se circumtulisset terrestria, marina, volucria, tursus in aliquod genitum corpus hominis introire, atque hunc ab ea circuitum fieri intra tria millia annorum. Hanc opinionem ut absurdam Lucianus festive irridet in dialogo Galli et Mycilli. Apparet autem ex hac concione, Pythagoram honestis de causis esum carnis improbasse, ut homines partim a luxu ad frugalitatem avocaret, partim ut victu assuefaceret ad iustitiam et mansuetudinem. His enim argumentis utitur: primo, cum necessariis alimentis ex terra natis homines abundent, pertinere usum carnis non ad necessitatem, sed ad luxum; deinde iniustum ac immane videri, occidere et devorare animal, praesertim innocuum. Et hoc fuisse ipsius consilium testatur Iustinus[60a]), cuius haec sunt verba: Crotonem venit Pythagoras, populumque in luxuriam lapsum autoritate sua ad usum frugalitatis revocabat. Laudabat quotidie virtutem, et vitia luxuriae contemnebat, casusque civitatum hac peste perditarum enumerabat, tantumque studium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos in optimam frugem conversos fuisse credibile videretur. Matronarum quoque separatam a viris doctrinam, et puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam et obsequia in viros, nunc illos modestiam, et litterarum studium. Inter haec velut genitricem virtutum frugalitatem ingerebat.

59) Herodot. II, 116.

60) ubi] sic Editt. 1555.; Ed. 1559 ibi.

60a) Iustin. XX, 4, 5—10. Ed. Duebner.

Vss. 176 sq. *Et quoniam magno feror aequore, plenaque ventis*
Vela dedi; nihil est toto quod perstet in orbe.

Altera pars concionis, de vicissitudine omnium rerum ex alterna generatione et corruptione, continens varias similitudines et memorabilia exempla, quibus Pythagoras docet, res natas augeri, auctas vigere, vigentes senescere, ac tandem corrumpi, corruptionem vero unius, esse alterius generationem. Multa hic commemorantur, quorum similia nostris temporibus acciderunt. Sicut enim Helice et Buris, ita nuper multae urbes in Belgico mersae sunt; item quemadmodum ad Troezena urbem collis in planitie enatus est: sic nostra memoria etiam Puteolis in Italia mons erupit e mari, praecedente terrae motu ac tempestate ventorum. Nec mirum videri debet, quod narrat Pythagoras, inveniri aliquando conchas marinas et anchoras in montibus; nam ex Annalium monimentis constat anno 1460. in Alpibus inventam esse navim cum anchoris in cuniculo, per quem metalla effodiuntur. Non sunt igitur fabulosa; sed sunt historica, quae de montibus et insulis e mari subito enatis, deque aliis mirabilibus hic referuntur.

Ciconum flumen vertere in saxum, quae tetigerit.

Vss. 313 sq. *Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit*
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Francofordiae ad Oderam est similis fons, in quem folia, gramina, ligna, et sarmenta et boum cornua coniecta, lapidescunt.

Lacus Aethiopum inducere vel furorem vel lethargum.

Vss. 320 sq. *Aethiopesque lacus, quos si quis faucibus hausit,*
Aut furit, aut mira sentit[61]) *gravitate soporem.*

61) *mira sentit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *mirum patitur.*

Ratio naturalis secundum Senecam est haec, quia, sicut ebrietas, donec exsiccetur dementia, nimia gravitate defertur in somnum: sic aquae huius sulphurea vis habet quoddam acrius ex aëre noxio virus, quod mentem aut furore movet, aut sopore opprimit.

Hyperborei plumati.

Vss. 356 sq. *Esse viros fama est in Hyperborea Pallene,*
Qui soleant levibus velari corpora plumis.

Per corpora plumata videtur intelligere homines nive conspersos. Nam Herodotus[62]) scribit pennas, quibus ultra Aquilonem aër oppletus fingitur, significare nives. Cum igitur apud Hyperboreos densae et fere continuae nives cadant, fabula innuit homines illic versantes velari plumis, hoc est, nive conspergi. Horum regio, ut Plinius[62*]) tradit, ad Rhiphaeos montes sita est, et a similitudine pennarum πτεροφόρος nuncupatur.

Crabrones ex equo putrefacto.

Vs. 368. *Pressus humo bellator equus crabronis origo est.*

Crabrones ex equo generati, allegorice significant degeneres equitum liberos, qui a virtute bellica alieni fiunt praedones, et itinera reddunt infesta, sicut crabrones solent, ex arboribus iuxta viam erumpentes.

Serpentes ex medulla humana.

Vss. 389 sq. *Sunt qui, cum clauso putrefacta est spina sepulchro,*
Mutari[63]) credant humanas angue medullas.

Serpens initio generi humano suum virus infudit. Itaque non mirum est, si ex humana medulla serpentes generentur propter hoc contagium.

Hyaena.

Vss. 409 sq. *quae modo femina tergo*
Passa marem est, nunc esse marem miremur hyaenam.

Tales hyaenae sunt theologi, qui de gravissimis Ecclesiae controversiis pronuntiant ac docent adeo ambigue, ut nescias, utram sententiam, hanc vel illam approbent. Hi quasi utrumque sexum, nunc marem, nunc feminam referunt.

Hippolytus in Virbium.

Vs. 544. *nunc idem Virbius esto* etc.

Hippolyti exemplum docet, preces parentum adversus liberos a Deo exaudiri: ideoque vitandam esse parentum offensionem. Nam, ut gravissime inquit Plato de legibus[64]), nihil est liberis perniciosius execrationibus parentum. Virbius autem, qui se iactavit Hippolytum, fuit impostor subornatus, ut videtur, a sacrificulis Dianae Aretinae ad celebrandum lucum[65]), quo maior hominum concursus istuc fieret. Id enim erat quaestuosum sacrificulis. Ac fuerunt olim usitatae eiusmodi imposturae, ubi idolorum cultus vigebat. Persaepe autem inventi sunt homines, qui per dolum alterius nomen usurparunt. Sic imperante Vitellio, alter quasi Virbius extitit in Illyrico servus[66]) nomine Geta, qui se Scribonianum Camerinum finxit, senatorem Romanum, quem Nero occiderat. Sic autem post viginti annos inventus est, qui se Neronem iactitaret, tantumque consecutus est favorem apud Parthos, ut summo in honore haberetur, donec tandem detecta fraude occisus est a Calphurnio, Galatiae praefecto. Similiter anno 1547. non longe ab Hercynia sylva inventus est in quadam ruinosa et deserta arce vir corpore inculto atque horrido, qui affirmavit se esse Imperatorem Fridericum II., dixitque se reformaturum imperii statum.

Egeria in fontem.

Vs. 547. *Non tamen Egeriae luctus aliena levare.*

Numa Pompilius, quo maiore in veneratione esset apud populum, simulabat sibi esse nocturnos congressus cum Egeriae fontis Nympha, veluti cum coniuge. Hinc fingitur Egeria luctu conversa in fontem, Numa iam extincto. Erat autem Egeriae fons Romae extra portam Capenam, in luco Camoenarum.

---

62) Herodot. IV, 29.

62*) Plin. Nat. Hist. IV. c. 26. Ed. Franz. (c. 12. Editt. antiq.).

63) *Mutari*] sic Ed. 1555. b. (= Ovid. Ed. Mitsch.); Editt. 1555. a., 1559. *Mutare.*

64) Plat. Opp. ed. H. Steph. T. II. p. 931, b.

65) lucum] sic Ed. 1555. b.; Editt. 1555. a., 1559. mendo typogr.: lucu.

66) servus] Ed. 1559. male: servis.

Tages ex gleba ortus.

Vs. 554. *Fatalem glebam motis conspexit*[67]) *in arvis.*

Tagen ex gleba natum arbitror fuisse hominem obscurum, qui subito inclaruerit, cum artem divinandi esset professus. Terra enim nati olim dicebantur ignoti et obscuri. Quam multi hodie quasi ex gleba oriuntur theologi, qui relicta stiva et aratro suscipiunt munus concionandi, et professione novarum opinionum subito innotescunt!

Romuli hasta in arborem.

Vs. 561. *Cum subito vidit frondescere Romulus hastam.*

Romulus captato augurio cum hastam ex Aventino monte in Capitolium iecisset, hasta solo infixa repente cepit frondescere: quod prodigium significavit, statum imperii Romani hasta, hoc est, armis fore florentem. Plutarchus in vita Romuli[68]) meminit huius arboris, ac tradit eam tam diu floruisse, dum imperii status maxime floruit; sub initium vero bellorum civilium exaruisse. Aedificante enim Iulio Caesare, fabri cum propinqua arboris loca temere suffoderent, eius radices violarunt.

Cippo in fronte enata cornua.

Vss. 565 sq. *Aut sua flumina cum vidit Cippus in unda Cornua.*

M. Genutio Cippo, sicuti Mosi, in capite quasi cornua apparuerunt. Huius exemplum docet, non esse occupandam patriam, etiamsi occasione aliqua id fieri possit. Multis autem principibus tanta libido dominandi innata est, ut, cum Cippea cornua non habeant, tamen regna et imperia arripiant.

Delphi in medio terrarum orbe.

Vss. 630 sq. *mediamque tenentis*[69])
Orbis humum Delphos adeunt, oracula Phoebi.

Strabo libro 9.[70]) narrat fabulam de duabus aquilis a Iove emissis, unam ab oriente, alteram ab occidente, et convenientibus apud Delphos. Cuius fabulae et Claudianus meminit in praefatione de consulatu Mallii Theodori his versibus[71]):

Iupiter, ut perhibent, spatium cum discere vellet
Naturae, regni nescius ipse sui;
Armigeros utrinque duos pernicibus[72]) alis
Misit ab Eois Occiduisque plagis.
Parnasus geminos fertur iunxisse volatus;
Contulit alternas Pythius axis aves.

Hac ratione Ovidius vocat hic Delphos mediam humum orbis, seu umbilicum terrae.

Anima Iulii Caesaris in stellam crinitam.

Vss. 849 sq. *Flammiferumque trahens spatioso limite crinem Stella micat.*

De cometa, cuius hic meminit, Suetonius[73]) in vita Iulii Caesaris sic scribit: Siquidem ludis, quos primo consecratos ei haeres Augustus edebat, stella crinita per 7 dies continuos fulsit exoriens circa XI. horam; creditumque est animam esse Caesaris in coelum recepti: et hac de causa simulacro eius in vertice additur stella.

67) *motis conspexit*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *mediis adspexit*.

68) Plutarch. vita Romuli c. 20.

69) *tenentis*] sic Editt. 1555., 1559.; Ovid. Ed. Mitsch. *tenentes*.

70) Strab. IX, p. 419. extr. Ed. Casaub. a. 1620.

71) Claudiani in Mallii Theodori consulatum prolog. 11—16.

72) pernicibus] sic Editt. 1555., 1559.; Claudian. Ed. Burmann.: aequalibus.

73) Sueton. vita Iulii Caesaris c. 88.

XCII. PHIL. MEL. ENARRATIO COMOEDIARUM TERENTII.

De huius poetae comoediis Melanthon varie bene meruit; primum enim earum textum metro numerisque restituit et cum praefatione edidit, deinceps etiam scholiis atque argumentis eas illustravit. Editio eius princeps, qua *restitutum textum cum praefatione* *) exhibuit, a. 1516. prodiit sic inscripta:

> *Comoediae P. Terentii metro numerisque restitutae. Ad Lectorem. Quisquis es, cui Romani sermonis elegantia est cordi, hortamur, in Terentii fabulas animis incumbito. Vsus esto librorum qui nostris formulis excusi spectantur. Hi si studiis intercesserint frugem tibi, Thomae Anshelmo gratiam, utrisque laudem pariunto. Id meretur labos, qui uel nobis quantus fuerit, non praedico. Αὐτὸ δείξει. Modo lector faueto, emito, uersato. Tibi Musae Terentii Comoediam dicarunt. H. et L.* Tübingen. (Haec figuris ligno incisis, in quibus infra typographi siglae T. A. B. in unam coniunctae conspiciuntur, cincta sunt) — (In fine:) *Tubingae in aedibus Thomae Anshelmi Badensis, Mense Martio, Anno M. D. XVI.* (Huic Clausulae Insigne typogr. easdem siglas coniunctas continens subiunctum est). 4. 29 plagg. litt. a (2 plagg. cont.) — z, A — E sign., 8 foll. non num., CX foll. num., 2 foll. non num. (fol. a 1 b — 8 b Philippi Melae Brettani ad Paulum Geraeandrum Saloburgensem in Terentii comoedias praefatio; fol. 1 [fol. b 1] — fol. CX a Terentii comoediae, quarum cuique C. Sulpicii Apollinaris periocha est praemissa; fol. CX b [fol. E 2 b] — fol. E 3 a Pub. Terentii vita, ex libro primo Petri Criniti, de poetis latinis; fol. E 3 b Petri Bargetani ad Terentium pro sua recognitione endecasyllabon; fol. E 4 a Clausula cum Insigni typogr.; fol. E 4 b vacat) **).

Huius editionis praefatio duas continet partes: 1) Epistolam nuncupatoriam, 2) Prolegomena: De Comoedia; De Comoediarum, Satyrarum, ac Tragoediarum serie et principio etc. Illa epistola iam in huius Corp. Reform. Vol. I. p. 9 — 14. data est, ubi autem p. 10. lin. 8. pro ἡμέρας legendum est: ἡμέραι, et p. 12. lin. 42. loco κομῳδίαι leg.: κωμῳδίαι. Alteram autem praefationis partem infra in enarratione dabimus.

Hanc editionem secutae sunt hae:

> *P. Terentii sex quae extant: Comoediae — multis in locis emendatiores — quibus Phil. Melanchthonis praeposita est epistola — praeterea loca quae a Prisciano in variis libris declarata sunt cum Terentii vita ex libro Criniti in fine adiecta sunt. Lipsiae in officina Lottheriana* 1518. 4.

> — — (Idem Index ut in Ed. Lips. praeced.) *Lipsiae, ex off. Melch. Lottheri* 1519. 4. ***).

Hae duae Editt. eandem praefationem continent, quam Ed. illa princeps a. 1516. praebet. Eadem verisimiliter invenitur etiam in hac Ed.:

> *Terentii comoediae ad integrum per Phil. Melanchthonem restitutae cum Paulli Malleoli scholiis et Pt. Marsi annotatt. Antverp., apud Mich. Hillenium* 1516. m. *Novbr.* 8.

---

*) Haec praefatio inter innumeras, quas suis aliorumque libris praemisit, secunda est; prima enim est illa Clarorum Virorum Epistolis latinis graecis et hebraicis ad Ioannem Reuchlinum missis a. 1514. m. Martio praefixa, quae in huius Corp. Reform. Vol. I. p. 5 sq. legitur.

**) Hanc Ed., quam ex Biblioth. regia Stuttgard. in manibus habeo, Foerstemannus quoque in huius Corp. Reform. Vol. I. p. 9. memorat, in fine Indicis autem nomini *Tübingen* male praefigit *S.*, in quem errorem fortasse figura typogr., quae huic nomini a sinistra est superposita, eum induxit.

***) Sic haec Ed. et proxime praecedens a Schweigero in l. Handbuch der class. Bibliogr. T. II. P. 2. p. 1056. afferuntur.

Haec Ed. a. **1526.** (cuius loco in praeced. pag. mendo typogr. legitur **1516.**), quantum ex Indice cognoscitur, Malleoli quidem atque Marsi annotationes exhibet; Melanthonis autem nondum praebet. Inter omnes editiones, quas ego hucusque vidi, ***Melanthonis scholia et argumenta*** primum inveni in hacce, quae Hegendorphini cura Hagenoae **1528.** prodiit:

> ***P. Terentius ad vetustissimum exemplar restitutus, cum eruditissimis Christophori Hegendorphini Scholijs illustratus. His adiectae sunt etiam Philippi Melanchthonis adnotatiunculae, quibus omnibus plana fit ac dilucida Terentiana lectio.*** (Hic Index figuris ligno incisis cinctus est, in quibus infra siglae typographi I. S. in unam coniunctae conspiciuntur) — (In fine:) ***Haganoae per Iohannem Secerium, Anno M. D. XXVIII.*** 8. **26½** plagg. litt. A—Z, Aa—Dd (½ pl.) sign., **212** foll. non num. (fol. A **1**ᵇ Vinc. Obsopoei epigramma [9 disticha] in Terentium; fol. A **2**ᵃ—**7**ᵇ Christ. Hegendorphini epist. nuncupat. ad Bened. Bilde, Phil. [Melanthonis] epistola ad paedagogos, Franc. Asulani epist. ad Io. Glorierium; fol. A **7**ᵇ—C **1**ᵃ Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia, ex Aelio Donato; fol. C **1**ᵃ—**2**ᵇ Terentii vita ex lib. I. Petri Criniti de Poetis latinis; fol. C **2**ᵇ—**5**ᵃ De partibus personarum et actuum Andriae; Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. C **5**ᵇ—Dd **4**ᵃ Terentii comoediae sex cum scholiis marginalibus Hegendorphini et Melanthonis; huiusque argumentis et C. Sulpitii Apollinaris periochis cuique fabulae praemissis.) *)
>
> — ***Comoediae cum Donati et Calphurnii commentariis ac Phil. Melanchthonis scholiis. Impressum Moguntiae per Ioannem Schoeffer Moguntinum anno millesimo quingentesimo vigesimo octavo, nono Calen. Augusti.*** 4. **).
>
> ***Terentius. Parisiis, ex Officina Roberti Stephani MDXXIX.*** (Huic Indici figurae ligno incisae superpositae sunt.) Fol. Haec R. Stephani Ed. III. ***) textum (sine scholl.) continet, cui in initio Aelii Donati de Terentii vita et de Tragoed. ac Comoed., atque in fine Argumenta Phil. Melanchthonis in sex Terentii Comoedias et nonnulla de Comoed. et Metris comicis ex antiquis Grammaticis addita sunt †).
>
> ***Terentii comoediae per Phil. Melanchth. restitutae et argumentis illustratae. Lugduni, Seb. Gryph.*** **1529.** 8. ††).
>
> — ***comoediae cum scholiis Phil. Melanchthonis. Lugduni, Seb. Gryph.*** **1532.** 8. †††).

---

*) Haec Ed. rarissima, quam Schweiger l. l. p. 1057. affert, in meis libris est. — In epistola nuncupatoria sua Hegendorphinus haec dicit: „Efflagitarunt a me studiosi quidam iuvenes, ut adnotationes, quas quondam inter praelegendum Terentium congesseram, typis excudendas curarem. Ego quamvis in illis non videbam, quod huic ut erudito ita nasuto seculo facere satis posset, et quamvis Philippus Melanchthon suis doctissimis scholiis sat lucis Terentio addiderat, tamen improbis iuvenum studiosorum efflagitationibus victus, dicam an adactus, quicquid est mearum adnotationum Secerio nostro typographorum facile principi excudendum loco. — — Nec Philippus Melanchthon, quo est candore, aegre, opinor, feret, me suis eruditissimis scholiis, mea non perinde erudita assuisse, cum id a me factum sit, ut scholiis eius quamquam antehac satis splendidis, posthac ex scholiorum meorum immissione aliquid fulgoris accedat. Non enim aliter atque panniculi viles purpurae intexti, purpurae et splendorem et pretium arguunt: ita adnotationes meae adnotationibus Philippi insertae, harum et lucem et praestantiam ostendent. Proinde et adnotationes Philippi stellulis notari curavimus, ut lector cognoscat, quid nos Philippi, quid nostris adnotationibus tribuamus: utut tamen sit, iuventutis quotidiano propemodum convitio victi, eius commodo deesse noluimus." etc. Ex his verbis apparere videtur, Hegendorphinum Melanthonis scholia et argumenta, quae in hac Ed. exhibet, ex alia quadam recepisse. Quaeritur ergo, in quanam Ed. haec primum ab ipso Melanthone sint divulgata. Schweigerus quidem in l. Handbuch der class. Bibliogr. Tom. II. P. 2. p. 1056. hanc memorat Ed.:

> *Terentii comoediae cum Donati et Calphurnii commentar. ac Phil. Melanchthonis scholiis. Moguntiae, per Ioan. Schoeffer* 1518. *9 Cal. Aug.* 4.

at minime dubito, hanc Ed. ex editionum catalogo tollere tanquam fictam et solo typothetae errore, qui 1518 pro 1528. typis exscripsit, ortam (cuiusmodi exemplum in huius Corp. Reform. Vol. XVIII. p. 1. nota †) allatum est). In Panzeri enim Annal. typogr. Vol. XI. p. 142. in breviore editionum conspectu haec leguntur: (*Terentii*) *Comoediae cum Donati et Calphurn. comm. et Melanchth. Scholiis. Moguntiae, Ioh. Schoeffer*, 1518. 4. VII. 418. 80., quibus numeris lector ad Vol. VII. p. 418. nr. 80., ubi haec Ed. accuratius descripta sit, delegatur. Hoc autem loco Ed. illic breviter indicata sic accuratius affertur: *Terentii comoediae cum Donati et Calphurnii commentar. ac Philippi Melanchthonis scholiis. Impressum Moguntiae per Ioannem Schoeffer Moguntinum anno millesimo quingentesimo vigesimo octavo, nono Cal. Augusti.* 4. Ex quibus elucet, illo Annalium loco, qui verosimiliter Schweigero ob oculos versatus est, annorum numerus 1518. errorem typogr. esse pro 1528. — Huc accedit, quod C. A. Schaab in l. Die Geschichte der Erfindung der Buchdruckerkunst durch Johann Gensfleisch genannt Gutenberg zu Mainz (Mogunt. 1830. 1831. 3 Tomi. 8.) Tom. I. p. 578. nr. 180. hanc quidem Terentii Ed. a. 1528. affert, p. 561. autem ad a. 1518. nullam huius poetae Ed. memorat. — Ex his intelligitur, Melanthonis in Terentium scholiorum et argumentorum editionem principem adhuc latere.

**) Hanc Ed. Panzer et Schaab l. l. (vide notam proxime praecedentem) atque Schweigerus l. l. p. 1057. memorant.

***) R. Stephani Ed. I. prodiit Parisiis 1519. Fol.; eius Ed. II. Paris. 1522. Fol. (vide Indicem Editionum, qui in Terentii Comoediarum VI. Ed. Bipont. 1779. 8. exhibetur, p. XIV.).

†) Haec Ed., quae in Biblioth. acad. Gotting. est, in eodem Indice Editionum atque a Schweigero l. l. p. 1057. et Panzero in Annal. typogr. Vol. VIII. p. 124. nr. 1811. memoratur.

††) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 1057. affert.

†††) Haec Ed. in Indice I. Editionis Bipont. p. XV. et a Schweigero l. l. p. 1057. affertur.

*P. Terentius a Philippo Melanchthone iam nouissime restitutus. Addita sunt Scholia eiusdem Philippi quae quidem hoc signo * praenotauimus. Tum Petri Marsi in loca obscura adnotationes. Itemque Pauli Malleoli in singulas scenas. Praeterea his omnibus accessêre Christophori Heggendorphini adnotatiunculae, ac scholia doctissima, nec hactenus aedita. Argentorati Anno M. D. XXXIII.* — (In fine:) *Impressum Argentorati in officina Knoblouchiana per Ioannem Albrecht, Anno M. D. XXXIII. Mense Augusto.* 8 min. 35½ plagg. litt. a — z, A — N (½ pl.) sign., 565 pagg., 1½ foll. non num. (pag. 3 — 5. Ph. Melanchthonis epist. ad Paedagogos; p. 6 — 8. Chr. Hegendorphini epist. ad Er. Hungerleydt; De stylo comoediarum, et Cur scriptae comoediae sint, ex Cicerone; De usu comoediarum, ex Fabio; Quid in comoediis spectandum, ex Erasmo; p. 9 — 28. Terentii vita, et de tragoedia ac comoedia ex Aelio Donato; p. 28 — 31. Terentii vita ex Petro Crinito; p. 31 — 36. De partibus personarum et actuum Andriae; Argumentum Andriae; Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; p. 37 — 565 [fol. N 3 a]. Terentii comoediae sex cum scholl. margin. Hegendorphini et Melanthonis, huiusque argumentis et C. Sulpitii Apollinaris periochis cuique fabulae praemissis atque P. Marsi, P. Malleoli et Hegendorphini in singulas scenas; fol. N 3 b Clausulam cont.; fol. N 4 a vac.; fol. N 4 b exhibet Insigne typogr.: Adamus et Eva iuxta malum angue circumvolutam stantes.) *).

Habes in hoc Enchiridio Lector optime, P. Terentii Comoedias, ex Des. Erasmi et Io. Rivii castigationibus et annotationibus multo castigatissimas. Quibus accesserunt Des. Erasm. in genera carminum annotationes et ex eiusdem Chiliadibus Adagia et sententiae omnes explicatae, quibuscunque aut vsus est, aut manifesto allusit Terentius. Item ex Pet. Bembo castigationes singulares. P. Melancht. Ch. Hegendor. et Bart. Latomi absolutissima scholia. Praeter haec: Argumenta Donati, P. Malleoli et Christ. Hegen. ante hac non uisa. Petri Marsi in omnes fabulas doctissimi commentarii, nunc primum in lucem editi. Coloniae excudebat Io. Prael. M. D. XXXIIII. Mense Martio. 8 min. 41 plagg. litt. A — Z, AA — TT (B et TT ½ plag., 4 foll. cont.) sign.; 6 foll. non num., 382 pagg., 60 foll. non num. (fol. A 2 a — 3 b Des. Erasmus de metris; fol. A 4 a — B 1 a Terentii vita et de Tragoedia ac Comoedia non pauca, ex Aelio Donato; fol. B 1 b — 4 b et [fol. C 1 a — LL 8 b] pag. 1 — 382. Terentii Comoediae, argumentis Donati, Melanchthonis [et in III. Comoedia quoque Io. Calphurnii] atque periochis C. Sulpicii Apollinaris cuique comoediae praefixis, et scholiis Melanchthonis, Chrph. Hegendorphini, Barth. Latomi, [partim etiam Petri Bembi], una cum explicationibus ex Chiliadibus Erasmi excerptis, cuique prologo et scenae in calce annexis; fol. MM 1 a — TT 4 a Tres commentarii cum hoc proprio indice: In P. Terentii Comoedias omnes Petri Marsi hominis doctissimi commentarij succincti illi quidem, quorum tres posteriores ante hac non visi, nunc primum prodierunt. Pauli Malleoli in singulas scenas argumenta a doctis summopere probata. Praeterea Christophori Hegendorphini hypotheses elegantissimae, nec illae etiam ante hac aeditae; fol. TT 4 b cont. Insigne typogr., in cuius superiore parte leguntur verba: Humilitas vincit omnia; in inferiore litterae: I. P.) **).

Terentii comoediae VI post Phil. Melanchthon. ac Erasmi castigatt. per Io. Rivium ad vetustiss. exempl. fidem recogn., cuius et nos castigatt. seorsim excudimus. Lugduni, S. Gryph. 1538. 8. ***).

— *comoediae iuxta Erasmi recognitionem. Contulimus et Io. Riuii castigatt. et addidimus alicubi scholia profutura ad intelligendam Oeconomiam et seriem orationis Phil. Melanchthonis. Excusum Witenberg., typis Io. Luft.* 1539. 8. †).

Pub. Terentii Aphri comoediae sex, post Philippum Melanchthonem, et Erasmum, per doctiss. uirum Io. Riuium Attendoriensem ad exemplaria uetustiss. recognitae. (Infra haec Insigne typogr., Gryphus cubum et alatum globum tenens, circumscriptis verbis: Virtute duce, comite fortuna.) *Lugduni apud Seb. Gryphium,* 1539. 8. 23 plagg. litt. a — z sign., 366 pagg., ult. fol. non num. (p. 2. Volcati Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; p. 3 — 4. Melanchthonis epistola ad paedagogos; p. 5 — 11. Franc. Asulani epist. nuncup. ad Ioannem Grolierium (sic); p. 11 — 27. Terentii vita, et de Tragoedia, ac

*) Haec rara Ed., quae neque in Indice Editt., quam Ed. Bipont. exhibet, neque a Schweigero memoratur, in meis libris est.

**) Hanc Ed., quae etiam a Panzero l. l. Vol. IX. p. 437. nr. 767. b. et in Ed. Bipont. p. XV. memoratur, Schweigerum autem fugit, ex Biblioth. regia Stuttgard. in manibus habeo. — Post hanc Ed. proxime afferenda esset Ed. Roberti Stephani Paris. 1536. Fol., si Panzeri breviorem editionum Terentii conspectum, quem l. l. Vol. XI. p. 142. exhibet, sequeremur, quia haec Ed. h. l. iis Editt. adnumeratur, quae Ter. Comoedias cum Donati et Calphurnii commentariis et *Melanchthonis scholiis* continent; at haec Ed., quae in meis libris est, neque argumenta neque scholia Melanthonis continet; conf. etiam Panzeri Annal. Vol. VIII. p. 195. nr. 2550., ubi eandem Ed. accuratius affert Melanthonis nullam faciens mentionem.

***) Haec Ed. in Ed. Bipont. et a Schweigero l. l. p. 1058. memoratur.

†) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 1058. affert.

Comoedia non pauca, ex Aelio Donato; p. 27—31. Eiusd. in Andriam Ter. praefatio et argumentum; p. 31—363. Terentii comoediae, quarum cuique Melanthonis argumentum et Sulpitii Apollinaris periocha praemissa, praeterea cuique scenae argumentum (Mel.) praefixum, et in margine textus scholia apposita sunt; p. 364—366. Io. Rivii carmen ad pueros in commendationem Terentii; ult. fol. facie 1. vacat, facie 2. Insigne typogr., Gryphum gradientem cont.) *).

— — (Idem Index ac Ed. Lugd. 1539.) *Lugduni apud Seb. Gryphium*, 1540. 8. **).

P. Terentii comoediae sex, tum ex Donati commentarijs, tum ex optimorum, praesertim ueterum, exemplarium collatione, diligentius quam unquam antehac, emendatae. Aelii Donati antiquissimi et celeberrimi Grammatici, aliorumque ueterum in easdem, quicunque extant, commentarij, ex ueteri codice manu descripto, Graecis etiam repositis, accurate castigati. Calphurnii in tertiam Comoediam doctissima interpretatio. Indicata sunt diligentius carminum genera, et in his incidentes difficultates, correcta quaedam et consulum nomina, idque studio et opera Des. Erasmi Roterodami, non sine praesidio ueterum exemplariorum. Praeterea in calcem libri coniecimus Philippi Melanch. in omnes comoedias duplicia argumenta cum scholijs doctissimis et breuissimis. Eorum, quae in commentarijs sparsim annotata sunt, index amplissimus. Basileae apud Nicolaum Bryling. An. M. D. XL. 8. 53 plagg. litt. A—Z, Aa—Zz, AA—GG sign., 13 foll. non num., 829 pagg., 44½ foll. non num. (fol. A 1^{b} Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi, et Nicolai Bryling epist. Basil. m. Sept. 1540. scripta; fol. A 2^{a}—3^{a} Roberti Stephani epist. ad Lect. 9. Cal. Iul. 1536. scripta; fol. A 3^{b}—5^{b} Des. Erasmi epist. ad Ioannem et Stanislaum Boneros prid. Id. Dec. 1532. scripta; fol. A 6^{a}—7^{b} Idem De Metris; fol. A 7^{b}—B 4^{b} Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia non pauca, ex Aelio Donato; fol. B 4^{b}—5^{b} et [fol. B 6^{a}—BB 3^{a}] pag. 1—829. Terentii comoediae, Sulpitii Apollinaris periochis et Aelii Donati aliisque, [in tertia Comoedia, Calphurnii] argumentis cuique praemissis; atque scholiis margin. et commentario Aelii Donati, Cornuti et Asperi cuique scenae in calce annexo; fol. BB 3^{b}—FF 5^{b} Annotationes Phil. Melanchthonis doctiss. et breviss. in omnes Terentii Comoedias cum duplici argumento, et prologis in quatuor comoedias, eius epistola ad paedagogos praemissa; fol. FF 6^{a}—GG 8^{a} Index rer. et verb.; fol. GG 8^{b} Insigne typogr.) ***).

P. Terentii Afri comoediae omnes, Donati, Asperi, Cornuti, Ioan. Calphurnii doctissimorum Grammaticorum commentariis illustratae, multo quàm antehàc vnquàm prodierunt emendatius excusae, vnà cum argumentis Phil. Melan. D. Erasmi Roter. de Metris Comicis, vbi praeterquàm quod diligentissime pedum Comicorum ratio demonstratur, non pauca etiam hactenus à nemine animaduersa, sincerae lectioni restituuntur. Index vocum a commentatoribus declaratarum studiosissimè congestus. Antverpiae, apud Ioan. Steelsium, In Scuto Burgundiae, Anno M. D. XL. 8. 56 plagg., quarum prima asterisco, ceterae litt. A—Z, AA—ZZ, AAA—III sign. sunt, 16 foll. non num., 419 foll. num., 13 foll. non num. (fol. *1^{b} Volcati Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. *2^{a}—4^{a} Des. Erasmus Rot. de Metris; fol. *4^{a}—A 2^{a} Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia non pauca, ex Aelio Donato; fol. A 2^{b}—6^{b} Argumenta Ph. Melanchthonis in Terentii sex Comoedias; fol. A 7^{a}—8^{b} et fol. [B 1^{a}—HHH 3^{a}] 1^{a}—419^{a} Terentii comoediae, C. Sulpicii Apollinaris periocha et Aelii Donati prolegomenis et argumento cuique comoediae praemissis, et Aelii Donati, Cornuti et Asperi commentariis cuique prologo et scenae in calce annexis, et praeterea scholiis in margine textui adscriptis; fol. HHH 3^{b}—5^{a} Des. Erasmi Rot. epist. ad Ioannem et Stanislaum Boneros prid. Id. Dec. 1532. scripta; fol. HHH 5^{b}—III 8^{a} Index omnium quae in hisce Terentii commentariis observatione digna notantur; in cuius calce adduntur verba: Typis Ioan. Graphei; ult. pag. cont. Insigne typogr., in quo supra legitur nomen: Steelsius; infra: Concordia, res paruae crescunt.) †).

Terentii comoediae, iuxta Erasmi recognitionem. Contulimus et Ioan. Rivii Castigationes, Et addidimus alicubi Scholia profutura ad intelligendam Oeconomiam et seriem orationis. Philip. Melan. Lipsiae excudebat Nicolaus Wolrab, Anno M. D. XLII. — (In fine:) *Lipsiae excudebat Nicolaus Wolrab.* 1542. 8. 30 plagg. litt. A—Z, a—g sign., 240 foll. non num. (fol. A 2^{a}—5^{b} Des. Erasmi. Rot. epist. dedicat. ad Ioannem et Stanislaum Boneros; fol. A 6^{a}—B 2^{b} Idem de Metris comicis; fol. B 3^{a} Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. B 3^{b}—8^{b} Franc. Asulani praefatio ad Ioannem Glorierium; fol. C 1^{a}—D 6^{b} Terentii vita et de Tragoedia ac Comoedia non pauca ex Aelio Donato; fol. D 6^{b}—E 1^{b} Eiusd. praefatio et argumentum in Andriam Ter.; fol. E 2^{a}—

*) Hanc Ed., quae in Ed. Bipont. p. XVI. et a Schweigero l. l. p. 1058. memoratur, ex Biblioth. acad. Gotting. in manibus habeo.

**) Haec Ed. in Ed. Bipont. et a Schweigero l. l. p. 1058. affertur.

***) Haec Ed., cuius neque in Ed. Bipont. neque a Schweigero mentio facta est, in Biblioth. acad. Halensi asservatur.

†) Hanc Ed., quae a Schweigero l. l. p. 1058. memoratur, ex Biblioth. acad. Gotting. in manibus habeo.

g 6[b] Terentii comoediae cum scholiis margin., Melanthonis argumento et C. Sulpitii Apollinaris periocha cuique comoediae praemissis; in comoediarum fine legitur Clausula typogr.; 2 ult. foll. alba.) *).

Pub. Terentii Afri comoediae, ex optimorum exemplarium collatione, diligentius quàm unquam antehac, emendatae atque excusae. Accesserunt praeter Argumenta Philippi Melanchto. et Riuij castigationes, scholia cum omnium fere scenarum Argumentis, quae prolixi Commentarij uice esse possunt. (Infra haec Insigne *Ivonis Schoepfferi, typographi Moguntiaci*: Clypeus continens A, cui supra duae stellae utrinque appositae, et rosa interposita, atque litt. . I . S. suppositae sunt.) *Anno M. D. XLII.* s. l. 8. 25 plagg. litt. A — Z, Aa, Bb sign., 12 foll. non num., 385 pagg., ult. pag. vacat (fol. A 2[a] — 4[a] Terentii vita ex Aelio Donato; fol. A 4[b] — 7[b] Des. Erasmus Rot. de Metris Comicis; fol. A 8[a] — Bb 8[a] Terentii comoediae cum scholl. margin. et Melanthonis argumento et C. Sulpitii Apollinaris periocha cuique comoediae praemissis; ult. pag. alba) **).

P. Terentii comoediae sex Erasmi, Melanchthonis et alior. doctiss. viror. adiutis (sic) *MSS. exemplaribus, opera restitut. Basileae, Nic. Brylinger* 1543. 8. ***).

— *comoediae sex elegantissimae, cum Donati commentariis, ex optimorum praesertim ueterum exemplariorum collatione emendatae, atque scholijs exactissimis, a multis doctis uiris illustratae, et nunc denuo ab omnibus mendis repurgatae. Autorum nomina, qui scholia adiecerunt, aut loca restituerunt, sequens pagella declarabit.* (Infra haec Insigne typogr.: Tres leones, quorum unus clepsammidium tenet.) *Basileae apud Nicol. Brylingerum, Anno M. D. XLIII.* 8. 50 plagg. litt. a — z, A — Z, Aa — Dd sign. 818 pagg., ult. fol. non num. vac. (pag. 2. Autorum scholiorum huius Ed. Catalogus, in quo etiam afferuntur nr. 6. Ph. Melanchthonis duplicia argumenta in omnes Terentii Comoedias, cum scholiis sub finem positis; Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; p. 3 — 7. Erasmi Rot. epist. ad Ioannem et Stanislaum Boneros a. 1532. scripta; p. 8 — 11. Idem de metris; p. 11 — 20. Terentii vita, et de tragoedia ac comoedia, ex Aelio Donato; p. 21 — 750. Terentii comoediae cum scholl. margin., C. Sulpitii Apollinaris periochis, Aelii Donati prolegom. argumentisque, atque eiusdem et Cornuti Asperique commentariis in omnes comoedias et Calphurnii interpretatione in tertiam; p. 751 — 818. Annotationes Ph. Melanchthonis in omnes Terentii Comoedias cum duplici argumento, et prologis in quatuor comoedias, epistola ad Paedagogos praemissa.) ****).

— *comoediae VI cum interpretatt. Donati, Iuvenalis, Servii ac Ascensii nec non Calphurnii. Insuper et scholia ex Donati, Asperi et Cornuti commentariis decerpta ac etiam et Phil. Melanchthonis argumenta. Venetiis, Venturin. de Roffinellis.* 1543. Fol. cum figuris ligno incisis. 12 foll. non num. praefixa et 207 foll. num. †).

— *comoediae. Ex emend. ac fide dign. Codd. summa diligentia castigatae.* (Cum not. Phil. Melanchthonis, D. Erasmi Rot., Ant. Goveani, Steph. Doleti, Adr. Barlandi et alior.) *Venetiis, Hier. Scotus.* 1545. Fol. c. figg. ligno incisis.

— *comoediae* . . . . 8. (Indicem huius Ed. accuratius describere nequeo, quoniam primum folium in meo exemplari deest.) 27 plagg. litt. A — Z, a — d sign., 216 foll. non num. (fol. A 2[a] — 7[b] Adhortatio Phil. Melanchthonis de legendis Tragoediis et Comoediis Cal. Ian. Anno *M. D. XLV.* scripta; fol. A 8[a] — B 2[a] Erasmi Rot. epist. dedicat. ad Iohannem et Stanislaum Boneros pridie Id. Dec. 1532. scripta; fol. B 2[b] — 5[b] Idem de Metris Comicis; fol. B 6[a] Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. B 6[b] — C 1[b] Franc. Asulani praefatio ad Ioh. Glorierium; fol. C 2[a] — D 4[b] Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia, non pauca ex Aelio Donato; fol. D 5[a] — 7[a] Eiusd. praefatio et argumentum in Andriam Ter.; fol. D 7[b] — d 6[b] (?) Terentii comoediae cum scholl. margin. atque Melanthonis argumentis et C. Sulpitii Apollinaris periochis cuique comoediae praemissis) ††).

— *comoediae iuxta Io. Rivii castigationem. Adiecta sunt Eras. Rot. de metris Comicis, Item in singulas fabulas Argumenta et Scholia profutura ad intelligendam oeconomiam et seriem orationis per Philip. Melanch. M. D. XLV.* (Hic Index figuris ligno incisis cinctus est.) —

---

*) Hanc Ed., quae neque in Ed. Bipont., neque a Schweigero memoratur, ex Biblioth. reg. Stuttgard. in manibus habeo.

**) Haec Ed., ut videtur, rarissima, cuius item in illis duobus libris et in Schaabii libro supra p. 657 sq. nota *). laudato nulla fit mentio, in meis libris est.

***) Haec Ed. a Schweigero l. l. p. 1059. memoratur.

****) Hanc Ed. a Schweigero eodem loco allatam, ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo (etiam in Biblioth. acad. Gotting. et ducali Guelferbyt. haec asservatur).

†) Hanc Ed. et sequentem Schweigerus l. l. p. 1059. affert.

††) In huius Ed. exemplari, quod in meis libris est, primum folium et 7 ultima desunt, quapropter neque titulum, neque clausulam typogr., si qua adest, afferre possum. De tempore, quo haec Ed. manca sit excusa, vide infra p. 677 sq. notam **).

(In fine:) *Augustae Vindelicorum per Henricum Steyner.* 8. 22 plagg. litt. A—Y sign., 176 foll. non num. (fol. A 2 a—B 3 a Io. Rivii Atthendoriensis epistola nuncupat. ad Iulium Phlugk; fol. B 3 b—6 b Des. Erasmus Rot. de Metris Comicis; fol. B 7 a—8 b Ex Aelio Donato de Comoediis; fol. C 1 a—Y 8 a Terentii comoediae cum scholl. margin. atque Melanthonis argumento et C. Sulpitii Apollinaris periocha cuique comoediae praemissis; in calce Clausula typogr. addita est, ult. pag. vacat) *).

P. Terentii comoediae sex, cum prioribus ferme castigationibus et plerisque explicationibus, et auctario insuper quodam, editae studio et cura Ioachimi Camerarii Pabergensis. Lipsiae in officina Valentini Papae Anno M. D. XLVI. Idib. April. 8. 35½ plagg. litt. Aa, Bb, A—V (½ pl.), a—o sign., 312 foll. non num. (fol. Aa 2 a—6 a Cohortatio Ph. Melanchthonis ad legendas tragoedias et comoedias, Cal. Ian. 1545. scripta; fol. Aa 6 a—Bb 8 b Terentii vita et de tragoedia ac comoedia, ex Aelio Donato, eiusque praefatio et argumentum in Andriam Terentii; fol. A 1 a—V 3 a Terentii comoediae sex, Sulpitii Apollinaris periochis cuique praemissis; fol. V 3 b—4 a Terentii vita ex Petro Crinito; fol. V 4 b alb.; fol. a 1 a—h 5 a Ioach. Camerarii annotata ad omnes Terentii comoedias, praemissa epistola nuncup. ad Christophorum ad Limperg; fol. h 5 b—o 8 a Annotationes Ph. Melanchthonis in omnes Terentii comoedias cum duplici argumento, epistola ad paedagogos praefixa; fol. o 8 b vacat) **).

— — (Idem Index ac Ed. Basil. 1543. cum eodem Insigni.) *Basileae apud Nicol. Brylingerum, Anno M. D. XLVIII.* 8. 45 plagg. litt. a—z, A—Y sign., 13 foll. non num., 692 pagg., ult. fol. album. (fol. a 1 b Autorum et Scholiorum, quibus editor usus est, catalogus; Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. a 2 a—3 b Erasmi Rot. epist. ad Ioannem et Stanislaum Boneros prid. Id. Dec. 1532. scripta; fol. a 4 a—5 b Idem de metris; fol. a 5 b—b 1 b Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia non pauca, ex Aelio Donato; fol. b 2 a—5 b et [fol. b 6 a—T 1 b] pag. 1—632. Terentii comoediae cum scholl. margin., Sulpitii Apollinaris periochis, Aelii Donati prolegom. argumentisque, atque eiusdem et Cornuti Asperique commentar. in omnes comoed. et Calphurnii in tertiam; p. 633—692. Melanchthonis annotationes in omnes Ter. comoedias cum duplici argumento, altero in integras comoedias, altero in singulos prologos et scenas, eiusque prologi in quatuor comoedias; ult. fol. vac.) ***).

Terentii comediae sex. Cum comment. Phil. Melanchthonis. Venetiis 1549. Fol. †).

*P. Terentii Afri comoediae sex elegantissimae, Erasmi Roterodami, Philippi Melanchthonis, et aliorum doctissimorum uirorum, adiutis manuscriptis exemplaribus, opera ita restituta, ut studiosus puer nihil desiderare possit. Addita sunt haec, Argumenta eiusdem Philippi Melanchthonis in omnes comoedias. Itemque Pauli Mallcoli in singulas scenas. Scholia praeterea tum Philippi Melanchthonis, quae quidem * praenotavimus, tum Petri Marsi, in loca obscuriora, neutiquam contemnenda. Praeterea adiectae sunt Christophori Hegendorphini adnotatiunculae nuper editae, quas hac figura + notauimus.* (Infra haec Insigne typogr.: tres leones, quorum unus clepsammidium tenet) *Basileae apud Nicolaum Bryling. Anno M. D. L.* 8. 29 plagg. litt. a—z, A—F sign., 12 foll. non num., 435 pagg., 2½ foll. alba. (fol. a 1 b Vincentii Obsopoei epigramma [9 disticha] ad pueros in commendationem Terentii; fol. a 2 a—4 b Epistolae tres: Chrph. Hegendorphini ad Benedictum Bilde, Phil. Melanchthonis ad paedagogos, et Franc. Asulani ad Io. Glorierum; fol. a 5 a—b 2 a Terentii vita, et de tragoedia ac comoedia non pauca ex Aelio Donato; fol. b 2 a—4 a P. Terentii vita ex libro primo Petri Criniti de poëtis Latinis; De partibus personarum et actuum Andriae eiusque Argumentum; Volcatii Sedigiti de comicis Latinis Iambi; fol. b 4 et [fol. b 5 a—F 4 a] pag. 1—431. Terentii comoediae cum Melanthonis, Hegendorphini al. scholiis in margine textui adiectis et Petri Marsi commentariolo singulis prologis et scenis annexo; atque Melanthonis argumento et C. Sulpitii Apollinaris periocha cuique comoediae, et Pauli Malleoli argumento cuique prologo scenaeque praefixis; pag. 432—435. Ciceronem cupidum fuisse Terentiani sermonis, et Plautina multis in locis a Terentio usurpata. Ex commentariis in I. Tusc. Quaest. lib. Ioach. Camerarii; ult. pag. vacat) ††).

— *comoediae sex, singulari, et accurato studio editae, praepositis singulis et comoediis, et scenis succinctis doctiss. virorum Philip. Melancht. et Ioachimi Camerarij argumentis, eorundemque scholijs suo cuique loco, nec non Georgij Fabritij Chemnicensis annotationibus ad finem*

---

*) Hanc Ed., quae in Ed. Bipont. et a Schweigero non memoratur, ex Biblioth. regia Stuttgard. in manibus habeo.

**) Haec Ed., quae neque in Ed. Bipont., neque a Schweigero affertur, in meis libris est.

***) Hanc Ed., quae in Ed. Bipont. p. XVI. et a Schweigero l. l. p. 1059. affertur, ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus teneo. Etiam in Biblioth. acad. Gotting. et Vratisl. asservatur.

†) Haec Ed., quae neque in Ed. Bipont., neque a Schweigero memoratur, in Biblioth. acad. Ienensi est.

††) Hanc Ed., quae a Schweigero l. l. p. 1060. affertur, ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo; etiam in Bibl. ducali Guelferb. asservatur.

adiunctis, quae uel prolixi commentarij uice esse poterunt. Vratislaviae in officina Andreae Wingleri. M. D. L. 8. 23 plagg. litt. a, b, A—Z, Aa—Cc sign., 16 foll. non num., 389 pagg., $13\frac{1}{2}$ foll. non num. (fol. a 2ᵃ—6ᵃ Cohortatio Ph. Melanchthonis ad legendas tragoedias et comoedias 1545. scripta; fol. a 6ᵇ—b 3ᵃ Terentii vita atque de comoedia et tragoedia, ex Aelio Donato; fol. b 3ᵇ—5ᵇ De comicis versibus; fol. b 6ᵃ Volcatii Sedigiti de comicis Latinis iambi; fol. b 6ᵇ—8ᵇ et [fol. A 1ᵃ—Bb 3ᵃ] p. 1—389. Terentii comoediae cum scholl. margin., Melanchthonis et Camerarii argum. et Sulpitii Apollinaris periochis; fol. Bb 3ᵇ—Cc 6ᵇ Proverbiales figurae, quibus usus est et ad quas allusit Terentius; fol. Cc 7ᵃ—8ᵃ Terentii vita ex lib. I. Petri Criniti, de poetis Latinis; fol. Cc 8ᵇ vacat) *).

P. Terentii comoediae sex elegantissimae, cum Donati commentarijs, ex optimorum praesertim ueterum exemplariorum collatione emendatae, atque scholijs exactissimis, à multis doctis uiris illustratae, et nunc denuo ab omnibus mendis repurgatae. (Infra haec Insigne typogr.: tres leones, quorum unus clepsammidium tenet) *Basileae, apud Nicolaum Brylingerum. Anno M. D. LI.* 8. 45 plagg. litt. a—z, A—Y sign., 13 foll. non num., 692 pagg., ult. fol. album. (fol. a 1ᵇ Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. a 2ᵃ—3ᵇ Des. Erasmi Rot. epist. ad Ioannem et Stanislaum Boneros prid. Id. Dec. 1532. scripta; fol. a 4ᵃ—5ᵇ Idem de Metris; fol. a 5ᵇ—b 1ᵇ Terentii vita et de tragoedia ac comoedia non pauca, ex Aelio Donato; fol. b 2ᵃ—5ᵇ et [fol. b 6ᵃ—T 1ᵇ] pag. 1—632. Terentii comoediae, cum scholiis margin. et commentariis [Aelii Donati, Cornuti et Asperi] cuique prologo scenaeque in calce annexis, atque C. Sulpitii Apollinaris periocha et Donati prolegomenis ac argumento cuique comoediae praemissis; p. 633—692. Melanchthonis epist. ad paedagogos, duplicia argumenta et annotationes in omnes Ter. comoedias, eiusque prologi in quatuor comoedias.) **).

Terentii comoediae cum cohortatione et annotationibus Phil. Melanthonis. Lipsiae 1552. 8. ***).

— *comoediae. Ex emendatiss. ac fide digniss. Codd. summa diligentia castigatae, versibus in suas dimensiones restitutis ac variis lectionibus in margine appositis etc. Index locupletiss. Parisiis, apud Ioan. de Roigny* 1552 — (In fine:) *Parisiis, excudebat Bened. Prevotius* 17 *Cal. Decbr.* 1551. [in fine aliorum exemplarium leguntur: *ipsis Calendis Ianuarii* 1552.] Fol. cum figg. ligno incisis. 1 fol. tit., 776 pagg., 19 foll. non num. Indices. Haec Ed. commentarios priorum interpretum integros continet ****).

P. Terentii Afri poetae lepidissimi comoediae omnes. Cum absolutis commentariis Aelii Donati, Guidonis Iuuenalis Cenomani, Petri Marsi in omnes fabulas: Stephani Doleti in Andriam et Eunuchum: Ioannis Calphurnii Brixiensis in Heautontimorumenon. Accedunt D. Erasmi Roterodami annotationes in genera carminum, et idiomata personarum, quae sparsa sunt per omnes comoedias. Philippi Melanchthonis in singulas fabulas planissima argumenta. Antonij Goueani Epistola ad Guillelmum Bellaium Langeum Taurini Proregem de castigatione harum comoediarum. Eiusdem de versibus Terentianis, necnon De ludis Megalensibus, ac quaedam perpulchrae annotationes. Barptolemaei Latomi in singulas scenas Argumenta, Ordo et distinctio partium fabulae, Vocum quarundam et locorum difficilium explicatio, Loci argumentationum et amplificationum principales, Schemata passim et ornamenta orationis. Ioannis Riuij Attendoriensis Castigationes ex plurimis Terentij locis, adiecta quorundam obiter explicatione. Eiusdem in Andriam pulcherrimae Annotationes, quae maxime ad hominum mores facere videntur. Henrici Loriti Glareani Heluetij in carmina Terentii per omnes eius Comoedias iudicium. His item addidimus cuiusque Scenae terna Argumenta uarijs uerbis eadem tamen sententia descripta. Metris in suum ordinem recte restitutis, ac variis lectionibus in margine appositis ex collatione postremarum editionum Aldini et Gryphiani exemplaris. Eorum quae in his interpretum commentariis annotata sunt, Index amplissimus. (Haec sequitur Insigne typogr.) *Venetiis Apud Bartholomaeum Caesanum. Anno M D LIII.* — (In fine:) *Venetiis Apud Bartholomaeum Caesanum. Anno M D LIII.* Fol. 14 foll. non num. praefixa asteriscis * et ** sign.,

---

*) Hanc Ed., cuius neque in Ed. Bipont., neque a Schweigero mentio fit, ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo.

**) Hanc Ed., cuius neque in Ed. Bipont., neque a Schweigero mentio fit, ex Biblioth. regia Stuttgard. in manibus teneo; etiam in Bibl. acad. Vratisl. asservatur.

***) Haec Ed., quae item in illis libris non memoratur, in Biblioth. acad. Lips. est.

****) Sic hanc Ed., quae in Biblioth. acad. Gotting. [cuius exemplar priorem Clausulam typogr. continet] et ducali Guelferb. est [cuius exemplar posteriorem Clausulam praebet], Schweiger l. l. p. 1060 affert; in Ed. Bipont. p. XVII. huius Ed. Index sic refertur: *Ter. comoediae c. variis lectt. et restituta versuum ratione et scholiis Donati, Calphurnii, Commentariis et annotationibus Melancht., Erasmi. Gov., I. C. Scalig., L. Vict. Fausti, P. Bembi, Barlandi, Latomi, Marsi, Rivii, Steph. Doleti, Glareani, Io. Theod. Bellovaci et Iod. Willichii. Parisiis* 1552. Fol. c. figg. — Index exemplaris Bibliothecae Guelferb. mihi sic indicatus est: *Argumenta in fabulas Terentii. Parisiis* 1552. 4. Haecne alia Ed. est?

233 foll. num. litt. A—Z, Aa—Qq sign. (fol. * 2ª—3ª Argumenta Ph. Melanchthonis in Terentii comoedias; fol. * 3ª—5ª Erasmus Rot. de metris, eiusque in carminum genera annotationes; fol. * 5ª—** 2ᵇ Ant. Goveani in Terentii comoedias annotatt., epistola ad Guill. Bellaium Langeum praefixa; eiusque de versibus Terent. et al.; fol. ** 3ª—4ª Terentii vita, et de tragoedia ac comoedia, ex Aelio Donato; fol. ** 4ᵇ Castigationes in aliquot loca Terentii ex dialogo quod. P. Bembi; fol. ** 5ª—8ª Index, Volcatii Sedigiti de comicis Lat. Iambis et Steph. Doleti iudicio annexis; fol. ** 8ᵇ et fol. 1ª—233ᵇ Terentii comoediae cum Erasmi Rot. idiomatis personarum, Sulpitii Apollinaris periochis, Aelii Donati praefatt. et argumentis, eiusque, et Goveani, Latomi, Petri Marsi, Rivii, Doleti, Glareani commentar. in omnes comoed. et Calphurnii in tertiam. Haec Ed., teste Schweigero, est repetitio Ed. Venetae a. 1546. *).

Terentius, In quem triplex edita est P. Antesignani Rapistagnensis Commentatio. Primum exemplar: Commentariolum est ex omni interpretationum genere: in quo affixi sunt ad singula vocabula hyperdisyllaba Accentus, appositaeque ad singulos versus Dimensiones, et multiplicia, copiosaque ad omnes Comoedias singulasque Scenas Argumenta, variae insuper Annotationes, et exactae Castigationes. — Secundum exemplar: Praeter singula contenta in primo, omnium fere, quotquot sunt qui in Terentium aliquid ediderunt, Commentarios, Expositiones, Annotationesque complectitur. — Tertium exemplar: Ex omnium Interpretum Commentariis compendiosum expositionem, etc. continet. Horum omnium ratio in Praefatione reddita est. Editio secundi exempl. (Haec sequitur Insigne typogr.) *Lugduni. Apud Mathiam Bonhome, sub Claua Aurea. M. D. LX.* 4. 112 plagg. sign. †, **—***** et litt. a—z, A—Z, Aa—Zz, AA—ZZ, AAa—PPp sign., 20 foll. non num. praefixa, 850 pagg., ult. fol. album (fol. † 1ᵇ Elenchus (18) Interpretum, in quo primo loco afferuntur: Phil. Melanchthonis Annotationes, et in singulas fabulas planissima Argumenta; fol. † 2ª—**3ª Antesignani praefatio; fol. ** 3ᵇ—***** 4ᵇ Eramus Rot. de metris, Rivii castigatio, Goveanus de verss. Terent., Scaligeri liber de comicis dimensionibus, Glareani de metris comicis iudicium, Terentii vita atque de comoedia et tragoedia, ex Aelio Donato; pag. 1—850. Terentii comoediae cum annotatt. argumentisque etc. Melanchthonis, Mureti, Malleoli, Hegendorphini, Erasmi, Bembi, Donati, Calphurnii, Barlandi, Latomi, Marsi, Rivii, Doleti, Glareani et Willichii.) **).

— comoediae scholiis illustratae studio et labore Ph. Melanchthonis et Erasmi Rot. Mulhusae. 1568. 8. ***).

Publii Terentii Afri comoediae sex, iuxta Erasmi Roterodami recognitionem et castigationem. Opera Philippi Melanthonis, castigatiùs in lucem editae: et scholijs, ac figuris lepidissimis in singulas Comoedias illustratae. Choriambicum I. C. A. In laudem Terentij.

Scriptores perhibent, esse Terentium
Sermonis Latij praecipuum decus.
Hic ergo, pueris, iugiter in sinu
Sit primus, cupidis promptius eloqui.

Franc.[ofurti] *Apud Haer. Chr. Egen.*[olphi] *M. D. LXXV.* 8. cum figuris, 31 plagg. litt. A—Z, a—h sign., 494 pagg. (pag. 2. Catalogus eorum, quae insunt in hoc libro; p. 3—11. Des. Erasmi Rot. epist. dedicatoria ad Ioannem et Stanislaum Boneros pridie Id. Dec. 1532. scripta; p. 12—20. Idem de Metris Comicis; p. 20—21. Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; p. 21—30. Franc. Asulani epist. ad Io. Glorierium; p. 31—59. Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia non pauca, ex Aelio Donato; p. 60—65. Eiusd. praefatio et argumentum in Andriam Terentii; p. 66—72. Melanthonis argumentum in Andriam Ter.; p. 73 sq. Varietas personarum in comoediis, ex commentario Erasmi de rerum copia; p. 75—494. Terentii comoediae cum scholiis margin., Melanthonis argumento, [Erasmi] idiomatis personarum et C. Sulpitii Apollinaris periocha cuique comoediae, et brevi argumento cuique scenae praemissis †).

Terentii comoediae scholiis illustratae studio et labore Phil. Melanchthonis et Erasmi Roterodami. Gorlicii, excudebat Ambros. Fritsch. 1575. 8. ††).

---

*) Hanc Ed., quae in Ed. Bipont. p. XVII. et a Schweigero l. l. p. 1060. affertur, ex Biblioth. senat. Lips. in manibus habeo.

**) Hanc Ed., quae in Ed. Bipont. p. XVIII. brevissime memoratur, Schweigerum vero fugit, ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo.

***) Sic hanc Ed. Schweiger l. l. p. 1062. affert; in Ed. Bipont. autem p. XIX. haec affertur: Ter. comoediarum Ed. *Mulhusana* Steph. *Riccii* I, e praelect. doctor. *Viteberg.* 1568. 8. An haec illius repetitio est?

†) Haec Ed., quae in meis libris est, in Ed. Bipont. p. XIX. memoratur, Schweigero autem latuit.

††) Hanc Ed., quae in Biblioth. acad. Gotting. est, et subsequentem Schweiger l. l. p. 1062. affert.

Terentii comoediae emendatae. Accesserunt Terentii vita, argumenta in fabulas et scenas et annotationes. Venetiis, Io. Gryph. 1575. 8. Haec Ed. verosimiliter etiam Melanthonis argumenta et scholia (?) continet.

P. Terentii comoediae sex, iam denuo scholiis illustratae, atquae (sic) *caeteris multo castigatiores Editae studio et labore Philippi Melanthonis, ac Erasmi Roterodami.* (Haec sequitur Insigne typogr.) *Lipsiae Excudebat Iohannes Beyer, Anno M. D. LXXXVIII.* 8. 27 plagg. litt. A—Z, a—d sign., 216 foll. non num., quorum ultimum vacat (fol. A 2ª—7ª Adhortatio Melanchthonis de legendis Tragoediis et Comoediis 1545. scripta; fol. A 7ª—B 2ª Erasmi epist. dedicat. ad Ioh. et Stanisl. Boneros; fol. B 2ª—6ᵇ Idem de metris comicis, annexis Volcatii Sedigiti iambis; fol. B 6ᵇ—C 2ᵇ Franc. Asulani praefatio; fol. C 2ᵇ—D 7ᵇ Terentii vita et de tragoedia ac comoedia, ex Aelio Donato, eiusque praefatio et argumentum in Andriam Terent.; fol. D 8ª—d 7ᵇ Terentii comoediae c. scholl. marg., praemissis Ph. Melanthonis praefat. et argumentis, [Erasmi] idiomatis personarum, et Sulpitii Apollinaris periochis) *).

Publii Terentii Afri comoediae sex, iuxta Erasmi Roterodami recognitionem et castigationem. Opera Philippi Melanthonis, castigatiùs in lucem editae: et scholijs, ac figuris lepidissimis in singulas Comoedias illustratae. Choriambicum I. C. A. In laudem Terentij.

> *Scriptores perhibent, esse Terentium*
> *Sermonis Latij praecipuum decus.*
> *Hic ergò, pueris, iugiter in sinu*
> *Sit primus, cupidis promptiùs eloqui.*

M. D. XCII. (His litt. numeralibus interpositum est Insigne typogr.: Ara quadrata, super quam cor flammis cinctum conspicitur) *Franc. Apud Martinum Lechlerum, sumptibus haeredum Christiani Egenolphi.* — (In fine:) *Francoforti ad Moenum, ex officina Martini Lechleri, sumptibus haeredum Christiani Egenolphi.* Infra haec, ara rotunda, in qua cor flammis cinctum est. Hanc sequitur numerus: *M. D. XCII.* 8. 27½ plagg. litt. A—Z, a—e (½ pl.) sign., 437 pagg., seq. pag. non num. Clausulam cont., ult. fol. album. (pag. 2. Catalogus eorum, quae insunt in hoc libro; p. 3—8. Des. Erasmi Rot. epist. dedicatoria ad Ioannem et Stanislaum Boneros; p. 9—15. Idem de Metris Comicis; p. 15—16. Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; p. 16—24. Franc. Asulani epist. ad Io. Glorierium; p. 25—49. Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia non pauca, ex Aelio Donato; p. 50—54. Eiusd. praefatio et argumentum in Andriam Ter.; p. 54—59. Melanthonis argumentum in Andriam Ter.; p. 60—61. Varietas personarum in comoediis, ex commentario Erasmi Rot. de rerum Copia; p. 62—437. Terentii comoediae cum scholiis margin., Melanthonis argumentis, [Erasmi] Idiomatis personarum praecipuarum et C. Sulpitii Apollinaris periochis, quae singulis comoediis praemissa sunt, et brevioribus argumentis in singulas scenas; pag. antepenult. non num. Clausulam c. Insigni typogr. cont., ult. fol. album) **).

Publii Terentii Afri comoediae sex, multis in locis emendatae, annotationibusque marginalibus illustratae. Adiectae sunt breues et succinctae in loca obscuriora ex Mureti Georgij et Francisci Fabriciorum et aliorum lucubrationibus notae. (Infra haec Insigne typogr. supra descr.: Gryphus etc.) *Lugduni, apud Ant. Gryphium, M. D. XCII.* 16. 24 dimidiae plagg. 8 foll. cont., litt. a—z, aa sign., 8 foll. non num., 300 pagg., 34 foll. non num. (fol. a 2ª Typographi epist. Cal. Ian. 1555. scripta; fol. a 2ᵇ—4ᵇ Terentii vita per Aelium Donatum; fol. a 5ª—8ᵇ et [fol. b 1ª—v 6ᵇ] pag. 1—300. Terentii comoediae c. scholl. margin., atque [Melanthonis] argumentis et C. Sulpicii Apollinaris periochis in singulas comoedias Ter.; fol. v 7ª Volcatii Sedigiti de comicis Latinis iudicium [iambicum]; fol. v 7ᵇ—x 1ª Index verborum veterum et raro usitatorum apud Terentium; fol. x 1ᵇ—z 3ᵇ Annotationes in Ter. comoedias; fol. z 4ª—5ª M. Ant. Mureti de metris Terentianis; fol. z 5ᵇ—aa 7ᵇ Sententiae Terentianae; ult. fol. album.) ***).

— — (Index ut in Ed. Francof. 1592.) M. D. C. II. (interposito Insigni: Ara rotunda, in qua cor flammis cinctum est) *Franc. Apud Ioannem Saurium, sumptibus haeredum Christiani Egenolphi.* — (In fine:) *Francofurti ad Moenum, ex officina Iohannis Saurii, sumptibus haeredum Christiani Egenolphi.* Infra haec Insigne: Ara rotunda etc. seq. numero: M. DCII. 8. 27½ plagg. litt. A—Z, a—e (½ pl.) sign. 437 pagg., seq. pag. non num. Clausulam cont., ult. fol. album. Haec Ed. eadem eodemque ordine exhibet, ac Ed. Francof. a. 1592. ****).

---

*) Haec Ed., quae in Ed. Bipont. p. XX. memoratur, in meis libris est.

**) Haec Ed., quam ex Biblioth. acad. Erlang. in manibus habeo, in Ed. Bipont. p. XX. breviter memoratur, Schweigerum autem fugit.

***) Haec Ed., quae neque in Ed. Bipont., neque a Schweigero memoratur, in Biblioth. acad. Halensi est.

****) Hanc Ed., quae in Ed. Bipont. p. XX. memoratur, a Schweigero autem omittitur, ex Biblioth. acad. Erlang. in manibus habeo.

Publii Terentii comoediae sex iam denuo scholiis illustratae, atque caeteris multò castigatiores, Editae studio et labore Philippi Melanchthonis, ac Erasmi Roterodami. Francofordiae ad Oder., excudebat Andr. Eichorn **1606.** 8. *).

— *comoediae sex c. emend. Phil. Melancht. et Des. Erasmi. Witteberg. ap. Seuberlich.* **1614.** 8. **).

— — (Index ut in Ed. Francof. **1606.**) Haec verba sequitur Insigne typogr.: Iacobus cum angelo luctans. *Lipsiae Apud Iacobum Apelium Bibliopol. Anno M DC XIV.* — (In fine:) *Lipsiae.* sequente Insigni, quod flores, duosque angelos etc. cont. *Imprimebant Haeredes Valentini* am Ende. *Anno M. DC. XV.* 8. **27** plagg. litt. A—Z, a—d sign., **35** foll. non num., **360** pagg., ult. fol. non num. (fol. A 2ª—8ª Melanchthonis adhortatio de legendis Tragoediis et Comoediis Cal. Ian. **1545.** scripta; fol. A 8ᵇ—B 3ᵇ Erasmi epist. dedicat. ad Iohannem et Stanislaum Boneros pridie Id. Dec. **1532.** scripta; fol. B 4ª Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. B. 4ᵇ—8ᵇ Franc. Asulani praefatio ad Ioh. Glorierium; fol. C 1ª—D 4ª Terentii vita, et de Tragoedia ac Comoedia, non pauca ex Aelio Donato; fol. D 4ᵇ—7ª Eiusd. praefatio et argumentum in Andriam Ter.; fol. D 7ᵇ—E 3ᵇ et [fol. E 4ª—d 7ᵇ] pag. **1**—**360.** Terentii comoediae c. scholl. margin. et Melanchthonis argumentis, [Erasmi] idiomatis personarum praec. et C. Sulpitii Apollinaris periochis in singulas comoedias; fol. d 8ª non num. Clausula c. Insigni; fol. d 8ᵇ vacat.) ***)

— — (Index ut in Ed. Francof. **1606.**) **16 23** (interposito Insigni: Samuele Davidem unguente) *Witebergae Impensis haeredum Samuelis Selfischij.* 8. **27** plagg. litt. A—Z, a—d sign., **216** foll. non num. (fol. A 2ª—7ᵇ Melanchthonis adhortatio de legendis Tragoediis et Comoediis; fol. A 8ª—B 2ᵇ Erasmi epist. dedicat. ad Iohannem et Stanislaum Boneros prid. Id. Dec. **1533.** scripta; fol. B 3ª—7ª Erasmus de metris comicis; Volcatii Sedigiti de Comicis Latinis Iambi; fol. B 7ª—C 3ª Franc. Asulani praefatio ad Ioh. Glorierium; fol. C 3ᵇ—D 6ª Terentii vita et de Tragoedia ac Comoedia, non pauca ex Aelio Donato; fol. D 6ᵇ—8ᵇ Eiusd. praefatio et argumentum in Andriam Ter.; fol. E 1ª—d 7ᵇ Terentii comoediae, quarum cuique Melanthonis argumentum, [Erasmi] Idiomata personarum et C. Sulpitii Apollinaris periocha praemissa sunt; fol. d 8. vac.) ****).

Praeter has Editiones, quae Terentii comoedias cum argumentis et scholiis continent, memoranda est collectio commentariorum variorum, textu omisso, quae sic est inscripta:

In P. Terentii comoedias sex novus commentarius, Ex publicis praelectionibus doctissimorum virorum, qui olim in celeberrima Academia Witebergensi floruerunt, In usum Scholasticae Iuventutis magno studio et labore collectus, Et nunc primum aeditus a M. Stephano Riccio. Tomus Primus Continet argumenta, Grammaticas annotationes, et scholia textus in Andriam et Eunuchum. Leucopetrae, Hantzsch. M. D. LXVI. 8. †) — Hic Tomus recusus est *M. D. LXVIII.* (in fine:) *Mulhusii. Excudebat Georgius Hantzsch, Anno M. D. LXVIII.* 8. **52** plagg. ††) — *M. D. LXXV.*, cum Insigni typogr.: Iacobus cum angelo luctans, (in fine:) *Lipsiae Iohannes Rhamba excudebat. D. M. LXXV.* (sic) 8. **52** plagg. †††) — *Lipsiae, Ioh. Beyer excud. M. D. LXXXII.* 8. ††††) — *Lipsiae, Berwald M. D. LXXXVII.* (?) 8. — *Gorlicii, excud. Ambros. Fritsch. M. D. XCVI.* 8.

Tomus Secundus Continet Argumenta, Grammaticas Annotationes et Scholia textus in Heautontimorumenon et Adelphos. M. D. LXVII., (in fine:) *Lipsiae excudebat Iohannes Rhamba impensis Iacobi Apelii Bibliopolae Lipsensis*, superimposito Insigni typogr.: Iacobus cum angelo luctans. 8. 44½ plagg. †*). — Hic Tomus recusus est *Gorlicii, excud. Ambros. Fritsch impensis Iac. Apelii M. D. LXXXII.* †**) — *Lipsiae, Berwald M. D. LXXXVII.* (?) 8. — **15 96** in-

---

*) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 1064. memorat.

**) Sic haec Ed. in Ed. Bipont. p. XXI. memoratur.

***) Haec Ed., cuius neque in Ed. Bipont. neque a Schweigero mentio fit, in meis libris est.

****) Hanc Ed., quae item in his duobus libris non memoratur, ex Biblioth. magniduc. Wimar. in manibus habeo.

†) Hanc Ed. Schweiger l. l. p. 1086. affert.

††) Haec Ed. Schweigero ignota in Biblioth. acad. Halensi et in meis libris est.

†††) Haec Ed., quae Schweigero latuit, in meis libris est.

††††) Hanc Ed. et seqq. Schweiger eod. loco memorat.

†*) Haec Ed., quam Schweiger ibid. memorat, in Biblioth. acad. Halensi et in meis libris est.

†**) Hanc Ed. et seqq. Schweiger ibid. affert.

terposito illo Insigni typogr.: Iacobus cum angelo luctans, sine loci et typographi nomine. 8. 45 plagg. Ex illo autem insigni intelligitur, hanc quoque Ed. impensis Iac. Apelii esse excusam *).

Tomus Tertius Continet Argumenta, Grammaticas Annotationes et Scholia textus in Hecyram et Phormionem. Lipsiae, Rhamba. M. D. LXVIII. 8. **) — Hic Tomus recusus est *M. D. LXXVII.* cum Insigni typogr.: Iacobus cum angelo luctans, (in fine:) *Lipsiae Iacobi Bervaldi haeredes excudebant, expensis Iacobi Apelij Bibliopolae Lipsen. M. D. LXXVII.* superimposito Insigni typogr.: Sylva cum urso. 8. 43 plagg. ***) — *M. D. LXXXIIII.* cum Insigni typogr.: Iacobus cum angelo luctans, (in fine:) *Mulhusii Georgius Hantzsch excudebat, expensis Iacobi Apelii, Bibliopolae Lipsen: Anno M. D. LXXXIIII.* 8. 43 plagg. ****) — *Lipsiae, Berwald M. D. LXXXVII* (?) 8. †). — *Gorlicii, excud. Ambros. Fritsch. M. D. XCVI.* 8. — *Anno M. DC.*, interposito Insigni typogr.: Iacobus cum angelo luctans, (in fine:) *Lipsiae Excudebat Franciscus Schnelboltz. Typis haeredum Beyeri. Anno M. DC.* 8. 43 plagg. ††).

Cuique Tomo Steph. Riccius epistolam dedicatoriam vel praefationem praemisit, quam Commentarii in binas comoedias sequuntur, quorum auctores in catalogo epistolae dedic. Tomi I. proxime adiuncto enumerantur, videlicet hi septem: 1. *Philippus Melanthon,* 2. *Ioannes Rivius,* 3. *Iacobus Milichius,* 4. *Casparus Cruciger senior,* 5. *Ambrosius Bernt Iuterbocensis,* 6. *Ioannes Stigelius,* 7. *Andreas Misenus senior.* — In hac collectione *Melanthonis argumenta* in Andr., Eunuch., Heautontim., Adelph. ac Phorm., et *prologi* in Heautontim. atque Adelph. inveniuntur; eius scholia autem desiderantur.

Denique afferendi sunt libri, in quibus soli *Melanthonis prologi* in aliquot Terentii comoedias exhibentur:

Farrago aliquot Epigrammatum Philippi Melanchthonis, et aliorum quorundam eruditorum Opusculum sane elegans et novum. Haganoae per Iohannem Secerium. An. M. D. XXVIII., Mense Ianuario. 8. 11 plagg.

Melanthonis Operum, quae *Basileae M. D. XLI.*, prodierunt *Tom. V.*, in quo p. 329—331. Mel. tres prologi in Andriam, prologus in Eunuchum, prologus in Adelphos et duo prologi in Phormionem leguntur.

Prologi aliquot, olim scenicis actionibus praemissi, exhibitis in Academia Vitebergensi. Quibus adiuncti sunt recentes aliquot. Vitebergae excusi apud haeredes Georgii Rhaw. Mense Septembri. 1554. 8. min. (accuratiorem huius libri descriptionem vide in huius Corp. Reform. Vol. XVIII. p. 291 sq.), ubi fol. A 2ᵇ—3ᵃ Melanthonis prologi in Andriam et fol. A 7ᵃ—8ᵃ in Phormionem Terentii inveniuntur †††).

Philippi Melanthonis Epigrammatum libri tres collecti ab Hilbrando Grathusio Vfflenienſi. Vitebergae excudebat Petrus Seitz. Anno M. D. LX. 8., in quo libro fol. K 1ᵇ—5ᵇ. 7. Mel. tres prologi in Andriam, prologus in Eunuchum, prologus in Adelphos et tres prologi in Phormionem Terentii exhibentur.

Reverendi et clariss. viri Philippi Melanthonis Epigrammatum libri sex recens editi studio et opera Petri Vincentij Vratislaviensis. Witebergae Anno M. D. LXIII. 8., ubi fol. K 1. Mel. prologus in Andriam et fol. K 3ᵃ eius prologus in Phormionem Terent. reperitur.

Huius corporis Reform. Vol. X., in quo p. 496—501. nr. 43. 45. 48. Mel. prologus in Eunuchum, prol. in Andriam et prol. in Phormionem Terentii sunt recusi.

Ex his elucet, Terentii comoedias, Melanthonis aut solius aut etiam aliorum studio emendatas illustratasque septies et quadragies prodiisse: 1) *Tubingae* 1516. 4., 2) *Lipsiae* 1518. 4., 3) *ibid.* 1519. 4., 4) *Antverpiae* 1526. 8., 5) *Haganoae* 1528. 8., 6) *Moguntiae* 1528. 4., 7) *Parisiis* 1529. Fol., 8) *Lugduni* 1529. 8., 9) *ibid.* 1532. 8., 10) *Argentorati* 1533. 8., 11) *Coloniae* 1534. 8., 12) *Lugduni* 1538. 8., 13) *Witenbergae* 1539. 8., 14) *Lugduni* 1539. 8., 15) *ibid.* 1540. 8., 16) *Basileae* 1540. 8., 17) *Antverpiae* 1540. 8., 18) *Lipsiae* 1542. 8., 19) *Moguntiae* 1542. 8., 20) *Basileae* 1543. 8., 21) *ibid.* iterum 1543. 8., 22) *Venetiis* 1543. Fol., 23) *ibid.* 1545. Fol., 24) *Augustae Vindel.* 1545. 8., 25) *Lipsiae* 1546. 8., 26) *Basileae* 1548. 8., 27) *Venetiis* 1549. Fol., 28) *Basileae* 1550. 8., 29) *Vratislaviae* 1550. 8., 30) *Basileae* 1551. 8., 31) *Lipsiae* 1552. 8., 32) *Parisiis* 1552. Fol., 33) *Venetiis* 1553. Fol., 34) *Lugduni* 1560. 4., 35) *Mulhusiae* 1568. 8., 36) *Francofurti ad M.* 1575. 8., 37) *Gor-*

---

*) Haec Ed. in meis libris est.

**) Hanc Ed. Schweiger ibid. memorat.

***) Haec Ed. Schweigero ignota in meis libris est.

****) Haec Ed., quam Schweiger ibid. affert, in Biblioth. acad. Halensi et ducali Guelferb. asservatur.

†) Hanc Ed. et sequentem Schweiger ibid. memorat.

††) Haec Ed., quae Schweigerum fugit, in meis libris est.

†††) Hunc librum ex Biblioth. reg. Dresdensi in manibus teneo.

liciae 1575. 8., 38) *Venetiis* 1575. 8., 39) *Lipsiae* 1588. 8., 40) *Francof. ad M.* 1592. 8., 41) *Lugduni* 1592. 12., 42) *Francof. ad M.* 1602. 8., 43) *Francof. ad Od.* 1606. 8., 44) *Witebergae* 1614. 8., 45) *Lipsiae* 1614. 8., 46) *Witebergae* 1623. 8., quibus accedit 47) Ed. manca, cuius titulus et finis desunt, quapropter neque annus neque locus, quo prodiit, indicari potest. Ex quibus Editt. hasce viginti sex in manibus teneo: 1) *Ed. Tubing.* 1516., 2) *Ed. Hagan.* 1528., 3) *Ed. Argent.* 1533., 4) *Ed. Colon.* 1534., 5) *Ed. Lugd.* 1539., 6) *Ed. Basil.* 1540., 7) *Ed. Antverp.* 1540., 8) *Ed. Lips.* 1542., 9) *Ed. Mogunt.* 1542., 10) *Ed. Basil.* alteram a. 1543., 11) *Ed. August. Vindel.* 1545., 12) *Ed. Lips.* 1546., 13) *Ed. Basil.* 1548., 14) *Ed. Basil.* 1550., 15) *Ed. Vratisl.* 1550., 16) *Ed. Basil.* 1551., 17) *Ed. Venet.* 1553., 18) *Ed. Lugd.* 1560., 19) *Ed. Francof. ad M.* 1575., 20) *Ed. Lips.* 1588., 21) *Ed. Francof. ad M.* 1592., 22) *Ed. Lugd.* 1592., 23) *Ed. Francof. ad M.* 1602., 24) *Ed. Lips.* 1614., 25) *Ed. Witeb.* 1623., 26) Ed. mancam s. l. et a., quas in hac nostra Ed. solis annorum numeris significabimus; eas vero, quae eodem anno diversis locis prodierunt, locorum litteris initialibus adiectis, ubi varia praebent, distinguemus (1540. B., 1540. A.; 1542. L., 1542. M.; 1550. B., 1550. V.; 1592. F., 1592. L.); ultimam mancam litteris *s. a.* notabimus. Hae Editt. Mel. praefationem, adhortationem, argumenta et scholia aut coniuncta, aut praefationem et argumenta, aut denique solam praefationem cum prolegomenis continent.

Ex ceteris libris supra memoratis, qui argumenta et commentarios in Terentium atque prologos in quasdam eius comoedias, sine textu eius, continent, hosce in manibus habeo: 1) *Riccii* collectionem commentariorum var. T. I. *Mulhus.* 1568., *Lips.* 1575.; T. II. *Lips.* 1567., *ibid.* 1596.; T. III. *Lips.* 1577., *Mulhus.* 1584., *Lips.* 1600.; 2) *Mel. Oper. Basil.* 1541.; 3) *Prologos aliquot. Witeb.* 1554.; 4) *Mel. Epigramm. Ed. Grathus. Viteb.* 1560., 5) *Eorundem Ed. Vincent. Viteb.* 1563., quibus accedit 6) *Corp. Reform.* Vol. X.

1. Melanthonis praefationes in Terentium.

Melanthon plures scripsit in Terentium praefationes, 1) *primam* Tubingae anno 1516., sic inscriptam: *Philippi Melae Brettani ad Paulum Geraeandrum Saloburgensem in Terentii comoedias praefatio.*, quae incipiens a verbis: „Qui mores olim publicae privataeque vitae constituerunt viri graeci." in Ed. principe *Tubing.* 1516. et sine dubio etiam in Editt. *Lips.* 1518. et 1519. invenitur. Recusa est in huius Corp. Reform. Vol. I. p. 9—14. (vide quae supra p. 655 sq. ad Ed. Tubing. de hac praefat. dixi).

2) *secundam* Witebergae a. 1525., sic inscriptam: *Paedagogis Phil. Sal.* (sic in Ed. Hagan. 1528.) vel *Philippus Melanchthon Paedagogis S. D.* (sic in Ed. Argent. 1533. et seqq.), quae sic orditur: „Quum Typographus hic Terentii Comoedias recudere pararet." Haec invenitur in Editt. 1528., 1533., 1539., 1540. B., 1543., 1546., 1548., 1550. B., 1551. Repetita est in Terentii Ed. Bipont. et in huius Corp. Reform. Vol. I. p. 772—774., ubi recusa est ex Ed. Lips. 1546., abs qua autem Corp. hisce locis discrepat: Corp. p. 773. lin. 9. mendo typogr.: tegi; Ed. 1546. teri — ibid. lin. 16. *en*arrando; Ed. 1546. *n*arrando; ibid. lin. 21. invi*tam*; Ed. 1546. invit*i* — ibid. lin. 28. aliquan*d*o; Ed. 1546. aliquan*t*o — ibid. lin. 31. qui*d*quam; Ed. 1546. qui*s*quam.

3) *tertiam* Witebergae eodem fere tempore scriptam, quae sic orditur: „Nullus est omnino scriptor in latina lingua." Haec inter eas Editt., quas in manibus habeo, cum illa secunda primo in Ed. 1528. invenitur, ubi aeque ac in omnibus sequentibus Editt. cum Mel. argumento in Andriam tam arcte coniuncta est, ut ab eo seiungi non possit.

4) *quartam* Witebergae a. 1545, sic inscriptam: *Cohortatio Philippi Melanchthonis ad legendas Tragoedias et Comoedias.* *) (sic in Editt. 1546., 1550. V.), aut: *Adhortatio Phil. Mel. de legendis Tragoediis et Comoediis.* (sic in Editt. 1588., 1614., 1623. et s. l. **)) quae incipit ab his verbis: „Saepe de hominum moribus et de disciplina cogitans." Praeter has Editt. modo memoratas haec praefatio etiam legitur in Mel. Epistolis selectioribus aliquot editis a Casp. Peucero (Witeb. 1565. 8., iterum ibid. 1566. 8.) p. 244—253.; in Mel. Epistolarum libro I. edito a C. Peucero (Witeb. 1570. 8.) p. 464—473. inscripta: *Epistola Ph. Mel. de legendis Tragoedijs et Comoedijs.*; in Mel. Orationum Tomo V. (Witeb. 1572. 8.) p. 961—970. inscripta: *Adhortatio Phil. Mel. ad lectionem Tragoediarum et Comoediarum,* denique in huius Corp. Ref. Vol. V. p. 567—572., cuius autem verba hisce locis ab Ed. Lips. 1546. differunt: Corp. p. 568. lin. 6. *et* a sapientibus; Ed. 1546 a sapientibus — ibid. lin. 34. incurrent*is*; Ed. 1546. incurrent*es* — p. 569. lin. 16. *E*quidem; Ed. 1546. *Et* quidem — ibid. lin. extr. Hyper*p*olus; Ed. 1546. Hyper*b*olus — p. 570. lin. 1. E contra *laudantur* iusti; Ed. 1546.

*) Haec praefatio sic inscripta, teste Bretschneidero in huius Corp. Ref. Vol. V. p. 567. nr. 3108. praefat., invenitur etiam in fronte huius libri: *Publii Terentii comoediae sex, editae cura ac studio Ioach. Camerarii. Lips.* 1545. 8. Si annorum numerus 1545. non mendum scriptoris vel typothetae est pro 1546., haec Ed. nostro Editionum catalogo supra dato ante Ed. Lips. 1546. inserenda est, quoniam sine dubio aeque ac illa non solum hanc Mel. praefationem, sed etiam eiusdem argumenta et scholia continet.

**) Ex hac inscriptione atque ex typorum forma, quibus haec manca Ed. exscripta est, intelligitur, eam circa idem tempus ac illas Editt. eandem inscriptionem h. l. praebentes, esse excusam.

Econtra iusti — ibid. lin. 4 a fine: qu*ae* monebat; Ed. **1546.** qu*i* monebat — p. **572.** lin. **16.** doctrin*as*; Ed. **1546.** doctrin*am* — ibid. lin. **28.** scriptae Trag.; Ed. **1546.** scriptae *sint* Trag.

5) *quintam*, quae incipit a verbis: „Satis constat Terentio nihil esse festivius et magis proprium." Haec in Rivii collectione exhibetur Prolegomenis praefixa.

Ex his praefationibus ***primam, secundam*** et ***quartam***, quippe quae in hoc Corp. l. l. iam recusae sunt, h. l. omittimus, tertiam cum Andriae argumento et quintam cum prolegomenis Riccianae collectionis coniunctas exhibebimus.

2. Prolegomena Phil. Melanthonis in Terentii comoedias.

Melanthonis in Terentium prolegomena duplicia sunt, quorum altera in Ed. Tubing. **1516.** (sine dubio in Editt. Lips. **1518.** et **1519** repetita), altera in Riccii collectionis commentariorum var. Tomo I. inveniuntur. Utraque h. l. deinceps praebebimus.

3. Argumenta Phil. Melanthonis in Terentii comoedias.

Melanthonis argumenta in Terentii comoedias duplicia sunt: a) in integras comoedias, b) in singulos prologos scenasque. Illa, quae ad integras com. spectant, inter eas Editt., quas in manibus habeo, inveniuntur in Edd. **1528**—**1623.**, s. l., et in Riccii collect.; argumenta autem in singulos prologos scenasque reperiuntur tantum in Editt. **1539.**, **1540.** B., **1543.**, **1546.**, **1548.**, **1550.** V., **1551.**, **1575.**, **1592.** F., **1592.** L., **1602.**

4. Scholia Phil. Melanthonis in Terentii comoedias.

Melanthonis scholia in iis Editt., quae mihi ad manus sunt, aut in margine textui apposita sunt (sic in Editt. **1528.**, **1533.**, **1539.**, **1545.**, **1550.** B., **1550.** V., **1592.** L.), aut cuique prologo scenaeque in fine annexa (sic in Ed. **1534.**), aut sub finem libri cum argumentis coniuncta (sic in Editt. **1540.** B., **1543.**, **1546.**, **1548.**, **1551.**), aut omnino desunt (sic in Editt. **1540.** A., **1542.** M., **1542.** L., **1553.**, **1575.**, **1588.**, **1592.** F., **1602.**, **1614.**, **1623.**, s. l., quibus etiam Ed. **1560.** addenda est, quamquam in huius Ed. elencho interpretum non solum Mel. argumenta, sed etiam eiusdem annotationes afferuntur).

5. Prologi Phil. Melanthonis in quinque comoedias Terentii.

Solebant seculo XVI. scholastici fabulas et comoedias veterum agere, ut Plauti, Terentii aliorumque, partim ut sese exercerent, partim ut oblectarent spectatores. Etiam Melanthon iuvenes suae disciplinae traditos hoc modo exercitabat. Quapropter etiam scholae suae scripsit prologos a puero quodam recitandos (vide huius Corp. Ref. Vol. X. p. **496.** nr. **43.** Prolegg.). Sic praeter alios in Terentii quoque quinque comoedias, scilicet Andriam, Eunuchum, Heautontimorumenon, Adelphos et Phormionem prologos fecit:

1) ***Prologus in Andriam*** invenitur a) in Terentii Editt. **1540.** B., **1543.**, **1548.**, **1551.**, ubi triplex exhibetur; b) in Mel. Oper. Basil. Tom. V. p. **329.** duplex; c) in Prologis aliquot fol. A. 2^b—3^a duplex; d) in Secerii Farragine Epigrammatum Mel.; e) in Grathusii collectione Epigramm. Mel. fol. K 1^b—3^a triplex; f) in Vincentii eorundem collectione fol. K **1.**; g) in huius Corp. Reform. Vol. X. p. **498** sq. nr. **45.**

2) ***Prologus in Eunuchum*** exstat a) in Terentii Editt. **1540.** B., **1543.**, **1548.**, **1551.**; b) in Mel. Oper. Basil. Tom. V. p. **329** sq.; c) in Prologis aliquot fol. A **4.**; d) in Farragine Seceriana; e) in Grathusii collect. Epigr. fol. K 3^a—4^a; f) in huius Corp. Ref. Vol. X. p. **496** sq. nr. **43.**

3) ***Prologus in Heautontimorumenon*** invenitur tantummodo in Riccii collect. commentar. var. Tomo II.

4) ***Prologus in Adelphos*** reperitur a) in Terentii Editt. **1540.** B., **1543.**, **1548.**, **1551.**; b) in Mel. Oper. Basil. Tom. V. p. **330.**; c) in Prologis aliquot fol. A **5.**; d) in Grathusii collect. Epigr. fol. K **4.** e) in Riccii collect. commentar. var. Tom. II.

5) ***Prologus in Phormionem*** legitur a) in Terentii Editt. **1540.** B., **1543.**, **1548.**, **1551.** duplex; b) in Mel. Oper. Basil. Tom. V. p. **330** sq. duplex; c) in Prologis aliquot fol. A 6^a—8^a triplex; d) in Farrag. Seceriana; e) in Grathusii collect. Epigr. idem ille duplex; f) in Vincentii collect. eorum fol. K **3.** et g) in huius Corp. Ref. Vol. X. p. **500** sq. nr. **48.** alius datur prologus ab illis duobus diversus.

Haec omnia h. l. ita coniungimus, ut primum Prolegomena duplicia, quorum altera Ed. Tubing. **1516.**, altera Riccianae collectionis commentariorum var. Tom. I. continet, exhibeamus, deinde ad quamque Terentii comoediam primo loco Argumentum in integram comoediam, secundo Prologos, tertio denique Argumenta in eius prologum singulasque scenas, cum Scholiis ad unamquamque pertinentibus.

ENARRATIO COMOEDIARUM TERENTII PHILIPPO MELANTHONE AUCTORE.

A. Prolegomena[1]).

De comoedia.

Comoedia est poematis notum genus, in quo humiles fere personae introducuntur, etsi antiqua comoedia grandis et elegans, et venusta erat. Vel comoedia est privatae civilisque fortunae sine vitae periculo comprehensio; vel est speculum consuetudinis, imitatio vitae, imago veritatis. Dicta vel ἀπὸ τῶν κωμῶν, hoc est, a vicis, vel ἀπὸ τοῦ κώμου, hoc est, a comessatione aut quod somni tempore (id enim τὸ κῶμα significat) canentes divitum iniurias memorarent.

De comoediarum, satyrarum, ac tragoediarum serie et principio.

Alienum non erit, neque praeter animi nostri sententiam, comoediarum, satyrarumque, atque tragoediarum seriem et principium breviter referre. Olim sedatis ac compositis bellorum insultibus, Athenienses cum ad vitam pacatiorem se transtulissent, domesticae tunc in pauperes insurrexerunt iniuriae. Ex agro igitur Atheniensi rustici saepius a divitibus iniuria affecti, sese in urbem receperunt; sed cum interdiu querendo suis incommodis auxilium praestare non possent, noctu vicos urbis omnes obeundo, cunctis silentibus cives nominatim compellabant, et, quas paterentur, aperiebant divitum iniurias, nec non impia facta ac dicta propalabant, Haec cum saepe vicini audissent, quod noctu acceperant, postridie inter se invicem colloquebantur. Inde non mediocri erat vitio, quibus eiusmodi obiiciebatur contumelia. Unde opportunum fuit multis in urbe potentibus, ut suis in agricolas iniuriis modum invenirent, sibique ab inferendis contumeliis moderarentur. Videntes igitur cives hoc esse utile civitati iniuriae amuletum, iusserunt contumeliis provocatos in theatrum prodire, et quae noctu proclamassent, audaciori animo referre. Deinde quoniam talis lusus non sine gravitate placuit, sancivit populus Atheniensis, ut qui ingenio praestarent, de eiusmodi rebus carmina componerent atque libere et impune adversum omne hominum genus loquerentur. Primum Susarion versibus iambicis comoediam edidisse perhibetur, cuius sane poemata exciderunt. Hinc sumpto comoediarum exordio ad haec perscribenda numerosa paulatim aucta confluxit multitudo, quae flagitiosos homines a tetris deterrebat facinoribus. Sed non multo post erupta emersaque hominum iniquitate, factiosis atque tyrannis in urbe convalescentibus, divites, et publicis honoribus honestati, in comoediis nominari quemquam, nisi humilem, aut, si modo sinerent opibus insignem, exterum, non civem, vetuerunt; at mox largius profusa vitiorum licentia, non solum nominatim, sed ne aenigmate et occultis versibus scribi poemata voluerunt. Unde poetae aut in divites exteros aut in pauperes omnes licenter pro sua libidine loquebantur.

De triplici comoediarum differentia.

Una siquidem comoedia antiqua est, quae prima palam omnes incessebat; media vero per aenigmata; nova, quae in exteros, aut servos, aut pauperes invehebatur. Artifex priscae comoediae et poeta insignis fuit Aristophanes, Eupolis et Cratinus; mediae vero Plato, non ille philosophus, et Pherecrates; tertiae autem Menander, Philemon et Philistion. Caeterum primam comoediam ad Eupolidem usque quidam asserunt pervenisse, quem ob Baptas in Alcibiadem, summum Atheniensium imperatorem, perstrictas comprehensum et sublimem raptum in pelagus praecipitare militibus suis mandavit Alcibiades, unde quidam referunt ipsum diu inter fluctus naufragum evasisse. Sed postea reipublicae edicto Alcibiades edixit, ne quis Atheniensem in comoedia incesseret. Tuncque Eupolidem, Cratinum, Pherecratem, Platonem atque Aristophanem iocos quosdam involutos in quemvis pertentasse. Idque secundum comoediarum genus appellatum, quod tamdiu viguit, quoad ne obscure quidem perstringi civem voluere. Nam post in humiles et extremae sortis homines, aut in cuiuscunque generis exteros conversi sunt.

---

1) Haec priora Prolegomena in Ed. Tubing. 1516. leguntur.

Quod sane tertium comoediae genus fuit a Menandro et Philemone celebratum, qui omnem comoediae acerbitatem mitigaverunt, a quibus Romanos suas fabulas transtulisse perhibetur, apud quos primus Livius Andronicus Latino sermone comoediam scripsit, excito ex Hetruria ludione, qui Hister vocabatur, a quo histrionis nomen emanavit.

De proprietate.

Comoediae proprium fuisse scribunt quidam vinginti quatuor adhibere saltatores, et quadratum chorum; praeterea convicia dicacesque sermones continere. Illud quoque minime praetereundum, quod comici, satyrici et tragici omnes uno nomine comici appellati sunt, quoniam ex vicis in urbem eruperint, qui his dedere principium. Exin distributa scribentium ratio est, ut comici servos et humiles, satyrici rusticos, tragici divites et reges describerent. Ac sicut comoedia a vicis aut a somno dicta; tragoedia ab hirco aut a faece: ita satyra a satyris, hoc est, rusticis, illotis et petulantibus est appellata, vel a satyra lance, quae referta variis multisque primitiis, in sacris inferebatur. Notandum illud, quod in comoedia amores fere et virginum raptus; in tragoedia luctus, exilia, caedes introducuntur; in comoedia paene semper exitus laeti; in tragoedia tristes, et liberorum, fortunarumque priorum impar agnitio.

De genere.

Duplex est comoediae genus; nam comoediarum alia palliata, togata alia. Palliata comoedia est, quae secundum ritus et habitus palliatorum, id est, Graecorum (nam Graeci supra tunicam pallium ferebant), scenicis, atque Graecis argumentis habitum palliorum desiderat, quae primum a Graecis in Latinum versa est a Livio Andronico, quem multi deinde sunt secuti, Caecilius scilicet, Plautus, Terentius, Turpilius, Trabea et plures alii. Palliatarum fabularum genera quatuor existunt. Tragicum, in quo heroes et reges introducebantur. Comicum Graecos ritus et Graecas exprimebat personas. In satyrico fere Satyrorum personae, et ridiculae Satyris similes ludendi iocandique causa inducuntur, ut spectator inter tragicas seriasque iocis et lusibus delectaretur. Mimica vero fabula est sermonis cuiuslibet motus, sine reverentia. Togata comoedia est, quae secundum ritus et habitus togatorum, id est, Romanorum scripta est, scenicis atque Latinis argumentis togarum habitum exprimens.

Togatarum fabularum species sunt quatuor. Nam aliae praetextatae, in quibus imperatorum negotia agebantur, dictae a praetexta, qua reges vel magistratus Romae utebantur. Tabernariae humilitate personarum et argumentorum similitudine, comoediis pares dicuntur, in quibus non magistratus, regesque, sed humiles homines et privatae domus inducuntur, quae, quod olim tabulis tegerentur, communiter tabernariae vocatae sunt. Atellanae a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeperunt, sunt denominatae, similes satyricis et Graecis fabulis. Planipedes Graeci dicuntur mimi, ideo a Latinis planipedes, quod actores planis pedibus, id est, nudis proscenium introirent, non, ut tragici actores, cum cothurnis, neque ut comici cum soccis olim in suggestu scenae, sed in plano orchestrae positis instrumentis mimicis agebant.

De qualitate.

Comoedia aut motoria est, id est, quae res turbulentas inducit, ut Amphitruo; aut Nataria, hoc est, quae res continet quietiores, ut Cistellaria, Heautontimorumenos; aut mixta, quae ex utroque actu consistit, ut Andria, Eunuchus, Adelphi, Hecyra et Phormio.

De appellatione.

Caeterum comoedia aut ab alicuius nomine personae appellationem sumit, ut Phormio; aut a loco, ut Andria; aut a facto, ut Asinaria, Eunuchus; aut ab eventu, ut[2]) Heautontimorumenos et Commorientes.

De membris.

Tria sunt comoediarum membra, diverbium, canticum, chorus. Diverbia sunt partes comoediarum, in quibus diversorum personae versantur. Personae autem diverbiorum aut duae aut tres, aut raro quatuor esse debent; ultra augere numerum non licet. In canticis unam tantum esse oportet personam, aut, si duae fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat, nec

---

2) ut] hoc ipse adscripsi; in Ed. 1516. deest.

loquatur, sed secum (si opus fuerit) verba faciat, et hoc monodium appellatur. In choris vero numerus personarum diffinitus non est, quippe quod iunctim omnes loqui debent, quasi voce confusa, et concentum in unam personam reformantes. Sciendum Latinas comoedias chorum non habere; sed duobus tantum membris constant, diverbio scilicet et cantico. Non est hoc praetereundum, quod primus (autore Aristotele), qui personas in scenam produxerit, prologos confinxerit, et per histriones fabulas repraesentaverit, ignoratur. Caeterum fabulas primus confinxit Epicharmus et Phormis; nam ex Sicilia in Graeciam ait advectas apud Athenienses. Porro Crates primus iambici specie orationes ac fabulas scripsit.

De partibus.

Dionysius, Crates cognomento Mallotes prodiderunt, comoediae partes quatuor esse: prologum, chorimelos, episodium et exodium [3]. Prologus ad ingressum usque chori est. At quae cum ingressu chori locutio, chorimelos appellatur. Episodium porro est melos inter cantus, et chororum binorum locutiones. Exodium est ad chori finem locutio.

De ludis scenicis, ex Donato.

Ludi sunt caerimoniae ab aedilibus curulibus munere publico institutae, in quibus ut plurimum comoediae recitabantur, quorum quatuor maxime genera celebrantur: Megalenses magnis Diis consecrati; funebres ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur; plebeii pro salute plebis instituti sunt; Apollinares Apollini consecrati.

De aris.

Arae duae erant in scena Diis dedicatae, dextra scilicet et sinistra, dextra Libero patri, sinistra illi Deo, in cuius laudem ludi fiebant.

De scenico habitu.

Scenicus habitus est indumenti genus, quo utebantur scenici, ut alter ab altero dignosceretur. Primum enim Ulyssem in scenam palliatum inducere solebant, vel quod aliquando insaniam simularit, vel ob singularem sapientiam, seu quod Ithacae, sicut Locri incolae palliati fuerunt; Achillis sive Neoptolemi personae diademate coronatae prodibant, quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint. Comicis senibus candidum vestimentum dabatur. Adulescentulis discolor attribuitur, ut sui ingenii mobilitatem prae se ferrent. Servi amictu exiguo conteguntur paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditiores agerent. Parasiti cum intortis palliis ob collum veniunt, laeto candidus, aerumnoso obsoletus, purpureus diviti, pauperi phoeniceus vestitus dabatur, militi chlamys purpurea. Puellae habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici ob avaritiam luteum datur. Luctuosae personae syrmatis incedebant ob scenicam luxuriam; sed de vestium ornatu plura Pollux. Aulaea in scena humi sternebantur, quod pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam usque perlatus, pro quibus siparia aetas posterior accepit. Sciendum etiam Thespim primum tragica poemata plaustris vexisse, hominibus ora faecibus perunctis. Sed Roscius Gallus, praecipuus histrio, primus parasitos deduxit in scenam; Aeschylus vero personae, pallae, cothurni et socci repertor habitus est.

De canticis.

Cantica sunt harmoniae, quae non a poeta, sed a musicae artis perito temperabantur, non iisdem, sed saepe mutatis modis, ut significant, qui tres numeros in comoediis ponunt. Nomen autem in principio fabulae, et scriptoris, et actoris carminibus ad tibias factis pronuntiabant, ut disceret ante populus, quam fabulam acturi scenici essent. Cantica in comoediis tripliciter agebantur, tibiis scilicet paribus vel imparibus, dextris aut sinistris, vel utrisque. Pares vel impares tibiae in usu erant, quod, si quando monodio agebant, unam tibiam inflabant, si quando synodio, utramque. Dextrae vel sinistrae, aut Seranae tibiae in usu erant. Nam dextrae sua gravitate seriem conditionemque pronuntiabant; sinistrae autem et Seranae acuminis levitate iocum in comoedia ostendebant; utraeque, dextra scilicet et sinistra, mixtos iocos et gravitatem exprimebant.

De scena.

Scena est umbraculum ex arboribus constitutum, a rusticis prius inumbrationis causa com-

3) exodium] Ed. 1516. h. l. exhodium; in subseqq.: exhodion

pertum, ubi carmina incondita saepius decantabant. Est autem duplex, versilis et ductilis. Versilis scena est, quae subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturae faciem ostendebat. Ductilis vero tractis tabulatis hac atque illac speciem picturae nudabat interiorem. Notandum et hoc, quod in scena erant paegmata, peripetasmata, aulaea, pantomimi, praecones, tibicines, citharoedi, cornicines, choraules, organarii, symphoniaci, tragoedi, comoedi, funambuli, podarii, et similes.

De divisione actuum.

Comoedia vetus paulatim ex numero personarum aucta in quinque actus, neque plures, neque pauciores processit. Sed paulatim attenuato choro, ita ad novam pervenit, ut non modo non sit chorus, sed[4]) ne locus quidem illi relinquatur. Quapropter actus (qui in comoedia sunt) difficile est nosse in Latinis fabulis, sublato choro, qui se interponendo actus distinguebat. Erat autem chorus ex pluribus ad tibiam concinentibus compositus, non actor alicuius partis in fabula, sed velut iudex censorque, qui, sicut recte facta et honesta probat, ita, quae vitiosa et scelesta sunt, reprobat, ita tamen, ut actus non interrumperet, sed per intervalla finitorum actuum suum cantum interponeret.

De divisione comoediae.

In quinque partes dividitur comoedia: in argumentum, prologum, prothesim, epitasim et catastrophen. Argumentum est totius agendae fabulae narratio, quae ficta est, sed tamen fieri potuit. Prologus praefatio quaedam est fabulae, in quo solo licet propter argumentum aliquid ad populum, vel ex poetae, vel ex actoris commodo loqui. Differt autem prologus a prologio. Nam prologus est, ubi poeta excusatur, aut fabula commendatur; prologium vero, cum tantum argumentum describitur. Prothesis est primus actus fabulae, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam. Epitasis incrementum processusque turbarum est, ac totius modus erroris. Catastrophe est conversio rerum ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. Et haec satis de comoedia. Nunc de metro iambico pro tempore.

---

4) sed] Ed. 1516. mendo typogr.: se.

De metro iambico.

Iambicos et heroicos poetas scribit Aristoteles omnium fuisse antiquissimos, carmenque iambicum primum tetrametrum fuisse, et illud satyricae et saltationi magis accommodatam exprimere poesim. Quod autem iambicum ante heroicum fuerit, vel ex eo nobis, inquit Aristoteles, licet intueri, quod inter loquendum plura iambica nobis sponte sese offerunt, et neutiquam accersita succurrunt; heroica vero quam rarissime, et ea ipsa summissius loquendi excedunt harmoniam. Coepit a contumeliis quidem iambum, unde et nomen creditur habuisse. Sed Polystephanus nomen duxisse existimat ab Iambe ancilla Metaeira, Hippotoontis uxore, quae, cum vidisset popularem quandam, alias iocularem, moestam mulierem, ioculares quosdam et ridiculos de ipsa composuit versus, a qua inquit carmen Iambicum. Quidam illud ab Archilocho originem habuisse ferunt; Aristoteles tamen arbitratur inventum, quod plus caeteris pedibus, omnibus congruat sermonibus.

De divisione.

Metra iambica aut sunt monometra, hoc est, quae constant ex duobus pedibus simplicibus; vel dimetra ex quatuor; vel trimetra, quae senis concluduntur pedibus; nam brevitas iambi effecit, ut duo pedes pro uno habeantur; vel tetrametra ex octo; pentametra ex decem; hexametra ex XII. Sed pentametra et hexametra rarissime inveniuntur. Igitur trimetris et tetrametris frequenter utuntur comici. Rursus metrorum aliud est acatalecticum, id est, cui nihil deest; aliud catalecticum, hoc est, cui deest; aliud brachycatalecticum, ubi syllaba vel tempus deest; hypercatalecticum vero, ubi superest vel syllaba vel pes dimidius, atque his omnibus generibus comici utuntur.

De pedibus iambici metri.

Scribit Hephaestion iambicum metrum in regione impari, hoc est, prima, tertia, quinta, aut, si longius producatur, septima, nona (quandoquidem apud comicos invenitur ad decem usque pedes pervenire) iambum suscipere, et per resolutionem longae syllabae iambi in duas breves, ibidem tribrachum; admittere etiam spondeum ad tardandam iambi celeritatem, et per

resolutionem primae spondei recipere ibidem anapaestum, et per resolutionem secundae dactylum, et per resolutionem utriusque proceleusmaticum, ita ut recipiat in his sedibus iambum, tribrachum, spondeum, anapaestum, dactylum et proceleusmaticum; in pari autem, hoc est, secunda, quarta, sexta, vel, si longius evagatur, octava et decima, iambum, tribrachum et anapaestum; in fine vero propter ultimam indifferentem syllabam etiam pyrrhichium. Sciendum et illud, quando metrum acatalecticon est, in fine iambum excipere solum, aut pyrrhichium; quando autem catalecticum, iambum in penultima regione, aut perraro tribrachum. Caeterum Plautus, Ennius, Accius, Terentius, Naevius, Pacuvius, Turpilius, Afranius, et reliqui tam comici quam tragici veteres, ita iambico usi sunt, ut in omnibus locis indifferenter locaverint quinque pedes, iambum sive tribrachum, anapaestum dactylum, et spondeum, absque postremo loco, in quo prorsus vel iambum vel pyrrhichium posuisse invenitur. Erit autem probabilis iambicus versus, aptusque tragoediis, si secundum et quartum pedem non alios feceris quam iambos, aut eum, qui tribrachus aut anapaestus nominatur, quoniam sunt pares. Septenarium versum fieri dicit.Varro, cum ad iambum, qui est in sexta sede, trisyllabus pes additur, quales sunt creticus et amphibrachus, qui etiam trimetris et tetrametris apud Terentium frequenter reperiuntur. Comici poetae omnes fere synaloephis, episynaloephis, sive synaeresibus et collisionibus et abiectionibus *s* litterae sunt usi, suos versus scandendo; Terentius autem plus omnibus. Cicero quoque in quarto Tusculanarum Euripidis iambos transferendo, in locis paribus, tam dactylos, quam spondeos saepe ponit. Caeterum comici nostri in plerisque prologis, et primis scenis trimetris utuntur; Plautus autem in prima scena Amphitruonis tetrametris usus est, et dimetris brachycatalecticis. At Terentius in omni prologo et prima scena trimetris utitur, qui quandoque habent penultimam versus syllabam, in quibusdam longam et in quibusdam brevem, deinde longissimos, id est, tetrametros subdiderunt, qui appellantur quadrati.

De generibus.

Genera iambici metri, quibus usi sunt poetae, plura perhibentur. Nam ex his alia integra, alia clauda, quae Scazonta et Coliambica vocant, quorum differentiam penultima versus syllaba demonstrabit; nam si brevis fuerit, erit rectum et integrum iambicum; sin longa, delumbe et claudum. Huius repertor fuit Hipponax; nam pro iambo inductis trochaeis contra legem trimetri iambici, metrum innovavit, quod Scazon appellatur, id est, claudicans, quod quasi alienis pedibus in fine maxime sustentetur, et sic claudicet. At quia nostri comici trochaicis quandoque utuntur, non erit alienum aliquid de trochaico breviter referre.

De metro trochaico.

Trochaicum in locis quidem imparibus excipit trochaeum, tribrachum, iambum et dactylum, in locis autem paribus praeter illos etiam spondeum et anapaestum. Cum autem catalecticum est, in penultima maxime trochaeum admittit, interdum tribrachum; cum autem brachycatalecticum est, in penultimo loco quaterna tempora non recipit. Haec Hephaestion; Manlius vero Theodoricus: Trochaicum, inquit, metrum, quamvis et spondeum, et anapaestum, et dactylum recipiat, ut iambicum, ei tamen est contrarium, quod in iambico pedes, qui locis imparibus recensi sunt, in trochaico non nisi paribus licet collocari. Trochaeus in hoc metro, quod ex eo nomen accepit, locis omnibus poni potest, tribrachus locis omnibus praeter septimum. Caeterum ab hoc metro, et tribrachus, et dactylus, et anapaestus, non nisi quam parcissime, et consultis prius auribus sunt admittendi, quod etiam in iambico videmus observari. Nam tametsi omnibus imparibus eius metri locis tribrachum, anapaestumve, aut dactylum collocandi facultas est, rara tamen eorum fit admixtio, neque ulla vel in iambico, vel in trochaico metro, aut trochaeo quam cum spondeo, aut aptior, aut frequentior potest esse coniunctio. Terentius autem trochaico mixto, vel confuso cum iambico utitur in sermone personarum. Caeterum nos praecipuo ac singulari amore erga studiosos adulescentulos provocati, pedes, quibus versus fere omnes conficiuntur iambico et trochaico metro, veluti corollarium addidimus, ne praetermitteretur, quod illis futurum utile videbatur.

De pedibus.

Pes est compositio duarum pluriumve syllabarum, sub certa syllabarum ac temporum ob-

servatione; dictus, quod eo ita incedere numeri videantur, sicuti animalia pedibus gradiuntur. Pes constat syllabis, syllabae temporibus, tempora vero motu. Pedes aut sunt duarum syllabarum, aut trium, aut quatuor. Pedes, qui ex duabus syllabis constant, hi feruntur:

Pyrrhichius, quem alii Dibrachum, alii Aegeona appellant, duabus constat brevibus, ut pater.

Spondeus, duabus syllabis longis, temporibus quatuor, ut Musae.

Iambus, ex brevi et longa, ut dies.

Trochaeus, quem quidam C' oreum vocant, ex longa et brevi, ut Musa.

De trisyllabis.

Dactylus trium est syllabarum, qui prima longa et duabus constat brevibus, ut secula.

Anapaestus, quem quidem Antidactylum nuncuparunt, habet duas breves et unam longam, ut domino.

Tribrachus, quem quidam Brachysyllabum, alii Trinocheon, nonnulli Pygmaeona, plerique etiam Choreum nominant[5]), tribus constat brevibus et totidem temporibus, ut dominus.

Amphibrachus, quem alii Ianium, alii Scolium vocant, ex brevi et longa et brevi, ut parentem.

Amphimacrus, quem alii Fescenninum dixere, alii Creticum, constat ex longa et brevi et longa, ut nomini.

Bacchius, ex brevi et duabus longis, ut amori.

Palimbacchius, ex duabus longis et brevi, ut natura.

De quadrisyllabis.

Proceleusmaticus, ex quatuor brevibus, ut anicula.

Dispondeus, ex duobus spondeis, id est, ex quatuor longis, ut fortunatis.

Diiambus, ex brevi et longa et brevi et longa, ut Apollini.

Ditrochaeus, ex longa, brevi, longa, brevi, ut fulminabit.

Antispastus, ex Iambo et Trochaeo, id est, ex brevi et longa, longa et brevi, ut amabare.

5) nominant] hoc verbum ipse adscripsi; in Ed. 1516. deest.

Choriambus, ex longa, duabus brevibus et longa, ut Dardanidae.

Ionicus maior, ex duabus longis et totidem brevibus, ut labentibus.

Ionicus minor, ex duabus brevibus et duabus longis, ut lachrymabant.

Paeon primus, ex longa et tribus brevibus, ut nobilior.

Paeon secundus, ex brevi et longa et duabus brevibus, ut Cupidinis.

Paeon tertius, ex duabus brevibus, longa et brevi, ut labyrinthum.

Paeon quartus, ex tribus brevibus et una longa, ut animitas.

Epitritus primus, ex brevi et tribus longis, ut amavissent.

Epitritus secundus, ex longa et brevi et duabus longis, ut serviendi.

Epitritus tertius, ex duabus longis, brevi et longa, ut charissimo.

Epitritus quartus, ex tribus longis et una brevi, ut confirmabat.

Alia Prolegomena[6]).

Satis constat Terentio nihil esse festivius et magis proprium, qui et gravitate et arte reliquos comicos apud Latinos facile vincit. Huic nihil omnino deest, sed omnia, quae praestanda sunt comico, praestitit[7]). Habet is multa egregia exempla civilium morum et humanorum casuum, unde iudicium certum peti potest de rebus humanis. Nam qui diligenter expenderit hos casus, et personarum officia, et consilia, de rebus humanis prudentius et ipse iudicare discet. Deinde praeter illa exempla conducunt etiam comoediae ad emendate loquendum et ad parandam uberiorem dicendi facultatem. Nam in hoc uno autore videre est mirabilem copiam in aliqua re explicanda, item diligentem dispositionem argumentorum; tum etiam in sententiis ac salibus tanta est venustas, ut lectae non semel placeant, sed quo magis leguntur, eo venustiores apparent. Proinde studiosos adolescentes non poeniteat ullius operae in Terentio saepius audiendo. Nam hic autor omnino dignus est, ut in eo discendo ac ediscendo plurimum studii po-

6) Haec Prolegomena in Riccii collectione commentariorum var. in Terentium Tom. I. fol. 3 b — 6 a inveniuntur.

7) praestitit] sic recte Ed. 1575.; Ed. 1568. perstitit.

natur, et tum vero placebit Terentius, ubi saepissime hunc et audierint et relegerint studiosi.

De duplici comoedia.

Vetus comoedia erat carmen quoddam non dissimile tragoediae, quo liberius taxabantur vitia hominum, et habuit non tantum ficta argumenta, sed interdum etiam res gestas, quae cum eorum, qui gesserant, nomine decantabantur. Ibi cum plerique ex poetis pro libidine multos etiam bonos laedere coepissent, penitus sublatum est hoc carminis genus. Nova comoedia arte quadam argumenta invenit de fictis personis, quibus tamen tanquam de veris admonerentur spectatores civilium morum, item humanorum consiliorum et eventuum.

De differentia comoediae et tragoediae.

Comoedia differt a tragoedia, quod in tragoedia tractantur negotia principum et equitum, in comoedia vero res quodammodo civiles ac domesticae; tum quod in tragoedia fugienda vita, in comoedia capessenda exprimitur; tum etiam quod omnis comoedia de fictis est argumentis, tragoedia saepe ab historica fide petitur; postremo, quod tragoediae habeant laeta principia et tristes exitus, comoediae autem tristia principia et laetos exitus.

De nomine comoediae.

Quia comoedia conficta est non modo, ut varietate casuum et consiliorum delectet auditorem, sed et ut rerum humanarum nos admoneat; quae quam sint incertae et fluxae, nemini est obscurum. Fit autem, ut, qui apud se diligenter expenderint et hos casus et personarum officia et consilia, de rebus humanis ipsi prudentius quoque iudicent. Errant ii, qui putant animi iudicium rectius iurisconsultorum disputationibus, aut philosophorum libris formari quam hoc genere litterarum. Nomen autem comoediae proprie significat carmen convivale, propterea quod, priusquam ars accessit et theatrorum consuetudo, passim in conviviis iocoso carmine vitia civium a iuventute taxata sunt. Videtur autem factum nomen *ἀπὸ τοῦ κώμου*, hoc est, a comessatione, et *ἀπὸ τῆς ᾠδῆς*, hoc est, a carmine, ut sit comoedia carmen continens iocum convivalem. Tragoedia a *τράγες*, hoc est, faeces, et *ᾠδή*, hoc est, carmen. Hinc tragoedia dicitur, quod illiti faecibus primum, post personati canebant.

De utilitate comoediarum.

Ex lectione comoediarum Terentii primum petenda est quaedam quasi tabula Apellis, in qua demonstrantur variae picturae et consiliorum et eventuum humanorum, tum etiam officiorum, quae in unamquamque personam seu aetatem maxime cadunt. Deinde ex illis ipsis comoediis petuntur propria verba, et figurae Latini sermonis.

Tres sunt omnis fabulae partes.

Πρότασις est primus ille tumultus iam quasi gliscens. Recensetur etiam in protasi pars quaedam argumenti, ut sciat spectator, quo res pertineat. *Ἐπίτασις* altera pars est, in qua turba fervidissima est, et in qua res in summum discrimen adducitur, ut fere neque consiliis, neque auxilio locus sit. *Καταστροφή* subita rerum omnium commutatio est, quando turbae omnes sedantur, et fit laetus rei exitus; unde Lucianus eleganter exitum, eventumque negotii, catastrophen appellat in commentario de mercede servientibus, *ἐπὶ πᾶσι δὴ ἥτις αὐτοῖς ἡ καταστροφὴ τοῦ δράματος γίνεται*, id est, post omnia, quae denique illis catastrophe fabulae contingit, hoc est, quis exitus servitii. Erasmus in Proverbio: Catastrophe fabulae[8]).

De hypothesi Andriae.

Cum comoedia omnis sit pictura quaedam communium morum, adeoque officiorum, quae in unamquamque personam et aetatem cadit, tum haec Terentii fabula inprimis ad morum disciplinam accommodata est. Est enim quaedam commendatio virtutis in Pamphilo, cuius in hoc argumento primae sunt partes, adeoque imago quaedam proposita est moderati adolescentis, plus etiam, quam vel aetas vel amor sapere videatur, cum fingit eum nihil impotenti animo vel temere audere, sed in ancipiti periculo tamen consilium adhibere, et in utramque partem de officio suo cogitare et expendere, ut pietas et fides requirebat. Nullius autem amplior laus est, et maior pulchritudo, quam mediocritas, praesertim in ista aetate, quae, quia plurimis et re-

8) Erasmi Adag. chil. I. cent. II. prov. 36.

pentinis animi motibus et cupiditatibus movetur, vix potest sui tenere modum, et propter rerum imperitiam minime sibi consulere.

Aliud.

Cum comoedia unicum morum fortunaeque exemplum sit, pericula continet, quae imprudentia nostra contracta discutiuntur vel casu vel ratione. Nam et vita periculis variis est obnoxia, et admirationem auditorum, quam poeta captat, auget consiliorum eventuumque varietas ac novitas. Proinde in argumentis comoediarum primum omnium periculum observandum est; deinde personae, nam prudentium et imprudentium exempla proponuntur, ut ex illis et nostros mores comparemus, et iudicium corrigamus, discamus, quae probanda sint, quae improbanda.

De genere orationis.

In Andria genus orationis deliberativum est. Tota enim fere fabula in eo consistit, polliceaturne patri Pamphilus accepturum se uxorem; Davus suadet et fallitur, ipse sibi dissuadet. Itaque et dicendi exemplum habes hanc consultationem, ut alias multas narrationes et figuras praetereamus. Nam prima patris narratio admirationi est etiam Ciceroni in 2. de Oratore ad Quintum fratrem.

Unde fabulae Terentianae sortiuntur nomina?

Aut a nominibus propriis, eorum scilicet, quorum sunt praecipuae partes, ut Phormio; aut a nomine appellativo, ut Hecyra; aut a loco, ut Andria; aut a facto, ut Eunuchus; aut ab eventu, ut Heautontimorumenos.

De moribus personarum.

In singulis fabulis sunt singulae personae observandae, per quas exempla communium morum proponuntur, ut in Adelphis duos senes proponit[8*]), alterum comem, alterum morosum et incommodum; duos item adolescentes, alterum liberaliter educatum, alterum serviliter, multo aequiorem eo, cui videbatur indulgens pater omnia permittere. Sic in Andria duo sunt cordati senes, Simo et Chremes. Item duo sunt adolescentes. Pamphilus est mediocri ingenio, satis cordatus, pius et in patrem et in mulierculam. Sed ut ingenium Pamphili rectius perspiceretur, contulit cum eo Charinum furiosum et amentem adolescentem. Pamphilo autem (cuius primae sunt in hac fabula) per omnia mediocritatem quandam omnium rerum tribuit.

8*) proponit] hoc verbum ipse adscripsi, apud Riccium deest.

B. Argumenta, Prologi et Scholia.

1. In Andriam Terentii.

Praefatio[9]).

Nullus est omnino scriptor in Latina lingua, quem tantopere cognosci ediscique retulerit atque Terentium. Nam cum prima virtus in oratione sit proprie loqui, nec proprii sermonis artificem meliorem Terentio habeamus, dignus plane est, in quo perdiscendo plurimum operae ac studii ponamus. Et ab iis, qui docent pueros, superstitiosam etiam diligentiam in hoc autore enarrando requiro. Primum prodest monere, quae comoediae natura sit, quidve spectarint comoediarum autores, nomen unde factum sit. Atque haec quidem Donatus copiose exposuit. Convenit autem inter omnes, autores comoediarum voluisse et communium morum et casuum exempla proponere, quibus velut admoniti prudentius iudicemus de rebus humanis, et genere orationis facundiam locupletare. Quae inculcabunt professores eo diligentius, ut sciant pueri, quid ex illis petere debeant, quem fructum facturi sint legendis comoediis. Nam quo propius cognorint et vim litterarum et utilitatem, eo impensius iuvat discere. Porro nomen Comoedia factum est, ut plurimi dicunt, ἀπὸ τοῦ κώμου, id est, a comessatione, et ἀπὸ τῆς ᾠδῆς, id est, a carmine, ut sit conviviale carmen. Nam in conviviis primum iocoso quodam carmine, civium vitia iu-

9) Haec inscriptio legitur in Editt. 1588., 1614., 1623. et s. a.; in Editt. 1528 – 1575., 1592., 1602. haec praefatio cum subsequenti argumento arcte coniuncta aut solo auctoris nomine inscripta est, aut sic: Argumentum Ph. Mel. in Andriam.

ventus liberius taxabat; postea ars accessit, et theatrorum consuetudo. Aristoteles *περὶ ποιητικῆς*[10]), de nominis origine aliter sentit, nec piget adscribere eius verba: *ὡς κωμῳδοὺς, οὐκ ἀπὸ τοῦ κωμάζειν λεχθέντας, ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ, ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως.* Caetera Donatus. In recensendis argumentis fabularum, consilium poetae summa cura exponendum est, quarum personarum descriptiones in primis admirationem mereantur, in quibus locis plurimum commoretur poeta, ubi plurimum nervorum, plurimum eloquentiae ostentet, quos locos ita commendent pueris, ut et familiariter ament, et tanquam digitos suos norint. Et ob hanc causam fabularum omnium argumenta veteri more in *πρότασιν*[11]), *ἐπίτασιν, καταστροφὴν* partiantur, ut distributa facilius adsequatur iuventus. Fere autem fabulae continent periculum quoddam; nusquam enim consilio locus est, nisi in dubiis rebus. Neque vero aliud est comoedia, nisi humanorum consiliorum et eventuum imago quaedam.

Argumentum[12]).

In Andria periclitatur Pamphilus, ut Glycerio fidem promissam praestet, postquam patri per errorem pollicitus est, futurum se in eius potestate, ac ducturum, quam vellet. Estque haec veluti *στάσις* fabulae. Consilia omnia, querelae omnes, argumenta omnia huc referenda sunt. Et tota fabula similis est orationi generis suasorii. Nam varie de tota causa consultant senes, adolescentes ac servi. Sed ut argumentum propius cernere queant pueri, ordine singulas partes referemus.

Periculum Protasis[13]).

Cum amaret Pamphilus Glycerium, eique fidem dedisset ducturum se esse uxorem, pater, qui amare filium compererat, consilium capit abstrahendi eius a Glycerio, simulat se uxorem daturum, poscitque, ut ne filius id recuset. Is cum et patrem vereretur, et Glycerium deserere parum pium iudicaret, pendet animi, nec habet, quo se vortat. Ibi Davus intelligens, simulari rem a patre, consulit herili filio, ut polliceatur patri, se in eius potestate futurum, periculi nihil esse, quandoquidem simulentur nuptiae. Filius obsequitur, quamquam aegre, pollicetur patri ducturum se, quam vellet.

Epitasis.

Interea spargitur de Pamphili nuptiis rumor, resciscunt et mulierculae, quibus cum Glycerio consuetudo erat. Et pater, cum a filio, quod voluerat, extorsisset, non iam simulat rem, sed seriam fabulam orditur. Chremetem orat, ut gnatam det uxorem suo filio. Facile impetrat. Hic de Pamphilo actum fuit, maturare nuptias pater studet, et filius pollicitus erat se in patris potestate futurum esse. Quaeso, quomodo ex his turbis se explicet? quid faciat Pamphilus? Hic Davus, cuius imprudentia periculum contractum erat, cum dolus non successisset, Chremetem deterret a nuptiis, fidem faciens amari aliam a Pamphilo.

Catastrophe.

At pater rem urget, et processisset, nisi casus, qui saepe plus valet quam ratio, dubiis rebus opem attulisset. Venit quispiam Crito, qui docet Glycerium Chremetis filiam esse, gratum omnibus nuntium. Nuptiae ex sententia Pamphili conficiuntur. Vide, ex quanto periculo, casu evaserit Pamphilus.

Est autem in more Terentio, in prima fere scena, longa narratione commemorare occasionem fabulae, atque eas narrationes plurimi fecerunt veteres. Sic in Andria exponit Pamphili amores, et patris consilium, quo is filium a Glycerio divulsurus erat. In reliquis scenis pergit consilium exequi. Sunt adspersa narrationi illi primae multa rhetorica ornamenta. Est enim mirabiliter aucta, commemoratione morum, studiorum, sodalitii Pamphili, qua occasione Pamphilus deperire in Glycerium coeperit, ubi pater id primum deprehenderit. Haec accurate expendet professor, et velim hic immodice etiam anxium esse, *καὶ πολυπραγμονεῖν* interpretem. Est enim modis omnibus efficiendum, ut mirentur,

---

10) Aristot. de arte poet. 4, 3. Ed. Buhle.

11) *πρότασιν*] sic Editt. 1534—1623.; Editt. 1528., 1533. *πρόθεσιν*.

12) Hanc inscriptionem ipsi addidi; in illis enim Editt. h. l. deest. Legitur hoc argum. in Editt. 1528—1623., s. a.

13) Periculum Protasis (*s. πρότασις*).] sic Editt. 1534—1540., 1542. M., 1543., 1546., 1548., 1550. V., 1551—1623.; Editt. 1528., 1533. Periculum Prothesis; Editt. 1542. M., 1545. Periculi Protasis; Ed. 1550. B. Periculum Protaseos

ut ament hunc autorem pueri. Id ita fiet, si rectissime intellexerint. Exigendum ab ipsis pueris, ut suo Marte argumenta fabularum condant, ut locos aliquos retexant, et pluribus exponant, et tanquam ceram refingant, quae exercitatio praeterquam quod familiariorem hunc poetam facit, facundiam etiam alit. Finguntur hic cordati senes, Davus veterator, honesta ac pia mente praeditus adolescens Pamphilus. Verum ut Pamphili ingenium rectius perspici posset, et ut aliquanto plus in fabula turbae esset, confertur cum eo Charinus, Pamphili dissimillimus: nihil moderatum in hoc, nihil consilii; contra in illo moderatiora omnia paene, quam vel aetas poscit, vel sinit amor. In primis mirantur eloquentiam poetae in Pamphili querelis, in senis narrationibus, consultationibus et obiurgationibus. Ab his exemplis et verba, et figuras Latini sermonis, et dicendi rationem assuescant petere adolescentes, felicius haud dubie collocaturi operam, quam si interea velut formicae Indicae aurum conveherent.

Prologus in Andriam[14]).

Vestrae periclum fecimus patientiae,
Cum nuper in scena exhibuimus Militem[15]),
Animosque nobis addidit vester favor,
Ut non patiamur scenam consilescere.
Sed ne mirere: Quid pompae theologicae
Cum comicis iocis? Merae sunt fabulae,
In pulpitis quas[16]) agebant hodie theologi,
Et chirothecae et annuli sunt fabulae,
Nomen Magistri nostri plane fabulae.
Postremo qui condixit[17]) operam huius gregis,
Theologus est, suoque iussit fabulam,
Prolixior ut risus foret, praescripto[18]) agi,
Ut ut placebimus, imputari vult sibi.
Affertur huc Terentiana fabula,
Cui autor ipse nomen[19]) fecit Andriam.
Favete; bellus in medium[20]) prodit senex.

Alius Prologus in Andriam eiusdem[21]).

Dii, quotquot estis spectatores, vos ament,
Et dent, quae vultis, quaeque velle vos decet.
Conductum venio aures vestras, linguam et oculos,
Aures oculique ut pateant, ut lingua taceat.
Qui immites sunt et asperi et intractabiles,
Hoc fructus capiunt, nemo ipsis oneri ut siet.
Nam quos admittunt, reiiciunt, si non placent.
Qui commodi sunt, plus habent molestiae[22]).
Nam omnes admittunt, neminemque reiiciunt,
Ita abutimur nunc vestra benevolentia,
Quia nuper pulchre iuvit nos vester favor,
Quando optimam spectastis agentes fabulam,
Sic ut animus tum accederet impudentiae;
Sed inepti, vendicamus qui hoc nobis, sumus.
Nam haud actioni, sed poetae est hoc datum,
Qui sic superat cunctos, ut neminem habeat
Secundum, tanto is comicis est prae omnibus.
Neque quicquam ego illum nunc moror Volcatium,
Quisquis is est, qui longe post alios hunc locat,
Ut vix in sexto faciat reliquos consequi.
Ut habetur, sic quoque primus est meritissimo,
Quod vos et scitis, et testes estis mihi,
Praesentia qui vestra ornatis tam[23]) malos
Actores tam frequente, tum quoque fabulas
Huius pueris proponitis, et sedulo
Inculcatis vestris lepidas et bonas,
Unde nihil periculi instat sanctimoniae,
Nec sunt, qui mores corrumpant, sales,
Nec est delectu, velut in Plautinis, opus,
Hic omnes castae[24]) sunt, omnes utiles,
Sermo venustus, elegans, purus, gravis,
Ut puerorum decet pabula esse primulum,

---

14) Hic Prol. legitur in Prologis aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Vincent., Corp. Ref. X., et Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.

15) Scil. Militem gloriosum, Plauti comoediam.

16) quas] sic Prologi aliquot, Mel. Opp. Basil. V., Grathus. et Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Vincent. et Corp. Ref. X.: ut.

17) condixit] sic Mel. Opp. Basil. V., Grathus. et Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Prolog. aliq., Vincent. et Corp. Ref. X.: conduxit.

18) praescripto] sic Proleg. aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Vincent., Corp. Ref. X.; Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. praescripte.

19) autor ipse nomen] sic Prolog. aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Vincent. et Corp. Ref. X.: nomen autor ipse.

20) medium] Editt. 1543., 1548., 1551. male: medicum.

21) eiusdem.] sic Mel. Opp. Basil. V., Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; in Prolog. aliq. loco *eiusdem* legitur: *Camerarii*; apud Grathus. neutra vox exstat; apud Vincent. et in Corp. Ref. X. hic Prologus non reperitur.

22) molestiae] Ed. 1540. B. male: molestitae.

23) tam] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. tum.

24) castae] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Editt. 1540. B., 1543, 1548., 1551. iustae.

Quibus mentes alantur ab incunabulis,
Honestatem ut prae cunctis penitus induant,
Mundeque dicant, et loquantur splendide,
Utriusque ex isthoc naturam sibi facient,
Proinde vos, quod ultro coepistis, date
Operam, vestra benevolentia nos ut excitet,
Iuventutemque totam litterariam.
Sic vos Dii multis augeant honoribus,
Et perpetuis felices condecorent bonis.
Nunc quam acturi sumus Terentii fabulam [25]),
Ordine prima est, autor nomen dedit Andriae,
Cuius, ne diu vos detineam, cognoscite
Vetus argumentum versibus paucissimis.

Alius in eandem eiusdem [26]).

Comica debetur merito tibi palma, Terenti,
Tanta etiam parvis gratia rebus inest.

Scholia et Argumenta in prologum singulasque scenas [27]).

Prologus. Argumentum.

Prologus hic relativus est, quando maledicta in adversarium regeruntur. Exordium: cogi se ad respondendum adversario.

Vs. 5. [28]) *Operam.*] *Operam* legit Diomedes. *Nam in prologis.*] Vitium poetae obiectum. Vs. 9. *Menander.*] Narratio. Vs. 17. *Faciunt nae* [29]).] Nae pro valde. Vs. 18. *Qui quum.*] Purgat exemplis. Vs. 22. *Dehinc.*] Modesta maledictorum imprecatio. Vs. 24. *Favete.*] Ab auditoribus favorem captat. Vs. 27. *Exigendae.*] id est, explodendae, ut in Hecyra: Sum earum exactus.

Actus I. Scena I. Argum.

Simo narrat liberto primo honestam filii vitam, deinde amatoriam. Ad postremum etiam aperit, quo consilio se daturum illi uxorem simulare statuerit.

Vs. 1. *Vos isthaec.*] Hic protatica persona inducitur, Sosia scilicet, quae deinceps nusquam apparet. Vs. 8. *Ego postquam.*] Exordii benevolentia a meritis captatur. Vs. 21. *Rem omnem.*] Propositio consilii. Vs. 24. *Nam is.*] Narratio, quae exponit amores gnati, et consilium suum de nuptiis. Est autem amplificata narratio occasionibus omnibus. Vs. 30. *Ad philosophos.*] Eclipsis est Terentiana; potest enim subintelligi: animum applicare, adire. Vs. 45. *Huic viciniae.*] Alias: *huc viciniae* [30]). Vs. 47. *Primum.*] Nemo repente fuit turpissimus; gradatim enim in vitia labimur. Vs. 56. *Observabam.*] Sedulitas paterna erga filium. Vs. 61. *Symbolum* [31]).] Est parvum numisma, aut signum aliquod, ut annulus. Vs. 64. *Spectatum.*] ἐπιφώνημα. Vs. 65. *Continentiae.*] Pamphili continentia. Vs. 86. *Humani ingenii.*] Simo humanitati falso adscripsit, quod erat amoris. Vs. 90. *Imus.*] Mira orationis brevitas. Vs. 98. *Perculsit.*] Ioannes Rivius *percussit* [32]) legendum esse contendit. Vs. 105. *Dissimulatum.*] Amor Pamphili erga Glycerium proditur. Vs. 122. *Negat* [33]).] Chremes generum abdicat. *Gnatum?*] Eclipsis. Vs. 128. *Si propter.*] Prudens Simonis consilium. Vs. 137. *Mala mens.*] Argumentum a natura. *Si sensero.*] Aposiopesis gravem poenam minantis.

Actus I. Scena II. Argum.

Filii amorem explorat pater, simulat futuras nuptias, interminatur Davo pistrinum, si quid fallaciae in ipsis conatus fuerit nuptiis.

Vs. 1. *Non dubium.*] Spargitur res in personas, et institutum consilium exequitur. Vs. 9. *Id voluit.*] Callida Davi suspicio. Vs. 15. *Agis.*] id est, audis. Vs. 17. *Dum tempus.*] Indulgentiam patris. Vs. 25. *Davus sum.*] Adagium. Oedipus enim solus Sphingis aenigma solvit. Vs. 34. *Neque tu.*] *Neque tu haud dicas tibi non* [34]), sic habet vera lectio, ut sint tres negativae voculae.

---

25) fabulam] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Terent. Ed. 1551.; Editt. 1540. B., 1543., 1548. male: subulam.

26) eiusdem] sic Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; in Mel. Opp. Basil. V. et apud Grathus. haec vox deest; in Prologis aliq. hic Prologus non invenitur; a Vincentio hoc distichon aptius inscribitur: Epigramma Philippi.

27) Haec argum. et scholia in Ter. VI comoedias ex Editt. 1540. B., 1543., 1546., 1549., 1551. exscripta sunt.

28) Hos versuum numeros, quibus illae Editt. carent, ex Ed. Bentleiana, quam curavit Ed. Vollbehr (Kiliae 1846. 8.) adscripsi.

29) *Faciunt nae*] sic illae Editt. Ed. Vollb. *Faciuntne.*

30) *huc viciniae*] sic etiam Ed. Vollb.

31) *Symbolum*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *symbolum.*

32) *percussit*] sic etiam Ed. Vollb.

33) *Negat*] Ed. Vollb. *Neget.*

34) *Neque tu haud dicas tibi non*] Ed. Vollb.: *neque tu haut dices tibi non.*

Actus I. Scena III. Argum.

In hac scena deliberat Davus, velit Pamphilo esse adiutor, an auscultare seni.

Vs. 1. *Enimvero.*] Consultatio Davi, filiumne adiutet, an seni auscultet. Vs. 6. *Verba dare.*] id est, decipere. Vs. 13. *Amentium.*] Paronomasia est, quae a Cicerone agnominatio dicitur. Vs. 21. *Sed Mysis.*] Hic parasceue est, id est, praeparatio ad aliam scenam.

Actus I. Scena IV. Argum.

Narrat Mysis, quamobrem a Glycerio exierit. Et hic docet Terentius immoderatum vini usum fugiendum esse iis, qui seriis praesunt negotiis. Nihil est enim, quod recte agi ab ebrio possit.

Vs. 1. *Audivi* [35])] Oeconomia expostulat, ut obstetrix accersatur et conveniatur Pamphilus. Vs. 8. *Turba.*] id est, turbatio, concio.

Actus I. Scena V. Argum.

Habet haec scena Pamphili dolorem de nuptiis; fidem de Glycerio servaturum pollicetur, vel invito, si res ita exigat, patre.

Vs. 1. *Hoccine.*] Querela Pamphili. Pamphilus ob nuptias perturbatus, ex abrupto incipit propositionem iniuriae a patris persona. Vs. 8. *Itane* [36]) *obstinate.*] Mire poeta sic magnas turbas facit, quo catastrophe maiore gaudio compleatur. Vs. 13. *Contemptus.*] Exaggeratur indignitas. Vs. 15. *Monstri.*] Propria et pathetici [36 a]). Vs. 17. *Patre.*] Parentis negligentiam carpit. Vs 19. *Uxor tibi.*] Aegre amantes de re uxoria audiunt. Vs. 23. *Quod si ego.*] Deliberatio, et eius partes. Vs. 24. *Sed nunc quid.*] Dissolutio, seu articulus deficientibus epulis [37]). Consultatio sequitur querelam; fingit enim cordatum adolescentem. Vs. 27. *Patris pudor.*] Patris indulgentiam arguit. Vs. 31. *Momento.*] Metaphora a mole ponderis in statera pendentis. Vs. 35. *Egone istuc.*] Lenta et moesta responsio. Et magna vis est in pronominibus istis; nec praecipitanter, sed incorrupte proferenda sunt. Vs. 40. *Adeon'.* [38])] Confirmatio ab honesto, et totus locus mire patheticus. Vs. 51. *Me Pamphile.*] Prosopopoeia est, et principium a blandimento. Vs. 64. *Propera.*] Concludit partem deliberationis suae per electionem. Vs. 65. *Ne ad morbum.*] Hic versus perficitur initio scenae sequentis.

Actus II. Scena I. Argum.

Charinus intelligit Pamphilo nupturam Philumenam; idem rogat Pamphilum, ne ducat. Hic Charinus et Byrria fabulae adiiciuntur, ne spreta relinquatur Philumena.

Vs. 1. *Quid ais?*] Hic velut omisso argumento principali admiscet Charinum, ut plus in fabula sit turbae. Vs. 5. *Quaeso aedepol.*] Sanum Byrriae consilium attendant tum amatores, tum physici. Vs. 13. *Protrahat.*] Donatus legit *prodat* [39]). Vs. 15. *Quid ni?*] Sic distinxit Donatus, *quid ni?* scilicet adeas? Vs. 18. *Salve.*] Artificiose consilium postponit. Vs. 26. *Quam vellem.*] Scilicet abs te esse vitiatam. Vs. 34. *Facite.*] Mire exprimit affectum nuptias recusantis. Vs. 36. *Quicquam.*] Eclipsis [40]), scilicet dici.

Actus II. Sena II. Argum.

Davus cum ex variis coniecturis et signis comperisset nuptias non cohaerere, Pamphilum toto quaerens oppido, exultat insolentius.

Vs. 1. *Porto.*] Portamus et corpore et animo. Recto ordine prius metus tollitur, quam gaudium infundatur. Vs. 7. *Quis homo.*] Serviliter exultat Davus, idque vice exordii est. Vs. 9. *Dave, perii.*] Mira compendia contrahit hic poeta, nec tamen affectus personarum perdit. Vs. 10. *Et tu quid scio?* [41])] Deest: timeas, teste Donato. Vs. 13. *Atque isthuc.*] Propositio. Vs. 14. *Libera me.*] Perfecta securitas liberatio vocatur: ideo dicitur: Libera me. Vs. 21. *Rogo.*] id est, interrogo; et mira et imitanda brevitas, συναθροισμός. Vs. 26. *Maneo*] Callidum Davi factum. Vs. 27. *Exire.*] Nota argumentum a sequentibus. Vs. 31. *Chremis.*]

35) *Audivi*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Audio*.

36) *Itane*] Ed. Vollb. *Ita*.

36 a) Ed. 1546. h. l. habet schol.: Contumelia vehemens.

37) epulis] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. copulis.

38) *Adeon'*] Ed. Vollb. *adeone*.

39) *prodat*] sic etiam Ed. Vollb.

40) dicis] sic Ed. 1546.; Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. diei.

41) *Et tu quid scio?*] Ed. Vollb. *et quid tu, scio*.

Donatus *Chremi* [42]) legendum censet sicut Ulyssi. Vs. 33. *Nullus.*] pro non. Vs. 34. *Caput.*] Per synecdochen, pars pro toto. Vs. 36. *Vides.*] id est, provides. *Nisi ambis.*] Eclipsis; deest enim: nihil efficies.

Actus II. Scena III. Argum.

Suadet Pamphilo, atque etiam persuadet Davus, ut patri dicat uxorem se ducturum.

Vs. 1. *Quid igitur sibi.*] Cogitabundus et stomachose haec dicit. Sic Virgilius: Quid vult concursus ad amnem? [43]) *Dicam tibi*] Consilium servi, quo Pamphilus insciens in periculum coniicitur. Vs. 7. *Dictum ac factum.*] id est, celeriter, ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον. Vs. 21. *Speras* [44])] id est, times. Virgilius: At sperate Deos [45]). Vs. 26. *Cautio est.*] id est, cavendum. Vs. 29. *Curabitur.*] Impersonaliter tanquam arduum et grave.

Actus II. Scena IV. Argum.

Haec scena consiliorum executionem habet. Monet Pamphilum Davus, apud patrem ne titubet; sed animo praesenti loquatur.

Vs. 2. *Non dubitat.*] Actio tribus rebus constat, cogitando, dicendo, gerendo. Vs. 5. *Differat.*] id est, disturbet. Vs. 7. *Commutare verba.*] Est pro bonis dictis mala ingerere.

Actus II. Scena V. Argum.

Pamphilum Byrria observat, idem Pamphilus patri respondet, se facturum, quae volet ille, omnia; Charino eadem renuntiat Byrria.

Vs. 1. *Herus me.*] Iterum mire, cum omnes consultissime sibi agere videantur, omnes inopinato rerum exitu ludificantur. Vs. 9. *Neque istic.*] Vafrum Pamphili responsum. Vs. 14. *Fidem.*] ἐπιφώνημα. Sic Virgilius: Nusquam tuta fides [46]). Iuvenalis: Fronti nulla fides [47]).

Actus II. Scena VI. Argum.

In hac scena Davus Simonem, et Davum Simo fallit, quae res non iniucunda est.

42) *Chremi*] sic etiam Ed. Vollb.
43) Virg. Aen. VI, 318.
44) *speras*] Ed. Vollb. *speres*.
45) Virg. Aen. I, 543.
46) Virg. Aen. IV, 373.
47) Iuven. Sat. II, 8.

Vs. 1. *Hic nunc me.*] Davus ita loqui videtur, ut spectator tantum audiat; sic tamen ait, ut velit audire a Simone. Vs. 9. *Bidui.*] Fallacia alia aliam trudit. *Cavit.*] Quid in amore cavendum. Vs. 16. *Subtristis,*] *Sub* significatum temperat, ut subridet. Vs. 20. *Drachmis.*] Drachma ex XVIII siliquis constat, id est, ex tribus scrupulis. Vs. 24. *Non laudo.*] Modestia utitur; non enim dicit: reprehendo. Vs. 26. *Veterator.*] Induratus et tritus in astutia.

Actus III. Scena I. Argum.

Simo prae nimia sagacitate mirum in modum fallitur, partum simulari credens, qui verus erat.

Vs. 3. *Ab Andria.*] Oeconomia comicorum saepe sic se habet, ut casu putetur evenisse, quod consilio factum sit. Vs. 13. *Fallacia.*] Deceptio senis ex suspicione. Vs. 19. *Discipuli.*] id est, Pamphili. Vs. 22. *In portu navigo.*] Metaphora ex maris quiete.

Actus III. Scena II. Argum.

Lesbia egrediens narrat, quo in statu sit Glycerium puerpera, simul agit de danda illi potione, imitata medicos, qui praescribere solent aegrotis omnia ad esum potumque pertinentia. Deinde Simo et Davus de puero nato callide altercantur.

Vs. 1. *Adsolent.*] Consuetudinis est.; oportet necessitatis. Vs. 4. *Dare bibere.*] Medici adhuc futurarum rerum incerti praesentibus indiciis firmam valetudinem pollicentur. Vs. 9. *Vel.*] id est, etiam. Locus ab incongruentia rei temporisque. Vs. 15. *Certe hercle.*] Davus haec secum. Vs. 16. *Veritus.*] Verecundia liberi est; servi vero metus. Vs. 20. *Mihine.* [48])] Hoc ad senis perspicaciam spectat, quasi dicat: Ego ipse intelligo. Vs. 24. *Egone te?* [49])] Ista nomina vehementiam habent. Vs. 27. *Deferent puerum.*] Ubi sentit seni nondum persuasum hanc parere, affirmat servus eam parere, et tamen ita narrat, ut opinionem seni faciat simulari partum. Vs. 32. *Coniecturam.*] Multis signis coniectura constat. Vs. 36. *Moventur.*] id est, perturbantur. Vs. 38. *Pamphilo.*] Pamphilum ab amore divertisse asserit. Vs. 44. *Non impulit.*]

48) *Mihine*] Ed. Vollb. *Min.*
49) *Egone te?*] Ed. Vollb. *Ego non te?*

Vide, quam diserte et Latine Simo haec secum. Vs. 47. *Pollicitus.*] Pollicitatio est magnarum rerum promissio.

Actus III. Scena III. Argum.

In hac scena congressus duorum senum; ex falsis verae fiunt nuptiae.

Vs. 1. *Iubeo.*] Iubemus verbis, volumus animo. Vs. 2. *Aliquot me.*] Ex fictis nuptiis verae fient, idque initium est epitaseos periculi in fabula. Vs. 6. *Amicitiam.*] Commendatio amicitiae a vetustate; et est obtestatio a rebus, de quibus agitur. Vs. 11. *Ne me obsecra.*] Vox plena officii et charitatis. Vs. 14. *Si in rem tuam* [50]).] Ab utili accurata locutio. Vs. 17. *Quasi illa.*] Suavissima commutatio est a possibili. Vs. 26. *Priusquam harum.*] Invidiose de una tantum loquitur. Vs. 31. *Arbitror.*] Chremes Pamphili amorem suspectum habet. Vs. 36. *Quod Dii prohibeant.*] Parenthesis per euphonismon. Ab honesto et utili. Vs. 38. *Principio.*] Diluit summatim omnes obiectiones. Vs. 44. *Intimus.*] Testis commendatio. Vs. 45. *Maturem.*] Virgilius: Maturate fugam, regique haec dicite vestro [51]).

Actus III. Scena IV. Argum.

Davus seni insultans hortatur eum ad faciendas nuptias; non enim putabat fore, ut sic ageretur. Quum igitur videt herum serio de tradenda filia colloqui cum Chremete, anxius et exanimatus redditur.

Vs. 1. *Ad te ibam.*] Ad epitasin periculi pertinet, quod eo res redit, ut Davi consilia obsint Pamphilo. Vs. 3. *Ego dudum.*] Gravis oratio ab hoc pronomine plerumque exorditur [52]). Vs. 6. *Scies.*] Simo rem Davo aperit. Vs. 8. *Quid non?*] Versuta Davi dissimulatio. Vs. 13. *Idque exoro.*] Sic alibi [53]): Orator ad vos venio, sinite, exorator ut siem. Vs. 18. *Faciam.*] Pollicetur, quod minime intendit. Vs. 19. *Mirum, ni.*] Caute Davus callidam interrogationem excipit. Vs. 21. *Quid est causae.*] Ad hunc modum fere fingit Terentius, consilia callidissima fallere. Vss. 24 sq. *Hem astutias.*] Ironia est. Sibi enim omne malum adscribit.

Actus III. Scena V. Argum.

Stomachatur Pamphilus, quod dolosum Davi consilium secutus, responderit patri, se ducturum uxorem.

Vs. 3. *Futili.*] μεταφορικῶς a vase futili et rimoso ductum, in summo periculo usurpatum. Vs. 8. *Nec, quid me.*] Uterque expers est consilii. *Quid ais?* [54])] Gravis est interrogatio cum ironia. Vs. 16. *Despiciam.*] Donatus legit *dispiciam* [55]). Est autem dispicere, disquirere consilium.

Actus IV. Scena I. Argum.

Haec scena potissimum continet iurgium Charini in Pamphilum.

Vs. 1. *Hoccine.*] Exordium narrationis ad Pamphilum institutae. Pathos a perfidiae detestatione, estque locus communis. Vs. 7. *Ubi tempus.*] Id usu venit inter foedifragos. Vs. 18. *Charine et me.*] Defensio ab imprudentia. Vs. 19. *Itane.*] Propositio. Vs. 20. *Subducere.* [56])] Graeca figura est, pro decipere; illi enim ὑπάγειν eodem modo usurpant. Vs. 25. *Habeas.*] Permissio ironica. Vs. 31. *Imo etiam.*] Pamphilus excusat imprudentiam. Vs. 34. *Scio.*] Charinus arguit voluntatem. Vs. 37. *Instare.*] Suadere, orare, cum vehementia dicit. Vs. 39. *Davos?*] Cum admiratione pronuntiandum. V. 43. *Dic mihi.*] Hoc semper iniuriosum. Virgilius: Dic mihi, Damoeta, cuium [57]). Vs. 45. *Scio.*] Ironice dicendum. Vs. 51. *Servitio.*] Servitium pro servitute posuit. Vs. 55. *Sedulo.*] id est, sine dolo. Vs. 57. *Restitue.*] id est, omnia mihi salva redde.

Actus IV. Scena II. Argum.

Pollicetur hic Pamphilus Mysidi, nunquam se deserturum Glycerium, etiam si omnes homines sibi ob id infestos sit habiturus.

Vs. 1. *Iam ubi ubi.*] Confirmatur animus Pamphili, ne deserat Glycerium, cum accersitur.

---

50) *Si in rem tuam*] sic h. l. in scholiis Editt. 1540. B., 1543., 1546., 1548., 1551.; in textu autem harum aliarumque Editt. legitur: *Si in rem est;* Ed. Vollb. *Si in remst.*

51) Virg. Aen. I, 137.

52) exorditur] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. inchoatur.

53) Terent. Hecyra prol. 10.

54) *Quid ais?*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *quid agis?*

55) *dispiciam*] sic etiam Ed. Vollb.

56) *Subducere*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *ducere.*

57) Virg. Eclog. III, 1.

Vs. 2. *Tu modo.* [58])] Mollis et blanda oratio est. Vs. 18. *Proclivi.*] Plautus in Captivis, et Caesar proclive pro facile, simpliciter dixit. Vs. 21. *Ne erres.*] Deterret Charinum. Vs. 23. *Ad agendum.*] Callidus servus dominis imperat. Vs. 30. *Age.*] Vix concedentis est.

Actus IV. Scena III. Argum.

In hac scena Davus puerum defert ante ostium Simonis, ut ita Chremes deterreatur a nuptiis. Et consistit haec scena in gestu magis quam in oratione.

Vs. 3. *Amicus.*] est animi; amator, corporis. Vs. 7. *Nunc opus.*] Audax consilium, quo res magis perturbata fuisset, nisi casu emersisset ex his malis Pamphilus. Vs. 15. *Religio.*] Servum nolle mentiri nova religio est. Vs. 18. *Repudio.*] Metaphora a venatoribus sumpta. Vs. 24. *Remorer.*] id est, retineam, a remora pisce navim sistente.

Actus IV. Scena IV. Argum.

In hac scena Chremes puerum ex Glycerio natum audit, et illam civem esse Atticam, ut sic a nuptiis deterreatur.

Vs. 1. *Revertor.*] Summa nuptiarum potestas in patre puellae sita est. Vs. 8. *Hem quae haec est fabula?*] Admiratio cum exclamatione. Vs. 12. *Au.*] Interiectio est consternatae mulieris. Vs. 15. *Male dicis.* [59])] Pro comminaris, ornatus sermo. Vs. 23. *Tibi ego.*] Davi versutia iurgium repetit. Vs. 28. *O facinus.*] Aposiopesis. Vs. 36. *Non hercle faciet.*] Tertiam personam de se facit. Vs. 39. *Fallacia.*] Proverbium, cui subiacet mendacem memorem esse oportere. Vs. 44. *Quis hic loquitur.*] Davi calliditas. Vs. 48. *Hic ille.*] Emphasim habet, sed per ironiam dicitur. Subpalpitatio mulieris. Vs. 54. *Ut sciret.*] Aposiopesis. Vs. 56. *Industria.*] id est, providentia.

Actus IV. Scena V. Argum.

Crito veniens ex Andro Athenas, de Glycerio percontatur, an parentes repererit suos. Audiens nondum reperisse, dolet, quod videat hoc sibi obfuturum in adeunda haereditate.

58) *Tu modo*] Ed. Vollb. *modo tu.*

59) *Male dicis.*] sic illae Edit.; Ed. Vollb. *Quin dicis.*

Vs. 1. *In hac habitasse.*] Occasio catastrophes; nam senex casu interveniens discutit periculum. Vs. 8. *Itane.*] Chrysis scilicet periit. Vs. 13. *Nam pol, si id.*] Haec singula emphasim habent. Vs. 20. *Sycophantam.*] id est, calumniatorem. Vs. 22. *Antiquum*] Scilicet morem aut ingenium.

Actus V. Scena I. Argum.

Simo cupit fieri nuptias; generum recusat Chremes, ob natum ex Glycerio puerum.

Vs. 1. *Satis iam.*] Ad finem epitaseos facit haec nova turba. Vs. 9. *Rogitas.*] Accusatio est, et enumeratio, iniuriarum scilicet ob amorem meretricis. Vs. 16. *Quibus id.*] Defensio per coniecturam. Vs. 19. *Erras.*] Reprehensio Simonis cum Davi testimonio.

Actus V. Scena II. Argum.

In hac scena Simo cum audit venisse, qui Glycerium dicat [59a]) civem esse Atticam, ira accensus, Davum intro raptum coniicit in vincula; et miro hic artificio patris ac domini offensi consuetudinem exprimit Terentius.

Vs. 1. *Animo iam.*] Otium securitas est, negotium vero sollicitudo. Vs. 3. *Scelus.*] Hic scelus ad sensum retulit; nam propter sensus verba sunt, non propter verba sensus. Vs. 6. *Probe.*] Indignanter dicitur. Vs. 12. *Quid illum censes?*] Chremes Simonem irridet. Audet plusculum servus, quia nihil restare periculi putat; sed non fert id impune. Vss. 18 sq. *Hem Dromo.*] Davi verbo commotus, servum lorarium vocat, qui loris, id est, coriis alios servos verberat. Vs. 24. *Vinctum.*] Decorum comicum servat, non procedendo ultra vincula ad necem, quod tragicum esset.

Actus V. Scena III. Argum.

Simo acriter obiurgat filium; confessus crimen filius, veniam petit, ac se totum paternae subiicit voluntati. Nimis commotum Simonem placare nititur Chremes.

Vs. 1. *Omnium.*] Aposiopesis irato familiaris, quando pro dignitate peccati non invenitur convicium competens. Vs. 7. *Vide, num.* [60])]. Vide, quomodo assurgat. Vs. 19. *Quid mi pater.*]

59a) dicat] sic Ed. 1546.; Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. dicet.

60) *Vide, num*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Numnam.*

Mira gravitate hic sensus exaggeratur; nam pluraliter de uno tantum loquitur. *Pater*, oratio pudoris plena. Vs. 27. *Ducere.*] Amphibologia est. Vs. 29. *Adducam.*] Difficultatem rei ostendit resumpto verbo per indignationem.

Actus V. Scena IV. Argum.

Haec scena continet Andrii Critonis cum Simone et Chremete congressum, in quo error omnis fabulae aperitur; nam Glycerium ostenditur hic filia esse Chremetis.

Vs. 1. *Mitte orare.*] Crito hic Pamphilum alloquitur, sic rogantem, verum ut de Glycerio dicat. Catastrophe. Vs. 5. *Hic est.* [61])] Critonem aggressus acriter incusat. Vs. 12. *Bonus hic est vir.* [62])] Ironia. Vs. 13. *Attemperate.* Plerumque casus imitatur industriam, ut hic. Vs. 19. *Nam ego.*] Narratio haec pars est argumenti. Vs. 24. *Ex illo.*] Confirmatio veritatis. Vs. 27. *Rhamnusium.*] Rhamnus pagus est Atticae maritimus, inde Rhamnusius. Vs. 29. *Cuiam.*] Vetusto [63]) more dixit. Vs. 30. *Arrige aureis.*] Proverbium. Metaphora a pecudibus aures arrigentibus. Vs. 34. *Illo.*] Scilicet fratre [64]) Phania. Vs. 35. *Spe, gaudio.*] Affectus amantis. Vs. 40. *Numquid meministi?*] Amoris Pamphili affectus exprimitur. Vs. 43. *Ex ipsa millies.*] Notatur frequentissima Pamphili cum Glycerio consuetudo. Vs. 45. *In gratiam.*] Simo cum Pamphilo iam redit in gratiam. Vs. 50. *Davo isthuc.* [65])] Mire Davi mentionem facit, ut solvatur [66]). Vs. 53. *Faustum.*] Exclamatio amatoris.

61) *Hic est*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Hic.*

62) *Bonus hic est vir.*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Bonus est hic vir.*

63) Vetusto] Editt. 1540. B., 1543., 1548. Vetuste.

64) fratre] Ed. 1540. B. fratre meo.

65) *Davo isthuc*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Davo ego istuc.*

66) solvatur] Ed. 1548. male: sonatur.

Actus V. Scena V. Argum.

Davo narrat Pamphilus Glycerium inventam esse civem Atticam, seque illam ducturum uxorem. Charinus ostendit per Pamphilum facile se impetraturum a Chremete Philumenam. Haec scena alterum generum Chremeti comparat, ne aut Charinus tristis abeat, aut non provisum Philumenae sit.

Vs. 1. *Proviso.*] Charini et Pamphili colloquium ideo inducitur, ut una narratione Charini quoque negotium transigatur.

Actus V. Scena VI. [67])

Vs. 8. *Quae vigilans voluit?*] Proventum ex re natum. Vs. 11. *Bene factum.*] Gratulatio compendiosa. Laetus comoediae exitus.

67) Haec Scena in Editt. 1528., 1533., 1534., 1539., 1542. M., 1545., 1550. B. V., 1592. L. cum quinta in unam est coniuncta.

2. In Eunuchum Terentii.

Argumentum [1]).

Comoediae ut hominum vitam, casus, consilia imitentur, pericula continent, quod et consiliis, et fortunae in periculis maxime locus est [1a]). Itaque cum discutere periculum ratione [2]) contendant personae, finguntur varia [3]) consilia, in quibus alia fallunt, alia felicia sunt. Saepe plus casus potest quam ratio. Dominatur fere in rebus fortuna.

Superiori fabula proposuit modesti adolescentis exemplum. Is de officio suo honeste consultat. Hic nulla sunt honesta exempla, nullum honestum consilium. Nam meretricii amores describuntur, ut in hoc exemplo cernant iuvenes, tanquam in speculo, amentiam huiusmodi amatorum. Est autem duplex propemodum fabula, propterea geminum argumentum recenseo.

Primas Thraso in hac fabula tenet. Ei cum pollicita esset Thais, facturam se sui copiam dies aliquot, fallitur is tamen, eaque πρότασις fabulae est.

Cum Thrasone confertur Phaedria; nisi enim rivalem haberet Thraso, nihil periclitaretur in amore.

1) Hoc prius argumentum legitur in Editt. 1528., 1533., 1534., 1539., 1540. A. B., 1543., 1546., 1548., 1550. B. V., 1551., 1553., 1560., 1592. L. et in Riccii collect. T. I.

1a) est] Ed. 1546. sit.

2) ratione] Ed. 1528. rationem.

3) finguntur varia] sic Editt. 1528., 1533., 1540. A., 1553.; ceterae illarum Editt.: varia finguntur.

Ἐπίτασις fabulae est, cum minatur ille se oppugnaturum vi aedes Thaidis.

Καταστροφὴ ridicula est. Nam Thraso iam fractus, precibus impetrat, ut aliqua saltem in parte apud Thaidem haereat.

Porro quia haec fabula varia est, multumque habet turbarum, casu exoritur alius tumultus, vitiatur virgo, quam Thaidi miles donarat. Sed est laeta eius quoque periculi *καταστροφή*. Nam uxor datur haec adolescenti, qui eam [4]) compresserat.

Ut Thrasonem ridiculum amatorem fingeret, addit Gnathonem, qui eius mores mirifice depingit, ut ardelionem agnoscas.

In superiori fabula plurimae sunt consultationes, et tota fere consistit in genere deliberativo. Hic plus est expostulationum, et accusatorio seu iudiciali generi similior est. Nullum autem vitae genus est, ubi non plurimum Thrasonum reperias; neque ulli fere rebus humanis perniciosiores sunt, quam id genus, si contingat imperare. In templis, in aulis, in rebus publicis omnibus, omnia miscent, ut emereantur vulgi plausum. Quare diligenter est intuenda contemplandaque Thrasonis imago in hac fabula, ut discas, quam sint inepti, quam nihili, ardeliones isti: somnia verius hominum quam homines dicas. Refert autem conferre cum hac similes alicubi descriptiones, qualis est apud Martialem Attali [5]), apud Catullum Suffeni [6]), nec piget [7]) adscribere, ut ediscant [8]) pueri.

Ad Varum [9]).

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homo est venustus, et dicax, et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta, nec sic [10]), ut fit in palimpsesto [11]),
Relata; chartae regiae, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec cum legas, tum bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur, tantum abhorret, ac mutat [12]).
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tristius [13]) videbatur,
Idem infaceto [14]) est infacetior [14]) rure,
Simul poemata attigit; neque idem unquam
Aeque est beatus, ac poema cum scribit.
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur:
Nimirum idem omnes fallimur; neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis, suus cuique attributus est error;
Sed non videmus manticae quod [15]) in tergo est.

In Attalum.

Declamas belle; causas agis, Attale, belle.
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos, epigrammata belle,
Bellus grammaticus, bellus es astrologus.
Et belle cantas, et saltas, Attale, belle.
Bellus es arte lyrae, bellus es arte pilae.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

Aliud argumentum [16]).

Comoediae plurimarum rerum in tota hominum vita imagines proponunt, videlicet, quid in moribus deceat, quid non deceat, quae sit ingeniorum humanorum varietas, quam varii casus accidant, quanta vis sit fortunae, quam saepe nos fallant consilia in periculis. Atque haec fabula in primis magnam varietatem habet personarum, consiliorum et casuum, et magna ex parte motoria est. Superior comoedia proposuit exemplum adolescentis verecundi et moderati, qui de suo officio honeste deliberat. Hic nulla sunt honesta exempla, nulla honesta consilia. Describuntur enim meretricii amores. Et conferuntur duo amatores, Thraso ac Phaedria, quorum utriusque ingenium considerare prodest. Nam Thraso proponitur, ut videamus, quam sint inepti ardeliones illi, qui cum nulla neque virtute, neque industria praediti sint, tamen

---

4) qui eam] sic Editt. 1546., 1550. A., 1592. L.; ceterae illarum Editt.: quam.

5) Martialis Epigramm. II, 7.

6) Catulli carm. XXII. Ed. Doering.

7) piget] Ed. 1528. pigeat.

8) ediscant] sic illae Editt., exceptis Editt. 1540. B., 1546., 1550. V., 1551., quae habent: addiscant.

9) Varum] Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. in hac inscript.: Pharum; Catull. Ed. Doering.: Varrum.

10) sic] sic (= Catull. Ed. Doer.) Editt. 1539., 1540. A. B., 1543., 1546., 1548., 1550. V., 1551., 1553., 1560., 1592. L.; Editt. 1528., 1533., 1534., 1550. B.: scit; Ricc.: sint.

11) palimpsesto] sic Catull. Ed. Doer.; Editt. 1528., 1533., 1534., 1550. B., Ricc.: palinxesto; cett. Editt.: palinxysto.

12) mutat] sic (= Catull. Ed. Doer.) Editt. 1540. B., 1543., 1546., 1548., 1550. B., 1551.; cett. Editt.: nutat.

13) tristius] sic illae Editt.; Catull. Ed. Doer.: tritius.

14) infaceto — infacetior] sic illae Editt.; Catull. Ed. Doer.: inficeto — inficetior.

15) quod] sic (= Catull. Ed. Doer.) Editt. 1539., 1540. A. B., 1543., 1546., 1548., 1550. B. V., 1551., 1553.; cett. Editt.: quid.

16) Hoc alterum argum. exstat in Editt. 1542. L. M., 1545., 1575., 1588., 1592. F., 1602., 1614., 1623., s. a.

magnifice de se sentiunt ac praedicant: ubique videri volunt regnare, in aulis, in consiliis, in rebus omnibus gerendis, praesertim ubi se putant in tuto esse.

Hi in privatis negotiis ridiculi sunt, ut hic in fabula Thraso, et apud Plautum Miles gloriosus; sed in republica si quando imperant, perniciosi, et propter stultitiam, et propter ambitionem, qualis propemodum fuisse Antonius Romae videtur, et quales nunc regnant multi indocti et impudentes homines in templis et in concionibus.

Itaque diligenter hic cognoscendus est Thraso, ut odisse arrogantiam ac vanitatem discamus. Rivalis Thrasonis fingitur ingenio satis bono esse, sed ita immutatus amore meretricio, ut non cognoscas, inquit, eundem esse. Quid autem turpius est, quam ita vinci amore, ut quasi naturam nostram exuisse videamur? Sed habet primas Thraso in hac fabula, cui ideo Gnathonem addit, ut fatuum et insulsum ardelionem clarius depingeret, exagitatum et derisum ab assentatore. Et quia quasi gemina fabula est, discernamus pericula et exitus utriusque partis.

Protasis est: Thais, ut extorqueat a milite puellam civem, promittit ei se futuram apud eum aliquot dies; idque ut concedat Phaedria, vix tandem impetratur. Fuit enim rivalis addendus Thrasoni potentior, ut plus esset in fabula periculorum et varietatis.

Epitasis est: Cum ad militem venit Thais, accersit fratrem puellae, ut eum de sorore certiorem reddat. Thraso, quia putat sibi rivalem adductum, stomachatur. Quare discedit ab irato Thais. Ibi redit miles oppugnatum aedes Thaidis, magno cum tumultu.

Catastrophe ridicula est: Omissa oppugnatione, Thraso fit supplex Thaidi, et Gnatho eum ita describit Phaedriae, ut is intelligat sibi ab hoc rivali nihil esse periculi. Quare sic discedit miles, ut se quoque haerere in aliqua parte apud Thaidem arbitretur, atque hoc suo errore interim homo stolidus, beatus est.

Altera Epitasis est: Chaerea pro Eunucho ad Thaidem deductus, vitium offert virgini. Sed Catastrophe laeta est. Nam puella, posteaquam eam comperiunt esse civem, datur uxor Chaereae.

Prologus in Eunuchum [17]).

Salvere iubeo spectatores optimos,
Qui scenae ornandae confluxere gratia,
Favore nostra studia ut excitent suo,
Artesque honestas et benigne provehant,
Autoritateque ut tueantur hunc gregem,
Qui scenicos ludos industria sua
Instruxit hac in urbe primus, ut iocis
Salibusque personent haec pulpita Atticis,
Et barbaros plorare iussit, fabulas
Efferre qui vetabant in proscenium,
Quae cultiores iuvenum mores redderent.
Terentianam agemus Eunuchum modo,
Quae fabulas Latinas vincit caeteras
Sermonis elegantia et facetiis,
Vel ipse quas Momus miretur ac probet;
Illoque sentiat tinctas sale, quo satam
Amorum et illecebrarum matrem omnium
Venerem ferunt. Sed corrugare tetricos
Quosdam videtis nares, immodestiae
Hi nos [18]) accusant, in theatrum quod iocos
Proferre liberiores paulo ausi sumus,
Moresque criminantur vitiari bonos
Parum severis dictis atque lusibus.
Sed o censores asperos et pergraves,
Qui, quod reprehendunt in theatro, ludunt domi,
Et Curios simulant, vivunt Bacchanalia.
Ludunt poetae; at lusus illi seria
Ducunt, simulque morum tradunt optima
Vitae praecepta, ut nihil melius Solon
Aut sanctius tabulis inscripserit aeneis;
Sed asperam tamen virtutem condiunt
Iucundioribus illecebris, ut solent
Medici, daturi pueris tetra absynthia,
Cum melle dulci et saccharo irritant gulam.
Facessant ergo iniqui audaces hinc procul,
Ut aequioribus spectandi dent locum.
Nos publici nostrique causa commodi
Terentianam agemus Eunuchum modo,
Qua barbaram Thrasonis arrogantiam

17) Hic prologus, quem Melanthon d. 22. Ian. 1525. misi Camerario suo, in Prologis aliquot sic inscriptus est „Prologus in Eunuchum: Ioach. Camera." quibus facil aliquis in errorem ducatur, eum a Camerario esse scriptum. Exstat praeterea in Mel. Opp. Basil. V., Grathus coll. Epigr., Corp. Ref. X., Terent. Editt. 1540. B., 1543. 1548., 1551. — In Vincentii collect. Epigramm. Mel. deest

18) nos] sic Mel. Opp. Basil. V., Prolog. aliq., Grathus et Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Corp Reform. X.: vos.

Fastumque inanem irridet[19]), hic est cernere
Perinde, ut in speculo, ardelionum imaginem,
Qui caudices fungique cum meri sient,
Primas tamen sibi rerum ubique vendicant.
Proventus huius generis est uberrimus
Hoc seculo, cum se titulo sapientiae
Musarum ubique venditant, hostes feri
Profana divinaque miscent omnia.
Vos ergo favete, spectatores optimi;
Adfertur utilis et iucunda fabula.

Scholia et Argumenta in prologum singulasque scenas.

Prologus.

Vs. 1. *Studeant.*] Excusat, cur in adversarium invehatur. Vs. 3. *In his poeta.*] Dictum in L. Lavinium. Vs. 10. *Causam dicere.*] id est, reus prius excusat se, quam agit actor. Vs. 12. *Illic.*] pro *ille*. Vs. 17. *Habeo alia.*] A poetae modestia benevolentiam captat. *Nunc.*] Narratio. Vs. 27. *Peccatum.*] Peccatum prius nomen est; posterius verbum. Vs. 29. *Iudicare.*] Purgatio. Vs. 30. *Colax.*] Latine adulator dicitur. Vs. 36. *Servos.*] Comicorum materia personaeque. Vs. 42. *Quare aequum.*] Epiphonema.

Actus I. Scena I. Argum.

Phaedria exclusus consultat, an redire debeat ad Thaidem. Huic Parmeno suadet, ut animo aequo amoris molestias ferat.

Vs. 1. *Quid igitur.*] Opponit militi rivalem, quem fingit aegre concedere dies aliquot, dum a milite Thais munus extorqueat. Vs. 6. *Perficies* [20]).] Aliàs *pertendes*. Vs. 10. *Peristi.*] διαλογισμὸς, quasi ad alterum. Vs. 15. *Suspiciones.*] Similis congeries est in Plauti Mercatore. Vs. 20. *Egone illam?*] Aposiopesis celeberrima. Vs. 25. *Indignum.*] Extenuatio ad αὔξησιν spectans. Vs. 27. *Amore ardeo.*] Amoris vehementia. Vs. 29. *Te redimas.*] Perstat in metaphora bellica.

Actus I. Scena II. Argum.

Thaidis blando sermone victus Phaedria pollicetur se biduum rus concessurum, ut Thrasoni interim locus sit apud illam.

Vs. 1. *Miserum me.*] In hac scena exponitur occasio fabulae, ut Terentio initio fabularum mos est; simul causa, cur miles sit placandus, recensetur. Vs. 21. *Egone.*] Reponit Thaidi vicem, tanquam falsum dictura sit. Vs. 25. *Perfluo* [21]).] Metaphora a vase futili. Vs. 27. *Samia mihi.*] Narratio. Vs. 33. *Neque sciebat.*] βάσις figura est hic, quando inter narrandum omnia pedetentim dicuntur. Vs. 41. *Effluet.*] Meretricem notat. Vs. 47. *Tute scis.*] Astute meretrix, ubi dixit, quae amatorem urgebant, blandimenta subiicit. Vs. 50. *Hoc agite.*] De hac figura sermonis adscribere placuit verba Plutarchi in Coriolano [22]) de institutis Numae: ὅταν ἄρχοντες ἢ ἱερεῖς πράττωσί τι θείων, ὁ κήρυξ πρόεισι μεγάλῃ φωνῇ βοῶν· Ὄχ ἄγε. Σημαίνει δ' ἡ φωνή· Τοῦτο πρᾶττε· προςέχειν κελεύουσα τοῖς ἱεροῖς, καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβάλλειν μεταξὺ, μηδὲ χρείαν ἀσχολίας [23]). Vs. 52. *Honesta virginem.*] Commendatio puellae. Vs. 63. *Etiamne amplius?*] ἔκλειψις. Vs. 65. *Multae sunt.*] Cur puellam abducere quaerat. Vs. 69. *Amicus.*] Amicus perpetuo; amator ad tempus. Vs. 70. *Amabo.*] Vide, quam leniter precatur et blande. Vs. 75. *Nesciebam.*] Indignanter omnia repetit. Vs. 80. *Plus amas.*] Ironia stomachantis amatoris. Vs. 83. *Nuncubi.* [24])] id est, numquid alicubi. Vs. 98. *Verbum.*] Pro dicto ponitur. Vs. 101. *Ego impetrare.*] Emphasim habet *ego*. Vs. 104. *Aut?*] Aposiopesis. Vs. 105. *Non fiet.*] Omnia haec vim amoris exprimunt. Vs. 107. *Biduum.*] Tanquam biennium sit. Vs. 112. *Milite isto.*] Per contemptum *isto*, quasi odioso. Vs. 118. *Aliarum ingeniis.*] Meretrix bona hic inducitur. Vs. 123. *Spero fratrem.*] id est, credo.

Actus II. Scena I. Argum.

Phaedria rus concedit, id quod Thaidi se facturum dixerat. Illius ex amore immutationem miratur Parmeno; et militis donum ita laudat, ut heri sui Eunucho praeferat.

Vs. 1. *Deducantur isti.*] Scilicet Eunuchus et Aethiopissa: ut rivalem apponit, ita et munus; sed decebat militis munus vincere. Vs. 5.

---

19) irridet] sic omnes illi libri et Editt., excepto Grathusio, qui exhibet: deridet.

20) *Perficies*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *pertendes*.

21) *Perfluo*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *perpluo*.

22) Plutarchi vita Coriolani c. 25.

23) Hoc scholion legitur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1542., 1548., 1551. deest.

24) *Nuncubi*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *num tibi*.

Charius.] Figurate, pro qui mihi sum charior. Vs. 16. *Me indulgeo.*] Sic veteres, quod nos *mihi* dicimus. Vs. 20. *Non cognoscas.*] Laus Phaedriae ab acta aetate. Vs. 23. *Ducit secum.*] Oeconomia ad futurum amorem.

Actus II. Scena II. Argum.

Quasi ambulantem Gnathonis personam inducit, sub cuius verbis corrupti hominum mores ostenduntur, maxime assentatorum, qui patellam sequuntur, et ad prandia [25]) praesto sunt.

Vs. 1. *Homini homo.*] Gnathonis descriptio. Vs. 4. *Haud impurum.*] id est, non avarum; διαλογικῶς haec dicuntur. Vs. 7. *Omnes noti.*] Omnia haec ex media sumuntur consuetudine. Vs. 13. *At ego infelix.*] μεταφορικῶς a peregrinantibus. Vs. 16. *Hoc novum.*] Gloriosos et iactabundos carpit. Vs. 19. *Eorum ingenia.*] Adulatorum officium. Vs. 22. *Assentari.*] Sententia verissima, hac praesertim tempestate. Vs. 28. *Adventum.*] ἀντίπτωσις, adventum, pro adventui. Vs. 29. *In tantum honorem* [26]).] Vetus, pro *in tanto honore*; *in potestatem* dixit Cicero pro *in potestate.* Vs. 40. *Impertit.*] Parasitica elegantia. Vs. 43. *Hoc tibi mancipium.*] Laudatio mimica. Vs. 44. *Hoc munus.*] Gnatho insultat Parmenoni. Vs. 48. *Sic soleo.*] ἔλλειψις, scilicet beare. Vs. 50. *Ut admittar.*] Ironice. Vs. 52. *Sine biduum hoc.*] Submissius pronuntiandum. A contrariis, et est hyperbole expressissima. Vs. 56. *Clam a milite.*] εἰρωνικῶς. Vs. 58. *Sed video.*] παρασκευὴ ad aliam scenam. Vs. 59. *Custos publice*] id est, φρουρὰ ut περίπολος; hi enim armati obibant terram Atticam. Eratque hoc munus annorum duorum, ut colligitur de oratione Aeschinis falsae legationis [27]).

Actus II. Scena III. Argum.

Chaerea laudat forte conspectam virginem, queritur subductam; Parmeno ostendit, qui fieri possit, ut illa potiatur.

Vs. 1. *Occidi.*] Occasio tanquam novae fabulae et novi motus in hac comoedia; est autem oratio plena affectibus. Vs. 2. *Neque ego.*] Satis amatorie, qui se quoque perdidit, dum illam non invenit. Vs. 5. *O faciem pulchram.*] Virginis laus a forma. Vs. 10. *Praeut.*] Plautus in Amphitr.: Parum etiam praeut futurum est, praedicas. Estque saepe Plautus hac figura usus. Ludum dixit proverbialiter, secundum hoc Aeschyli in Prometheo: ὥςτε σοὶ τὸν νῦν χόλον παρόντα, μόχθων παιδίαν εἶναι δοκεῖν [28]). Vs. 14. *Neque unde eam.*] Perturbatio ex amore. Vs. 22. *Similis virgo.*] Reprehendit industriae cultum, et laudat pulchritudinem naturae. Vs. 27. *Color.*] Descriptio formosae puellae. Vs. 28. *Dum potiar modo.*] Affectus amatorius. Vs. 31. *Amisti.*] Per syncopen, pro *amisisti.* Vs. 33. *Neque quemquam.*] Cuique suae iniuriae maximae videntur. Vs. 37. *Quid ni?*] Correptio est. Vs. 41. *Sex vel septem.* [29])] Vel superest in versu; sed potest septem pronuntiari μονοσυλλάβως, Bembus tamen *vel* omisit [30]). Vs. 45. *Incurvus.*] Hypotyposis odiosi senis. Vs. 47. *Cras est.*] Hyperbole ex fastidio orta. Vs. 56. *Verum, parasitus.*] *Verum* hic inceptiva particula est, non relativa. Vs. 57. *Conclamatum*] παροιμιῶδες. Sicut et id, quod sequitur, Alias res agis. Cicero pro Roscio Amerino: Usque eo animadverti, iudices, eum iocari atque alias res agere [31]). Vs. 60. *Mi, nostin?*] Repetitio amatoria. Vs. 62. *Tanto munere.*] Munus affectate laudat. Vs. 66. *Inhonestum hominem.*] Gemina vituperatio ab aetate et sexu; et mulierem posuit ἐπιθετικῶς, sicut Homerus [32]): γυναῖκά τε θήσατο μαζόν [33]). Vs. 71. *Obsecro hercle.*] Parmeno diligentiam pollicetur. Vs. 74. *O fortunatum.*] Occasio consilii et novi motus. Vs. 76. *Videbit.*] Quinque amoris gradus. Vs. 83. *Quisquam te novit.*] *Quisquam* feminino genere ponitur. Vs. 87. *Iocabar.*] Vafer servus non vult videri sceleris autor. Vs. 89. *Nimium calidum.*] Calidum, θερμὸν Graeci pro periculoso dicunt,

25) prandia] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. epulas.

26) *In tantum honorem*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *tanto honore.*

27) Hoc schollion exstat in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

28) Ludum — δοκεῖν.] Haec verba leguntur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desunt.

29) *Sex vel septem.*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Sex septem.*

30) sed — omisit.] haec in Ed. 1546. exstant; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desunt.

31) Hoc schol. exhibetur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desideratur.

32) Hom. Il. XXIV, 58.

33) et mulierem — μαζόν.] haec reperiuntur in Ed. 1546.

sic et Cicero I. de Officiis[33a]). Vs. 92. *Crucibus.*] id est, tormentis. Vs. 93. *Despicatu.*] Casina: Vir me habet pessimis despicatam modis. Cicero pro Sextio: Cessi tribuni plebis hominis despicatissimi furori[34]). Vs. 95. *An potius.*] Argumentum a consequentibus.

Actus III. Scena I. Argum.

Assentatur Gnatho, assentanti credit Thraso, seque et facta sua immodice iactat. Consulit item Gnatho, ne miles purget se Thaidi de amore Pamphilae, imo potius augeat suspicionem, ita par pari relaturus.

Vs. 1. *Magnas vero.*] Antea depinxit parasitum, nunc insulsum et ineptum Thrasonem describit. Vs. 5. *Isthuc datum.*] Miles gloriosus a fato et Deorum dono se laudat. Vs. 9. *Labore alieno.*] Assentatio, mordax tamen. Vs. 13. *Consilia.*] Scilicet mira laudis affectatio. Vss. 17 sq. *Hui, regem.*] Amara et regis et Thrasonis irrisio. Vs. 19. *Perpaucorum*] Cicero Bruto: Tantum iam virum ex quanto crede mihi potest evadere, qui nostris paucorum respondeat laudibus[35]). Vs. 32. *Plus millies.*] Hyperbole ex fastidio narrantis. Vs. 39. *Meum est.*] Ridicula militis verba. Vs. 47. *Si quando illa.*] παρασκευὴ in prima fabulae parte. Vs. 60. *Alio conferas.*] Locum pro persona posuit. Vs. 63. *Quanto invenisses* [36]).] Cum pondere pronuntiandum.

Actus III. Scena II. Argum.

Parmeno Eunuchum et Aethiopissam, Phaedriae munera, tradit Thaidi, et uti iussus erat, verbis ornat. Eidem Thraso et parasitus insultant.

Vs. 1. *Visa sum.*] De omni sensu dici potest. Cistellaria: Audire vocem visa sum ante aedes modo[37]). Vs. 4. *Quam venuste.*] Ironia. Vs. 10. *Hunc non vides?*] Mire pronomen invenit, ne quemquam laedat. Vs. 17. *Procede tu.*] Commendatio a longinquitate loci. Vs. 23. *Tacent*] Cicero pro Sext.: Tacendo loqui, non infitiando confiteri videbantur[38]). Vs. 24. *Fac in palaestra.*] Olim his artibus liberi erudiebantur. Vs. 26. *Ego illum.*] Honesta eclipsis ob Thaidis praesentiam. Vs. 34. *Sat scio.*] Assentator approbat militis dictum. Vs. 38. *E flamma.*] Vetus adagium in adulatores. Vs. 47. *Fiat.*] Eclipsis ethica, qua plus vultu quam verbis signatur. Vs. 53. *Vos me sequimini.*] Ad pedissequas refertur.

Actus III. Scena III. Argum.

Chremes, probatus adolescens, amari se a Thaide suspicatur, quem amorem effugere studet.

Vs. 1. *Profecto*] Oratio cogitabundi, et futura multo ante secum volutantis. Vs. 6. *Ut ibi manerem.*] Honestius quam dormirem. Vs. 14. *Avellere.*] Tanquam a pertinaciter possidente. Vs. 19. *Hanc se intendit*[39])] δικανικὸν ῥῆμα[40]). Vs. 25. *Ego sum Chremes.*] Simplex rustici responsio. Vs. 30. *Malam rem.*] Indignatur de attrectatione Pythiae.

Actus III. Scena IV. Argum.

Inducit personam, cui narraturus est Chaerea, quae intus patrarit. Hoc ideo fit, ut populus percipiat auribus, quod honestis oculis subiici nequit.

Vs. 2. *Essemus de symbolis.*] *Essemus* a verbo *sum*, Plautus: Minore nusquam bene fui dispendio. Et saepe alias. Vs. 7. *Hinc*[41]) *a Thaide.*] Chaerea[42]) sub Eunuchi habitu virgine vitiata vix cognitus.

Actus III. Scena V. Argum.

Chaerea foras prosiliens, exultat, quod virgine potitus sit. Quid intus patrarit, narrat forte obvio Antiphoni.

Vs. 1. *Numquis hic est?*] Haec verba gestum vultumque indicant exeuntis. Vs. 3. *Nunc est profecto.*] Instabilitatem fortunae timet. Vs. 5.

33a) Cic. de Offic. I, 24, 82.

34) Hoc schol. in Ed. 1546. exhibetur. Ciceronis locus legitur in orat. pro Sextio 16, 36.

35) Hoc schol. legitur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest. Ciceronis locus est ad Brutum 7.

36) *Quanto invenisses.*] In illis Editt. hic vs. legitur sic: *Idem hoc tute melius quanto invenisses Thr.?* in Ed. Vollb. vero sic: *Idem hoc aut melius tute invenisses, Thr.*

37) Cistellaria — modo.] haec exstant in Ed. 1546.

38) Hoc schol. in Ed. 1546. exhibetur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

39) *Hanc se intendit*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Eam sese intendit.*

40) Hoc schol. exstat in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

41) *Hinc*] sic illae Editt.; in Ed. Vollb. non legitur.

42) Chaerea] Ed. 1546. male: Caetera.

Sed neminem.] Exordium patheticum. Vs. 9. ***Adibo.***] Occasione obviae personae, quae turpiter gesta ob oculos poni non licebat, spectatoribus narrantur. Vs. 14. ***Narra isthuc.***] Narratio, qua exponitur protasis secundae partis in fabula. Vs. 19. ***Primam dices.***] Narratio flagitii. Vs. 23. ***Ibi servus.***] Correptio intercipientis narrationem. Vs. 26. ***Viderem.***] Res amanti gratissimae. Vs. 28. ***Abducit domum.***] Occasio a solitudine. Vs. 36. ***Tabulam.***] Tabula de Iove et Danae digna lupanari. Vs. 39. ***Ille ludum.***] Non scelus dixit, Iovi et sibi de nequitia blandiens. Vs. 42. ***Templa.***] Coelum ipsum significans. Vs. 51. ***Vix elocuta***] Homerus Odyss. π. οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος [43]). Vs. 51. ***Foras simul.***] Mos familiae petulantis. Vs. 53. ***Somnus virginem.***] Clauso gutture explicata narratio. Vs. 64. ***Eamus ad me.***] id est, in domum meam.

Actus IV. Scena I. Argum.

Dorias ancilla hic narrat, quid in convivio militis actum sit.

Vs. 1. ***Illum vidi.***] Scilicet militem Thrasonem. Infinitum pro finito. Vs. 9. ***Adductum.***] Locus agnoscendae virginis. Vs. 12. ***Tendere.***] id est, pervicaciter nitebatur. Virgilius: Vasto certamine tendunt [44]).

Actus IV. Scena II. Argum.

Secum cogitans Phaedria, quae sit intercepti amoris passurus incommoda, si totum biduum ruri manserit, vincente amore in urbem redit.

Vs. 1. ***Dum rus.***] Tempus postulat Phaedriae reditum, ubi acta sunt omnia, quae illius absentiam desiderabant. Vs. 8. ***Occepi mecum.***] Plautus Aulularia: Deinde egomet mecum occepi inter vias cogitare [45]). Vs. 12. ***Extrema linea.***] Quinque amoris lineae: visus, colloquium, tactus, oscula, concubitus.

Actus IV. Scena III. Argum.

Pamphilam ab Eunucho vitiatam magnopere queritur Pythias, miratur Phaedria, atque ita ex illius querela, et huius errore, multum delectationis spectator capit.

Vs. 1. ***Ubi ego illum.***] Supra ipse Chaerea narravit suum factum, hîc in personas spargitur, et idem factum narratur dissimili figura orationis. Vs. 3. ***Quin etiam insuper.***] Hic videas, quanta sit poetae copia. Vs. 9. ***Hem Phaedria.***] Phaedriae insonti crimen imputat. Vs. 11. ***Eunuchum quem.***] Vel duplex est interrogatio: quem dedisti nobis? quas turbas dedit? vel est ἀντίπτωσις [46]). Vs. 17. ***Virgo ipsa lacrumat.***] Argumentis factum ostendit. Vs. 18. ***Bonus vir.***] εἰρωνικῶς. ***Suspicor.***] Omnes suspiciones ad Eunuchum revocat.

Actus IV. Scena IV. Argum.

Hîc ridiculo quodam et periucundo errore spectatores oblectantur. Phaedria enim credit Eunuchum quaeri, quem dono Thaidi dederat, et hunc iratus adoritur, ut virginis stupratorem, signis tandem et argumentis comperit a Chaerea fratre perpetratum scelus.

Vs. 1. ***Exi foras.***] Ut narratio et longior fiat, et magis ridicula, pergit in personas spargere. Vs. 8. ***Ubi est?***] Error utriusque, Phaedriae scilicet et Pythiae. Vs. 11. ***Nostrarum nunquam.***] id est, nulla ex nobis. Vs. 15. ***Honesta facie.***] Elegans Chaereae descriptio ab ignota. Vs. 21. ***Hic est vetus.***] Eunuchi deformis descriptio. Vs. 29. ***Monstrum hominis.***] Obliquae interrogationes, quibus testimonia derivare nititur. Vs. 33. ***Is dedit.***] Eunuchus rem aperit. Vs. 39. ***Dic dum hoc.***] Sic interrogat, ut ea negari vellet. Vs. 41. ***Iuppiter magne.***] Exclamatio bifariam accipienda. Vs. 45. ***Vidistin' fratrem?***] Amplificatio et dilatatio quaestionis. Vs. 47. ***Hoi hei*** [47]).] Deploratio. Vs. 54. ***Quod scis.***] Sanum consilium. Vs. 56. ***Sed videon'.***] Oeconomia ad futurum fabulae exitum.

Actus IV. Scena V. Argum.

A coena militis vino semigravis egreditur Chremes adolescens, in cuius persona Terentius exprimit egregie temulentorum consuetudinem, qui priorum memores, in praesentibus titubant.

---

43) Hoc schol. invenitur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest. Locus laudatus est Hom. Od. XVI, 11.

44) Virg. Aen. XII, 553.

45) Hoc schol. legitur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desideratur.

46) Vel duplex — ἀντίπτωσις.] sic Ed. 1546.; Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. Autiptosis.

47) *Hoi hei*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *eoi ei*.

Vs. 1. *Atat.*] Interiectio est paulatim percepti mali. Vs. 3. *Neque pes.*] Temulenti conditio. Vs. 5. *Quam dudum.*] id est, paulo ante. Vs. 8. *Iam dudum aetatem.*] id est, longo tempore. Vs. 9. *Nihil.*] Simplex Chremes omnino inducitur.

Actus IV. Scena VI. Argum.

Colloquuntur [48]) Thais et Chremes, contra militem se muniunt, quem venturum putant, ut virginem eripiat. Timidior hîc Chremes inducitur, quam Thais.

Vs. 1. *Sive veniat.*] παρασκευὴ eius motus, quem miles excitabit oppugnaturus aedes. Vs. 7. *Ad me?*] Ut rusticus pudens et timidus turbatus est his verbis. Vs. 11. *Dono do.*] Beneficium exhibet, non pretium poscit [49]). Vs. 13. *Cave.*] Ad bellum futurum animat. Vs. 15. *Monimentis.*] Monimenta sunt, quae inepti instrumenta vocant. Cum monumentis ergo dicit σὺν γνωρίσμασι, de quibus nosci virgo posset [50]). Vs. 16. *In risco.*] ῥίσκον verbum esse a posterioribus usurpatum ait Pollux. Vs. 18. *Formidolosus.*] Timoris indicium. *Apagesis.*] Verbum comicum, sive adverbium Graecum, id est, recede. Vs. 22. *Minus potens.*] Facilem victoriam proponit. Vs. 25. *Ego dum hinc* [51]).] Fugiendi occasionem quaerit. Vs. 28. *Sororem.*] Ab iusto et possibili. Vs. 30. *Si vim.*] Nam violento civiliter resisti solet.

Actus IV. Scena VII. Argum.

Inepti militis vanitatem optime hic exprimit Terentius, cum furenti similis ad amicam, tanquam ad hostilem pergit exercitum.

Vs. 1. *Hancine ego.*] Epitasis prioris partis in fabula. Est autem perridicula, Thrasone digna. Vs. 3. *Probe.*] Gnatho ad omnia assentatur. Vs. 4. *Male mulcabo.*] Plautus Milite: Ni usque ad mortem male multassitis [52]).

48) Colloquuntur] Ed. 1546. Colloquitur.

49) non pretium poscit] sic Ed. 1546.; Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. non pretio secum agit.

50) Cum — posset.] haec verba et subsequens schol. in Ed. 1546. leguntur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desunt.

51) *Ego dum hinc*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *dum ego hinc*.

52) Hoc schol. in Ed. 1546. exstat; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desideratur.

Vs. 9. *Vulnera.*] Ridendo haec Sanga dixit. Vs. 12. *Illuc est sapere.*] Acerbe militem irridet [53]). Vs. 17. *Caederes.*] Timorem militis notat. Vs. 21. *Quanti est sapere.*] Imprudens assentatio. Vs. 23. *Dixtin' mihi.*] Per contemptum sic respondet. Vs. 26. *Libuit.*] Superbum et meretricium verbum. Vs. 28. *Quid tu tibi vis.*] Haec pronomina multum significantiae habent. Vs. 30. *Scin tu.*] Vehemens meticulosi comminatio. Vs. 33. *Diminuam.*] Convicium in impudentes. Vs. 37. *Ad Sophronam.*] Lenius hoc dicit, ne miles audiat. Vs. 39. *Furti se.*] μεταληπτικῶς furtum pro omni fraude et dolo accipitur. Et Cicero simili figura usus in oratione pro Flacco: Metuit homo doctus et sapiens, ne L. Flaccus nunc se scelere alliget [54]). Vs. 41. *Quid nunc agimus?*] Vide, vani impetus quem exitum sumant. Vs. 43. *Nolunt ubi velis.*] Mulierum conditio.

Actus V. Scena I. Argum.

Ex Pythia ancilla Thais a Chaerea vitiatam cognoscit Pamphilam.

Vs. 1. *Pergin'.*] Epitasis posterioris partis in fabula deprehenso Chaerea. Vs. 9. *Venefica.*] Convicium comicum in ancillas. Vs. 10. *Obsecro.*] Dolentis est, non negantis. Vs. 19. *Habemus hominem.*] Blande et puellariter.

Actus V. Scena II. Argum.

Thais cum Chaerea contendit ob vitiatam Pamphilam, deinde condonat noxam petenti uxorem, quam vitiaverat.

Vs. 1. *Apud Antiphonem.*] Hic causam reddit Chaerea, cur non mutaverit vestem. Vs. 10. *Ah quid* [55]) *faciam?*] Primus metus adimit consilium, recogitatio vero reddit confidentiam. Vs. 17. *Paululum quiddam* [56]).] Opportune stomachatur, quia non fugit. Vs. 25. *Missa haec.*] Artificiosa meretricis accusatio. Vs. 28. *Neque aedepol.*] Aperit viam futuris nuptiis; nam recedit a iocularibus ad seria. Vs. 36. *Conflata est.*] Placatur Thais, estque παρασκευὴ catastrophes. Vs. 47. *Ego me tuae.*] Commendo

53) Hoc schol. in Ed. 1546. invenitur.

54) Et Cicero — alliget.] haec in Ed. 1546. leguntur.

55) *Ah quid*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Quid*.

56) *Paululum quiddam*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *paulum quid*.

me notis, committo ignotis. Vs. 50. *Si puer.*] Eclipsis aut aposiopesis secunda. Vs. 57. *Percupio.*] Amatorie dictum. Vs. 59. *Meae fidei.*] Puellariter. Vs. 68. *Quamobrem.*] Interrogatio increpatoria.

Actus V. Scena III. Argum.

Pythias secum cogitat, quo dolo Parmenonem ulcisci possit.

Vs. 1. *Quicquid venire.*] Ut prolixior esset risus, spargitur catastrophe in alias personas, et terretur servulus Parmeno. Vs. 6. *Ac memoriter.*] Memoriter, plus intulit, quam rogabatur. *Virum bonum.*] εἰρωνικῶς. Vs. 11. *Excruciem modo.*] Vindictam expetit. Vs. 13. *Perterrebo.*] Minae femineae.

Actus V. Scena IV. Argum.

Gloriatur Parmeno, quod Chaeream pro Eunucho ad Thaidem deduxerit: meretricum sordes commemorat, quam rem iniquo fert animo Pythias.

Vs. 12. *Videtur mundius.*] Meretricum mores.. Vs. 19. *Ego pol te.*] Miro poetae artificio Pythias nondum placatur.

Actus V. Scena V. 57) Argum.

Parmenonem terret Pythias, confingens intus, colligatum a Chremete Chaeream, propter oblatum Pamphilae vitium.

Scenae IV. vs. 21. *Prô fidem Deum.*] Singula pavido et attonito vultu proferenda. Vs. 24. *Futura exempla.*] Graves poenae exempla dicuntur. Vs. 27. *Perdidisti istum.*] Hoc totum terribiliter, et cum gestu femineo. Vs. 30. *Civem esse?*] Auxesis est, virginem, civem, nobilem. Vs. 31. *Miser.*] Hoc Parmenoni horrorem incutit. Vs. 33. *Conligavit.*] Repetitio verbi prae timore et ira. Vs. 35. *Quod moechis.*] Amputare scilicet virilia. Vs. 39. *Nescio.*] Astute dicitur. Vs. 42. *Atque adeo.*] Ornata et familiaris locutio. Vs. 46. *Dicam huic.*] Hoc fit, ut nuptiae conficiantur sene interveniente. Vs. 47. *Sapis.*] Ironice, irrisorie.

57) Scena V. in illis Editt. incipit a verbis: *Pro fidem Deum*, et finitur verbis: *ut factum siet.* In Ed. Vollb. tota haec Scena cum Scena IV. in unam est coniuncta, tanquam Scenae IV. vss. 21—48. Hanc ob rem Scenae VI—IX. illarum Editt. in Ed. Vollb. inscriptae sunt Scenae V—VIII.

Actus V. Scena VI. Argum.

A villa otioso et quieto redit ad urbem animo hic senex; neque enim mores suorum clamitat, neque mali quidpiam suspicatur, sed rusculo suo gratias agit, cuius beneficio ignorat, quid in urbe agant filii: quorum amores et facta nunc demum cognoscit ex Parmenone.

Vs. 1. *Ex meo propinquo.*] Energia senilis eloquii. Vs. 4. *Noster Parmeno.*] Parmeno esse temere prodit. Vs. 10. *Culpa non factum.*] Expurgatio criminis tanquam obiiciatur. Vs. 15. *Actum est.*] Desperantis verbum. Vs. 17. *Aliud ex alio malum.*] Proverbium. Vs. 19. *Ego te furcifer.*] Pulchra aposiopesis, scilicet ulciscar. Vs. 22. *Pro Eunucho.*] Admirative.

Actus V. Scena VII. Argum.

Pythias egrediens irridet Parmenonem plus satis credulum, simul populum docet, quid intus egerit senex.

Vs. 1. *Nunquam aedepol.*] Hic persona cachinnans inducitur, quaerens Parmenonem, cuius adspectu ob nimium risum vix loqui potest. Vs. 7. *Defessa iam.*] Haec verba pronuntianda sunt risu interrumpente. Vs. 11. *Illicone credere.*] Obiurgatio de levitate credendi. Vs. 17. *Lepidum scelus.*] Irrisionem intelligit. Vs. 19. *Sed in diem.*] Plautus Milite: Atque hoc in diem extollam malum. Cicero pro Coelio: Pro Di immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis aut connivetis aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis? 58)

Actus V. Scena VIII. Argum.

Statuit hîc miles ultro se dedere Thaidi Herculis exemplo, qui Omphalae servivit in lanificio, pro clava et leonis tegmine acceptis ab ea calatho et colo.

Vs. 1. *Quid nunc.*] Catastrophen orditur de milite. Attende Gnathonem semper invitum a mensa trahi.

Actus V. Scena IX. Argum.

Qui alias gaudebat a se vitiatam puellam Chaerea, eandem quod permissu sit parentis habiturus uxorem, nunc exultat. Et in partem amoris recipitur a Thaide miles Thraso.

58) Hoc schol. in Ed. 1546. invenitur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

Vs. 1. *O populares.*] Populares, qui estis de populo, vel quibus populus favet [59]). Vs. 3. *Omnem ostendere.*] Mira auxesis. Vs. 6. *Meam.*] Amatorie dixit. *Sponsam.*] Participium hic est. Vs. 13. *Numquid Gnatho.*] διαπόρησις oratoria, id est, interrogatio sub dubitatione, familiaris laudantibus. Vs. 19. *Obsecro.*] Obsecratio contra fortunae varietatem. Vs. 21. *Nihil est Thaide.*] Laus Thaidis a Chaerea. Vs. 26. *Difficile.*] Insuavissimus amor est, quo frui non licet. Vs. 28. *Domus.*] Donum parasito dignum. Vs. 32. *Cur te ego.*] Superbe ac minaciter pronuntianda. Vs. 36. *Dictum est.*] Insimulatio. Vs. 40. *Huius quicquid facio* [60]).] Insinuandi praecepta servat. Vs. 46. *Ut tuo amori.*] Persuasiones variae ab utili. Vs. 48. *Principio.*] Fatui verbis et dictis, insulsi corde et animo, tardi corpore et mente. Vs. 52. *Accipit hominem* [61]).] id est, pascit, tractat, invitat. Vs. 55. *Saxum volvo.*] Proverbium. Vs. 56. *At ego.*] Ostendit fidem amicitiae parasiticae. Vs. 59. *Ignorabant.*] Ironia. Vs. 62. *Fui usquam.*] Iactantia militis. Vs. 63. *Eloquentiam* [62]).] Assentatio Gnathonica.

59) vel quibus populus favet.] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. eorum loco habet haec: id est, δημόται.

60) *facio*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *faciam*.

61) *hominem*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *homo*.

62) *Eloquentiam*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *elegantiam*.

3. In Heautontimorumenon Terentii.

Argumentum [1]).

Tanta huius fabulae elegantia est, ut plerique a Laelio, quo illis temporibus nemo fuit eloquentior, scriptam existimarint, et poeta ipse testatur in hac puram esse orationem, qua laude nulla potest amplior excogitari. Quid est enim admirabilius quam sermo elegans et venustus? Neque praedicaturus hoc palam fuerat comicus, nisi novam, insignem, et paene divinam sermonis elegantiam esse iudicasset.

Depingit autem parentum vitia. Nam Menedemus liberaliter amantem Cliniam iusto inclementius tractat adolescentem modestum et frugi. Quem postquam domo eiecit, victum iurgiis et contumeliis, multo impotentius desiderat. Adeo multifariam hic peccat.

Huic seni opponit Chremetem monitorem, sed quem postea videas multo plura quam Menedemum peccare. Primum is nunquam olfecit perdite amare filium, et compilari se a scorto sumptuoso. Post ubi resciscit, multo fert impotentius id mali, quam illa solebat Menedemus, ut agnoscas [2]) fere ita accidere, ut foris, non domi sapiamus [3]).

1) Hoc argumentum legitur in Editt. 1528—1623. et s. a.

2) agnoscas] sic Editt. 1534., 1539., 1540. A. B., 1543., 1546., 1548., 1550. B. V., 1551., 1553., 1560., 1592. L.; Editt. 1528., 1533. cognoscas.

3) multo fert impotentius — sapiamus.] horum loco in Editt. 1542. L. M., 1545., 1575., 1588., 1592. F., 1602., 1614., 1623., s. a. leguntur haecce: irascitur ipse suo filio, eumque graviter obiurgat, etsi postremo placatur ab amico.

Epitasis.

Porro, quia fingebat poeta, velut oculis captum Chremetem, qui insignia filii vitia non cernat, adducit patri ob oculos filii amicam, idque hic periculi est, ne resciscat Chremes, Bacchidem filii amicam esse. Huc omnia consilia, omnes dolos servuli referemus. Et a Chremete prius argentum emungitur Bacchidi numerandum, quam comperit filii rem agi. Fallitur autem, cum fingitur Bacchis esse Cliniae.

In prima fabulae parte, ubi Menedemum confirmat Chremes, oratio est deliberativi seu suasorii generis, quae hic consolatur, erigit, monet animi aegrum vicinum.

In reliqua fabulae parte, quae periculum continet, res omnis translatione rhetorica agitur, quia, quae ad Chremetis filium pertinent, omnia imputantur Menedemi gnato.

In primis admirabilis est hic servulus, cuius callidissimis consiliis neutiquam respondent eventus. Nec vulgariter de suo consilio sibi ipse placet, cum ait: Hic me magnifice effero, etc. Est ea mirifica omnino imago humanorum et consiliorum et eventuum. Fallunt enim fere astutissima consilia mortales, sicut Ciceronem fefellit eventus belli adversus Antonium suscepti. Extant exempla in historiis innumerabilia.

Status Heautontimorumenon Terentii [4]).

Voluit prudentissimus poeta indicare, ut praestet erudiri adolescentes, et in officio retineri benevolentia potius et facilitate quadam, quam vi et importunitate. Non enim illico nascuntur senes, nec fert iuvenilis aetas, ut senum statim sint similes. Ista tamen facilitas ita se habeat, ne in licentiam nimiam et impunitatem vergat. Nam licentia omnes fimus deteriores. Oportet autem arte quadam et industria coherceri effrenes iuvenum animos, alioqui fit, ut illi, qui conviciis et nimia morositate lacessiti ac victi iugum excutiant, et monitorem nimis acerbum aspernentur. Solet enim alioqui iuventus esse monitoribus aspera, ut ille dixit, quae res postea ipsis etiam patribus dolori est, dum aegre possint carere. Illi vero, qui nimia indulgentia diffluunt, quia ex parentum vitio id accidit, merito patres emungunt argento, suntque patribus dedecori, ut sic postea accepto malo vel coacti patres discant impetum et libidinem iuvenilem refrenare et arte quadam cohercere. Huius exemplum praebebit nobis in hac fabula Chremes senex et Clitipho adolescens. Illius vero exemplum praebebit Menedemus senex. Proinde multum refert, ut habeatur aetatis ratio, ne statim plenam operam exigamus, sed sinamus aliquando explere iuvenes suos animos, dum aetas fert, sicut supra in Andria prudentissime iudicat Simo pater. Atque hoc est etiam, quod Philippus infra in Hecyra dicit: Id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiae. Nam id omnibus innatum est; at pol iam aderit, se quoque cum oderit, Atque hîc vides, quam egregie observarit prudentissimus poeta Terentius τὸ πρέπον personarum. Quomodo enim aliter potuisset describere Menedemum senem morosum, difficilem et nimis durum, qui non potest iuvenem filium suum frugi alioqui et modestum ferre, sed statim vult sui similem esse. Hoc est, quod Horatius dicit de sene: Difficilis, querulus, laudator temporis acti etc. [5]). Est omnino fere idem scopus et consilium huius fabulae et sequentis, ἀδελφῶν scilicet. Nam utraque habet parentum vitia.

4) Hoc alterum eiusdem auctoris argumentum sic inscriptum invenitur in sola Riccii collectione Tom. II.

5) Horat. Ars poet. 173.

Περὶ τοῦ ὀνόματος ταύτης κωμῳδίας.

Quia ex Graeco poeta versa est haec comoedia, Graecum quoque nomen obtinuit. Est autem inditum nomen fabulae ἑαυτοντιμορούμενος, ab ἑαυτὸν semet, et τιμορέομαι excrucio, quasi dicat: se ipsum excrucians. Fingitur autem Menedemus senex adolescentem Cliniam filium suum inclementius iusto tractasse, victumque iurgiis et contumeliis domo eiecisse, et postea impotentissime ferre absentiam filii, adeo ut non lux, non cibus illi suavis esset. Abierat autem adolescens militatum ad regem. M. Cicero lib. II. Offic. [6]): Rerum omnium nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi, nec alienius, quam timeri. Praeclare Ennius: Quem metuunt, oderunt. Quem quisque odit, periisse expetit. Malus est enim custos diuturnitatis metus, contraque benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem. Vide ut infra in Adelphis eadem iisdem etiam fere verbis dixerit Terentius. Errat longe mea quidem sententia, qui imperium credat gravius esse, aut stabilius vi, quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.

Prologus in Heautontimorumenon [7]).

Dii, quotquot estis spectatores, vos ament
Et dent, quae vultis, quaeque velle vos decet.
Conductum venio aures vestras, linguam et oculos,
Aures oculique ut pateant, ut lingua taceat,
Qui immites sunt et asperi et intractabiles
Hoc fructus capiunt, nemo ipsis oneri ut siet.
Nam quos admittunt, reiiciunt, si non placent,
Qui commodi sunt, plus habent molestiae.
Nam omnes admittunt, neminemque reiiciunt.
Ita abutimur nunc vestra benevolentia,
Quia nuper pulchre iuvit nos [8]) vester favor,
Quando optimam spectastis agentes fabulam,
Sic ut animus tum accesserit impudentiae.
Sed inepti, vendicamus qui hoc nobis, sumus.
Nam haud actioni, sed poetae est hoc datum,

6) Cic. de Offic. II, 7, 23. — Riccii collect. male: Lib. I. Offic.

7) Hic prologus inscriptus: „Prologus in Heautontimorumenon, authore Philip. Melanth.", qui maiori ex parte cum prologo in Andriam ad verbum fere congruit, in Riccii collectione Tom. II. exhibetur.

8) nos] sic Riccianae collectionis Ed. 1596.; Ed. 1567. male: vos.

Qui sic vincit cunctos, ut habeat neminem
Secundum, tanto is comicus est prae caeteris,
Ne quicquam ego istum nunc moror Volcatium,
Quisquis is est, qui longe post alios hunc locat,
Ut vix in sexto faciat reliquos consequi.
Liceat ab hoc dissentire, et primas dare huic,
Per quem decus retinet aliquod proscenium.
Si tamen etiam meretur, ut ego existimo,
Et vos sentitis, et testes estis mihi,
Praesentia qui vestra ornatis tam malos
Actores tam frequente, tum quoque fabulas
Huius, pueris proponitis atque sedulo
Inculcatis vestris, perlepidas et bonas,
Unde pericli nihil instat sanctimoniae,
Nec sunt bonos qui mores corrumpant sales,
Nec est delectu velut in Plautinis opus.
Hic omnes castae sunt, omnes sunt utiles.
Sermo venustus, elegans, purus, gravis.
Ut puerûm pabula decet esse primulum,
Quibus mentes alantur ab incunabulis,
Honestatem ut prae cunctis penitius imbibant,
Mundeque vivant, et loquantur splendide
Utriusque ex isthoc naturam sibi facient.
Proinde vos, quod ultro coepistis, date
Operam, vestra benevolentia nos ut excitet,
Iuventutemque totam litterariam.
Nunc quam afferamus fabulam cognoscite,
Antiquo nomine *ἑαυτοντιμωρούμενον*
Poeta vocat, vultis, Latine dixero,
Sibi ipsi poenas dantem liceat dicere.
Nam se propter fugatum filium senex
Cura et dolore animi excruciat, miser, suum.
Sed ipsum melius hoc narrantem [9]) audieritis.
Heus tu quoque coronate, qui vocem expedis,
Prodi, et vetus argumentum nobis expedi.
Date operam, ut cognoscatis hanc statariam,
Sic vos Dii multis augeant honoribus,
Et perpetuis felices condecorent bonis.

Scholia et Argumenta in prologum singulasque scenas.

Prologus.

Vs. 2. *Poeta*] Captatio benevolentiae a persona poetae. Vs. 4. *Ex integra.*] Propositio prima. Vs. 10. *Nunc quamobrem.*] Propositio secunda. Vs. 15. *Qui orationem.*] Commendatio a persona actoris et poetae. Vs. 17. *Contaminasse.*] Defensio. Vs. 19. *Id* [10]) *pigere.*] Quod aemuli vitio dant, id laudis sibi ducit. Vs. 24. *Ingenio.*] Ab honesto et iusto. Vs. 30. *Dictum existimet.*] Vitium L. Lavinii. Vs. 34. *Alias novas.*] Hactenus pro poeta dixit. Vs. 35. *Adeste.*] Rogat, ut senem placide audiant. Vs. 37. *Servos currens.*] Variae comoediarum personae. Vs. 41. *Mea causa.*] Paronomasia, capit benevolentiam a commendatione stili. Vs. 46*. *Ingenium quid.* [11])] Commendatio a persona propria. Vs. 49. *Commodis.*] Plus est, quam si dixisset: voluptatibus.

Actus I. Scena I. Argum.

Menedemum excruciantem sese in agro laboribus Chremes alloquitur, sedulo causam inquirens, cur praeter aetatem ille suam id faciat. Respondens Menedemus, sui moeroris causam dicit esse filii abitionem, quem iurgiis et contumeliis domo eiectum, impotentius desiderat.

Vs. 1. *Quamquam haec.*] Captatio benevolentiae ab amicitia et ex vicinitate. Vs. 5. *Propinqua.* [12])] Haec amborum senum coniunctio et familiaritas, multum accommodata sequentibus rebus censetur. Vs. 9. *Nam pro Deum.*] Propositio, qua interrogat et obiurgat. Vs. 15. *Egredior.*] Senis nimia inquietudo. Vs. 20. *At enim dices.* [13])] Obiectio tacita, perpolita locutio. Vs. 24. *Aliena ut cures.*] Dictum in curiosos rerum alienarum. Vs. 27. *Rectum est?*] id est, officiosum est. Vs. 30. *Nollem.*] Scilicet me cruciare laborando. Vs. 34. *Aut consolando.*] His tribus rebus adhibitis, nihil praeterea in amicitia requirendum. Vs. 41. *Filium unicum.*] Narrationem a personis orditur. Vs. 50. *Accusabam.*] Accusationem suam refert. Vs. 57. *Nimio otio.*] Amor ex otio provenit. Vs. 58. *Istuc aetatis.*] Consilium. Vs. 64. *Plus scire.*] Cum pondere pronuntianda oratio tota pathetica. Vs. 72. *Accurrunt servi.*] Attende diligentem familiam. Vs. 74. *Apparare.*] Est ad pompam

9) narrantem] sic scripsi; Ricc. collect. Editt. 1567., 1596. narrante.

10) Id] haec vox, quae in illis Editt. h. l. legitur, in Ed. Vollb. deest.

11) In illis Editt. versum 46. *In hac est pura oratio, experimini* subsequitur hic in Ed. Vollb. omissus: *In utramque partem, ingenium quid possit meum.* Ad hunc vs., quem numero 46* signavi, hoc scholion pertinet.

12) *in propinqua parte*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *in aliqua parte.*

13) *dices*] sic illae Editt.; in Ed. Vollb. deest.

parare. [14])] Vs. 76. *Coepi.*] Pathos. Vs. 82. *Iniustitia.*] Iniustitiam suam culpat. Vs. 92. *Produxi.*] Producere, foras ducere significat, et productores, qui virgines ad quaestum exponunt. Vs. 99. *Liberos.*] De unico filio dixit. Vs. 100. *Si quis recte.*] Consilium Chremetis. Vs. 106. *Fateor.*] Confessio. Vs. 110. *Dionysia.*] id est, orgia seu Bacchanalia, quae tertio quoque anno celebrantur. Haec Calpurnius. Sed de his nunc mentio non fit. Erant enim annua Dionysia, festa Liberi Athenis, quibus ludi scenici fiebant. Ἠγωνίζοντο γὰρ τέταρσι δράμασι Διονυσίοις, ληναίοις, χύτροις, παναθηναίοις μικροῖς [15]).

Actus I. Scena II. Argum.

Clinia domum ex Asia reversus, mirum in modum sollicitus est de amica, quam abiens Athenis reliquerat. De Cliniae in patriam reditu magna cum animi voluptate, Clitipho nuntiat patri suo Chremeti. Chremes filio ex Cliniae vita et moribus vivendi modum praescribit.

Vs. 1. *Nihil adhuc.*] Persequitur fabulam Cliniae, ut palam fiat, quam modeste amarit. Vs. 8. *Apud nos.*] id est, domi nostrae. Vs. 12. *Nec opinanti.*] Nam insperatum gaudium maius esse solet. Vs. 15. *Timet.*] Clinia omnia timet. Vs. 18. *Miserum?*] Eclipsis. Vs. 20. *Parentes.*] Miser non est, cui haec non suppetunt. Vs. 21. *Illius animus.*] Externorum bonorum fructus ab animo pendet. Vs. 25. *Sed reprimam.*] Haec tacite secum. Vs. 26. *Quid tu* [16]) *tecum?*] Eclipsis. Vs. 27. *Fortasse aliquanto.* [17])] Callida, et solers senis inventio. Vs. 38. *Ut tempus.*] *Ut* pro *quamdiu.*

Actus II. Scena I. Argum.

Clitipho adolescens solus loquens de patre queritur, ut mos est iuvenum paterna monita moleste ferentium.

Vs. 1. *Quam iniqui.*] Querimonia Clitiphonis adversus patres. Vs. 6. *Ignoscendi.*] Nam qui aliàs delinquit, delinquentibus facile parcet. Vs. 10. *Astutus.*] Petulans filius patris praecepta contemnit. Vs. 14. *Pudice eductam.*] Depingit Bacchidem conferendo cum Antiphila.

Actus II. Scena II. Argum.

Clinia cessatione et mora Antiphilae amicae nimium torquetur; solet enim amantis animus omnis morae, quantumvis brevis, impatientior esse.

Vs. 1. *Si mihi secundae.*] De suis amoribus ipse Clinia loquitur. Vs. 2. *Sed vereor.*] Variae corruptionis suspicationes. Vs. 4. *Locus occasio* [18]).] Pathos anxie expectantis, et omnia sollicite metuentis et suspicantis. Vs. 7. *Animus praesagit.*] Euripides Andromacha: *αἰ, αἰ·* πρόμαντις θυμὸς, ὥς τι προσδοκῶν [19]).

Actus II. Scena III. Argum.

Clinia ex Syro intelligit se absente pudice admodum vixisse Antiphilam, qua ex re ingenti gaudio perfunditur. Bacchis, Clitiphonis amica, ad coenam adducitur, quae tamen interim fingitur esse amica Cliniae.

Vs. 1. *Ain' tu.*] Ut et Cliniae et Antiphilae modestia clarius innotesceret, fingit poeta primum aegre ferentem Cliniam et succensentem Antiphilae, sic enim putabat, luxui. Vs. 15. *O Iuppiter.*] Cliniae exclamatio ad amicam. Vs. 19. *Cuius nunc pudet.*] Stomachose harum, de una tantum, atque ea praesente. Vs. 23. *Videlicet.*] et *scilicet,* amaritudinem habent. Vs. 30. *Alterae.*] Pro *alteri.* Vs. 33. *Iam primum.*] Sic incipit multa pudicitiae signa narraturus. Vs. 37. *Ad lanam redit.*] Vehemens pudicitiae coniectura. Vs. 44. *Texentem telam.*] Cultus et victus familiaris vitam indicant. Vs. 50. *Pax.*] Admirantis. Vs. 54. *Immunda illuvie.*] Sordities pudicitiae signum. Vs. 57. *Dominam esse extra noxiam.*] Donatus in Eunucho, unam hanc noxiam mitte, sic ait: Trisyllabo nomine noxiam, quasi noxam; alibi aliter, Dominam esse extra noxam. Quae si vera sunt, legendum nimirum propter numeros, noxam iam, ut iam *διαιρέσει,* quemadmodum apud Plautum saepe, duas habeat syllabas. [20]) Vs. 61. *Falsam gratiam.*]

14) parare] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. redire.

15) Haec — μικροῖς.] haec in Ed. 1546. exhibentur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desunt.

16) *tu*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *tute.*

17) *aliquanto*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *aliquantum.*

18) *Locus, occasio*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Occasio, locus.*

19) Hoc schol. exstat in Ed. 1546.; in Ed. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desideratur. Verba haec Euripidis leguntur in Androm. vs. 1073. Ed. Barnes.

20) Hoc schol. in Ed. 1546. exhibetur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

Praeceptum amatorium. Vs. 65. *Lacrumis.*] Ex nimio gaudio lachrymatur. Vs. 67. *Prae gaudio.*] Gaudii vehementia. Vs. 76. *Quid enim?*] Oratio imperfecta ob Clitiphonis interruptionem. Vs. 81. *Vis amare.*] Exponit consilium suum, estque haec huius fabulae protasis. Vs. 90. *Siquidem hoc fit.*] Repetitio cum stomacho. Vs. 96. *Accipere.*] Pro subire. Vs. 98. *Huiusmodi obsecro.*] Stultus amator irridenti credit. Vs. 104. *Datur modo* [21]).] Sententia amoris Aristippica. Vs. 107. *Verum hercle.*] Aestuat magis ob Syri discessum. Vs. 110. *Famam permitto.*] Attende amantis vecordiam, qui famam servo committit. Vs. 115. *Huic homini*] δεικτικῶς, id est, τῆςδέ γε ζώσης ἔτι [22]). Vs. 128. *Sed heus tu.*] Adhortatio. Perspicaciam Chremetis, ac incontinentiam Clitiphonis notat. Vs. 136. *At nunc interim.*] Aposiopesis. Vs. 139. *Felicem.*] Quia cum amica manebit.

Actus II. Scena III. Argum.

Meretricia conditio per eam exprimitur, quae meretrix est. Habet deinde haec scena iucundum Cliniae et Antiphilae congressum.

Vs. 1. *Aedepol te.*] Spargit in personas descriptionem morum Bacchidis et Antiphilae, ut appareat honeste amasse Cliniam. Vs. 9. *Amatores colunt.*] Amatores formae. Vs. 12. *Vobis cum uno.*] Laus a pudicitia. Vs. 14. *Hoc beneficio.*] Commendatio a fide in virum. Vs. 16. *Nescio alias.*] Mire opportunum ἦθος: *Nescio alias.* Vs. 20. *Tui carendum.*] Pro *te carendum.* Vs. 22. *Imo ut patrem.*] Eclipsis. Vs. 24. *Disperii.*] Prae nimio gaudio consternatur. Vs. 25. *An non.*] Patheticae et amatoriae loquutiones.

Actus III. Scena I. Argum.

Chremes Menedemo nuntiat, ex Asia rediisse filium, ex qua re Menedemus incredibili gaudio perfunditur, et filio posthac indulgere magis instituit, quod ei magnopere dissuadet Chremes.

Vs. 1. *Lucescit*] Plautus Milite: Lucet hoc inquam [23]). Vs. 4. *Miserum.*] Verus amicus tam dolore quam gaudio afficitur. Vs. 10. *Senes est aequum.*] Nam pares cum paribus facile congruunt. Vs. 13. *Diem adimere.*] Vulgatum dictum. Cicero Tuscul. III.: Est enim tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas et dies. Gnomologi adducunt ex Iphiclo nescio quo, hunc versum:

Λύπης δὲ πάσης γίγνετ' ἰατρὸς χρόνος.

Medicus molestiae universae tempus est [24]).

Vs. 21. *Ubinam est quaeso?*] Suspicio ex mira sollicitudine. Vs. 22. *Meus gnatus?*] Prae gaudio idem crebro repetit. Vs. 28. *Quia pessume.*] Menedemi consilium arguit. Vs. 30. *Non possum.*] Consultatio senum, in qua videas, quantum fallatur Chremes; estque haec parasceue turbarum, quae sequuntur. Vs. 40. *Nam, ut tu scias.*] Carpit nimiam largitatem senis. Vs. 48. *Pitissando.*] Pitissare est parce vinum tentandi gratia degustare. Vs. 51. *Serias.*] id est, vasa fictilia. Vs. 56. *Sumat.*] Auxesis, summa patris indulgentia. Vs. 60. *Quidvis potius.*] Sanum Chremetis consilium. Vs. 62. *Technis per servulum.*] Servi fraudem commentantur. Vs. 78. *Dare denegabis.* [25])] Obiectio. Vs. 81. *Videre verum.*] Approbatio consilii. Vs. 84. *Cedo dextram.*] Mos orantium et confirmantium. Vs. 87. *Cupio illi dare.*] Affectus paternus. Vs. 88. *Operam dabo.*] Argumentum prudentiae Chremetis. Vs. 99. *Dissolvi me.*] Verba redeuntis Chremetis.

Actus III. Scena II. Argum.

Servus herum Chremetem decipit, credentem Menedemo fallaciam intendi: et ita sua ipsius coniectura et solertia fallitur.

Vs. 1. *Hac illac.*] Syrus haec secum. Vs. 3. *Num me fefellit.*] Falsa Chremetis coniectura. Vs. 7. *Recte, equidem.*] Syrus callide a proposito divertit [26]). Vs. 10. *Aquilae senectus.*] Proverbium, in senes bibaculos. Vs. 15. *Quendam avidum.*] Occasio fallendi senis. Vs. 18. *Quid ego nesciam?* [27])] ἀμφιβολογικῶς. Vs. 19. *Istum servulum.*] Institutio fallaciae a sene in senem,

---

21) *Datur modo.*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Di dant.*

22) Hoc schol. in Ed. 1546. invenitur. Verba laudata sunt Sophoclis Trach. 304.

23) Hoc schol. habet Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

24) Cicero — tempus est.] haec in Ed. 1546. praecedentibus addita sunt.

25) *denegabis*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *denegaris.*

26) divertit.] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. discedit.

27) *nesciam?*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *ni sciam?*

imo in se ipsum. Vs. 32. *At*[28]) *nunc.*] Denuo Syrum instigat. Vs. 34. *Fabricam fingit.*] Translatio a machinis bellicis. Vs. 38. *Tanto hercle melior.*] Calliditatem servi laudat. Vs. 39. *At heus tu.*] Praemonitio de filii amore. Vs. 43. *Neque eo nunc dico.*] Tollit obiurgandi occasionem.

Actus III. Scena III. Argum.

Chremes filium obiurgat et immodestiae arguit, quem cum Bacchide ludentem viderat. Syrus hero id suadet, quod maxime ad extorquendum facit argentum.

Vs. 1. *Quid isthuc.*] Periculum, per quod sensim ad epitasim pervenit. Neque enim subito, sed per gradus quosdam ad talem motum accedendum erat. Vs. 9. *Amantium animos*[29]).] Nam amantibus omnia sunt suspecta. Vs. 16. *Nemo est.*] Ab exemplo paterno. Vs. 17. *Intelligere.*] γνώμη. Vs. 21. *Mihi molestum est.*] *Mihi* emphasim habet. Vs. 26. *Deambulatum?*] Repetitio per indignationem. Vs. 28. *Dii te eradicent.*] Imprecatio in Syrum. Vs. 30. *Censen' vero?*] Recte monet de filio servando. Vs. 33. *Nam mihi iam.*] *Nam*, accusatio amphibologica. Vs. 36. *Frugi es.*] Laudat denno fallacem servum. Vs. 40. *Huic drachmarum.*] Caput fallaciae. Vs. 41. *Adolescentulam.*] Valens causa ad extorquendum argentum. Vs. 47. *Dicam hanc esse.*] Fallaciam aperit. Vs. 52. *Mane mane.*] Parat se ad aliam scenam.

Actus IV. Scena I. Argum.

Haec scena Antiphilae continet agnitionem: unde iurgium inter virum et uxorem oritur; Chremes enim iusserat exponi partum, si puellam peperisset ipsa, quod factum non est.

Vs. 1. *Nisi me animus.*] Haec catastrophe rerum Cliniae est, et occasio epitaseos novae rerum Clitiphonis. Vs. 10. *Hoc te oro.*] Insinuatio a purgatione. Vs. 15. *Sustulisti.*] Tollere, hic est nutrire. Vs. 18. *Si peccavi.*] Excusat imprudentiam. Vs. 19. *Id quidem ego.*] Obiurgatio mordax. Vs. 24. *Sino.*] id est, concedo, id est, quod haec te moverint. Vs. 27. *Veniret.*] Venderetur ad stuprum. Vs. 35. *Mea facilitas.*] Facilitas causa delinquendi. Vs. 37. *Religiosae.*] id est, superstitiosae. Vs. 41. *Hem.*] Stupentis est. Vs. 44. *Exilui.*] Magnae laetitiae indicium est.

Actus IV. Scena II. Argum.

Post agnitam Antiphilam Syro novum quaeritur de invenienda pecunia consilium.

Vs. 1. *Nisi me animus.*] Epitasis; nam subinde alia atque alia consilia fallunt servulum. Et videas Syrum hic tanquam Proteum in omnes formas verti. Vs. 6. *Crucior bolum.*] Metaphora a brutis vescentibus. Vs. 9. *Incipiam nunc?*] Ratiocinatio inquirentis. Vs. 11. *Idem*[30]) *fugitivum.*] Metaphora facta a profugo.

Actus IV. Scena III. Argum.

Clinia hic testatur, quam gaudeat de agnita Antiphila, et a Syro admonetur, ut amici etiam Clitiphonis rem curet in servanda Bacchide.

Vs. 1. *Nulla mihi res.*] Catastrophe in personas spargitur, et subiicitur consultatio, quae ad epitasim alteram facit. Vs. 6. *Qui usque.*] *Usque*, assidue. Vs. 9. *Esse honore.*] Ab honesto et utili. Vs. 14. *Fero hercle.*] Indignanter idem eisdem repetit verbis. Vs. 16. *Hoc non ages.*] Syri consilium. Vs. 23. *Quin nolo.*] Consilium astutum servi, cui tamen non respondebit eventus. Vs. 31. *Palmam do.*] Iactantia Syri de sua astutia. Vs. 35. *At enim spem.*] Clinia veretur, ne perturbentur nuptiae.

Actus IV. Scena IV. Argum.

Bacchis irata ob decem minas nondum traditas abituram se adsimulat. Cum Syro expostulat. Tandem placata suasu eiusdem, cum omni strepitu ac turba transit ad Menedemum tantisper, dum Chremes fallatur.

Vs. 1. *Satis pol proterve.*] Meretricis excandescentis conquestio, de pecunia nondum soluta. Vs. 5. *Cum spe*[31]) *pendebit.*] Mira Bacchidis calliditas. Vs. 9. *Mea Phrygia.*] Memorem inducit meretricem, aptamque ad fallendum. Vs. 15. *Abi*[32]).] Dissimulatio Bacchidis. Vs. 18. *Argentum cudo.*] μεταφορικῶς et iocalariter, ut ser-

---

28) *At*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Et.*

29) *Amantium animos*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *amantis: animum*

30) *Idem*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *illud.*

31) *spe*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *in spe.*

32) *Abi*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *i.*

vum decet. Vs. 21. *Eatur.*] Levitas meretricis facile persuasae.

Actus IV. Scena V. Argum.

Per fallaciam Syrus ab hero Chremete argentum accipit. Menedemi Chremes rursum miseretur ob traductam ad illum cum omni pompa sumptuosam Bacchidem, quum Cliniae, non sui filii amicam putat.

Vs. 1. *Ita me Dii.*] Obiter et Chremes producitur, ut magis appareat, quantum fallatur. Vs. 9. *Adoriri?*] Adoritur, qui insidiose celeriter invadit. Vs. 13. *Bona, hercle.*] Blanda attrectatio. Vs. 18. *Verum dico.*] εἰρωνικῶς verum dicit. Nam per eam veritatem senes falluntur. Vs. 23. *Superest fallaciae.*] Altera fallaciae pars. Vs. 28. *Tardus es.*] Increpat Chremetis tarditatem. Vs. 39. *Eo coepi.*] Ab autoritate Chremetis comis loquutio. Vs. 43. *Dixi de argento.*] Mira arte argento emungit senem. Vs. 45. *Eo nunc confugias.*] Solvit rationes obiiciendas. Vs. 51. *Quin egomet.*] Persuasus Chremes argentum exhibet. Vs. 55. *Conficiam.*] Pro efficiam, verba celeritatem indicantia.

Actus IV. Scena VI. Argum.

Irascitur Clitipho, a Syro placatur, eidem praescribente, quibus uti mox debeat verbis et oratione apud patrem, pro amica ab illo argentum accepturus.

Vs. 6. *Omnes Dii Deaeque.*] Imprecatio nimium inconsiderati amantis. Vs. 11. *Ita meritus.*] Ingens amantis ardor.

Actus IV. Scena VII. Argum.

Chremes argentum adfert, quod det Clitiphoni. Ad postremum queritur de sumptu faciendo filiae causa.

Vs. 2. *Dixi pleraque omnia.*] Audacia et arrogantia servi, herili filio heroque ipsi imperantis. Vs. 7. *Minas quidem.*] Tenax conqueritur de damno per filiam aucto.

Actus IV. Scena VIII. Argum.

Iucundum habet errorem Chremetis, qui Menedemum falli putat, dum ipse fallitur.

Vs. 1. *Multo omnium.*] Sensim pergit eo, ut palam fiat errasse Chremetem, ut in epitasi fabulae omnia servulum consilia fallant. Vs. 7. *Quaeso.*] Obiurgatorium est. Vs. 12. *Omnia.*] Credit se intelligere fallaciam. Vs. 15. *Id est profecto*] Cicero pro Quintio: Id erat profecto, credamus hoc [33]). Vs. 20. *Menedeme indulges.*] Corrigit patrem de nimia indulgentia. *Me facturum.*] Hoc mirifice placebit Cliniae.

Actus V. Scena I. Argum.

Ad exitum iam properante comoedia, Syri fallacia detegitur, ut Cliniae nubat Antiphila. Bacchidem Clitiphonis esse amicam Menedemus ostendit.

Vs. 1. *Ego me non tam.*] Facetum exordium stultitiam Chremetis declaraturum. Vs. 4. *Dicta* [34]) *in stultum.*] Convicia in stultum. Vs. 8. *Dictum est centies.*] Ingenium Sostratae stupidum notat. Vs. 10. *Advenis?*] Gaudium de adventu senis. Vs. 13. *Ha ha hae.*] Interiectio profusi cachinni. Vs. 14. *Fingit scelus.*] Metaphora a figulis. Vs. 16. *Veterator.*] Qui vetus est in astutia. Vs. 24. *Qui alia tam plane.*] Faceta in deceptum ironia. Vs. 27. *Mitto iam.*] Occupatio. *Est mihi ultimis.*] Aperit fallaciam. Vs. 31. *Dictum factum.*] Apollonius Argonauticorum quarto: ἔνθ᾽ ἔπος ἠδὲ καὶ ἔργον ὁμοῦ πέλειν [35]). Vs. 33. *Ubi abiere.*] Argumentum quintae amoris lineae. Vs. 36. *Decem dierum.*] Honesta in re turpi insultatio in senem. Vs. 40. *Qui se vidente pat.*] Honesta ἔκλειψις [36]). Vs. 42. *Ego succenseo.*] Chremes indignatur in se ipsum. Vs. 46. *Nam iam.*] Aposiopesis irato familiaris. Vs. 52. *Fac te esse.*] Recolit ac retorquet consilium datum. Vs. 56. *Per flagitium.*] Verba rigidi patris. Vs. 65. *Quid obticuisti?*] Tacemus consilia, reticemus dolores, obticemus quorum nos pudet. Vs. 70. *Id mirari.*] Consilium Chremetis perturbati. Vs. 74. *Sino.*] Concessio irati contra pertinacem. Vs. 77. *Adeo exornatum.*] Novum periculum Clitiphonis, ne motus illi superiores repente consilescant. Vs. 80. *Ita me Dii ament.*] Proverbium.

Actus V. Scena II. Argum.

Clitiphonem filium obiurgat propter amicam pater; idque adeo fit, ut sic admonitus redeat in viam, et Bacchide relicta, uxorem ducat. Con-

---

33) Hoc schol. in Ed. 1546. legitur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

34) *Dicta*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *dictae*.

35) Hoc schol. in Ed. 1546. invenitur.

36) Hoc schol. in Ed. 1546. legitur.

tinet haec scena et callidum Syri consilium, quo catastrophen, id est, exitum eventumque negotii machinatur.

Vs. 1. *Hanc tandem.*] Clitipho relatu Menedemi se a patre abdicatum credit. Vs. 4. *Vulgo id*[37]) *faciunt.*] Ab exemplo vitioso[38]) vulgi. Vs. 6. *Ex animo volo.*] Benevolentiae indicium. Vs. 9. *Animo esse omisso.*] Carpit filium de deliciis. Vs. 11. *Cepi rationem.*] A necessario. Vs. 17. *Disperii.*] Accusatio sui ipsius. Vs. 20. *Here licetne?*] Eclipsis. Transfert culpam omnem in se. Vs. 27. *Fame mihi.*] Extremum miseriarum fames. Vs. 31. *Intelligere possum.*] Prae nimia affectione intercipit sermonem. Callidum Syri consilium, qua catastrophen machinatur. Vs. 37. *Est verisimile.*] Facile assentitur. Vs. 38. *Matres omnes.*] Materna in filios indulgentia. Vs. 41. *Suspicionem.*] Callidum Syri consilium. Vs. 47. *Quid autem hoc?*] Eclipsis. Vs. 49. *Precatorem.*] id est, intercessorem.

Actus V. Scena III. Argum.

Chremes filii occasione uxorem obiurgat et mordacibus dictis impetit, salibusque non illepidis; et maternum animum in hac scena ob oculos ponit Terentius.

Vs. 1. *Profecto nisi.*] *Homo,* per contemptum, et cum stomacho[39]) pronuntiandum. Vs. 4. *Mulier esse.*] Notat mulierum importunitatem. Vs. 12. *Subditum.*] Repetitio verbi cum stomacho. Vs. 15. *Convincas.*] Iuridicum verbum. Vs. 19. *Nihil vitii.*] Notat uxoris mores ex filii moribus.

37) *id*] sic illae Editt.; in Ed. Volb. deest.

38) vitioso] sic Ed. 1546.; ab Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. abest.

39) cum stomacho] sic Ed. 1546.; Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. id stomacho.

Actus V. Scena IV. Argum.

Clitipho cum matre colloquens, suos sibi parentes commonstrari cupit: qua oratione hanc admodum reddit sollicitam. Chremes contumeliose filium obiurgat.

Vs. 1. *Si unquam.*] Valebat ad matrem consilium hoc, propterea mater producitur. Vs. 5. *Obsecro mi gnate.*] Verba matris consternatae. Vs. 7. *Atque huic.*] Iurandi vetus mos parentum. Vs. 9. *Si me metuis.*] Asperitas patris. Vs. 10. *Ego dicam.*] Contumeliose in abiectissimum quemque. Vs. 15. *Deos nescio.*] *Deos nescio,* iratorum more haec. Vs. 20. *Eheu, quam ego.*] Catastrophe.

Actus V. Scena V. Argum.

Menedemi interventu post turbationes tranquilla fiunt omnia, volenti datur Clitiphoni uxor Archonidis filia. Syro a Chremete ignoscitur.

Vs. 1. *Enim vero Chremes.*] Menedemus solus haec secum. Vs. 4. *Filiam.*] ut nubat scilicet Cliniae. Vs. 7. *Si me vivum.*] Mire sibi ignosci postulat. Vs. 8. *Ne tam offirma te.*] Metaphora a repugnaculo occludendo. Vs. 15. *Pater.*] Vox deliberantis. Vs. 16. *Puellam*[40]) *lepidam.*] Blanda matris suasio. Vs. 17. *Rufamne.*] Deformis puellae descriptio. Vs. 22. *Syro ignoscas.*] Syro ignoscitur.

40) *Puellam*] sic illae Editt.; Ed. Volb. *illam.*

4. In Adelphos Terentii.

Argumentum[1]).

Protasis.

Eripuerat Aeschinus lenoni mulierculam[2]), fratri gratificatus, qui illam[2]) amabat. Id postquam rescivit[2]) Demea, aspero et incommodo ingenio pater, de eo peccato cum Mitione, cui Aeschinum dederat adoptandum[3]), expostulat, queriturque eius indulgentia corrumpi. Periclitantur[4]) itaque Aeschinus, et servuli, quomodo lenoni satis fiat, quomodo celetur, Demea ne Ctesiphonis peccatum resciscat. Neque enim tam ipse sibi, quam frater curae est.

Praeterea amabat ingenuam quandam Aeschinus, cui fidem dederat, uxorem se ducturum

1) Hoc argumentum exstat in Editt. 1528., 1533., 1534., 1539., 1540. A. B., 1543., 1546., 1548., 1550. B. V., 1551., 1553., 1560., 1592. L. et in Riccianae collectionis Tomo II.

2) mulierculam — illam — rescivit] sic omnes illae Editt. exceptis Editt. 1528., 1533., quae habent: mulierculas — illum — resciscit.

3) adoptandum] Editt. 1534., 1550. B. male: optandum.

4) Periclitantur] sic omnes illae Editt. praeter Editt. 1528., 1533., quae exhibent: Periclitatur.

esse, quae postquam raptam audivit psaltriam, graviter perturbata est, metuens ne desereretur. Habet haec pars mira consilia, miras technas servi, quibus fallitur Demea.

Epitasis.

Resciscit [5]) Demea vitium oblatum esse ingenue ab Aeschino, ea vero de re miram tragoediam excitat. Magis commovetur, postquam deprehendit Ctesiphoni cum psaltria rem esse. Misere etiam angitur Aeschinus, cum in discrimen venit, ne uxore excidat.

Catastrophe.

Hae turbae omnes prudentia et mansuetudine Mitionis sedantur. Primas itaque in hac fabula senes habent. Confertur enim cum aspero et inclementi patre urbanus et comis pater, et huc omnia spectant, ut appareat in re domestica, publica, commerciis hominum ubique nullam esse neque utiliorem, neque gratiorem virtutem comitate. Constat autem haec comoedia magna ex parte accusationibus et excusationibus, crebras habet querelas, et paene tragica *πάϑη*. Quare in primis conducit eius lectio ad locupletandam facundiam.

Aliud Argumentum [6]).

Ut mira varietas est ingeniorum ac morum humanorum, ita in fabulis dissimillima exempla cum senum, tum adolescentium pinguntur. Id vel maxime cernitur in hac comoedia, quae lenem patrem cum duro ac difficili conferens, pingit nobis imaginem lenitatis, et, ut Graeci vocant, *ἐπιεικείας*, quae prodest omnibus aetatibus, omnibus ordinibus in omni genere vitae. Nam neque in rebus publicis concordia, neque privatim in familiis retineri tranquillitas potest, nisi singuli quaedam aliorum vitia dissimulemus ac feramus, et offensiones quasdam nostra commoditate sanemus. Hoc praeceptum in hac fabula nobis proponi statuamus, et quod ait Mitio: ***Non habeo necesse omnia pro meo iure agere.*** Quod is in re non maxima usurpat, nos ad omnem vitam, maximeque ad rerum publicarum administrationem transferendum [7]) esse discamus, ne privatas iniurias cum reipublicae periculo ulciscamur.

Est autem protasis fabulae: Aeschinus in gratiam fratris rapit lenoni mulierculam. Id postquam rescivit [8]) Demea pater, aspero ingenio cum Mitione, cui Aeschinum dederat adoptandum, expostulat, queriturque [9]) filium ipsius indulgentia corrumpi.

Error Demeae reddit fabulam iucundiorem. Nam muliercula nihil ad Aeschinum, sed ad [10]) alterum fratrem pertinet, cuius mores Demea praedicat, et a se regi severissime putat. Periclitantur igitur Aeschinus et servuli, ne Demea resciscat peccatum eius adolescentis. Estque id etiam exemplum boni et liberalis ingenii, quod Aeschino frater tantopere curae est. Caeterum amabat et Aeschinus ingenuam quandam, cui fidem dederat, se ducturum eam uxorem, quae rapta psaltria, metuit, ne deseratur [11]) ab Aeschino.

Epitasis.

Demea resciscit Aeschinum obtulisse vitium ingenuae, ea de re [12]) miras tragoedias agit apud fratrem Mitionem. Magis etiam excandescit, cum audit psaltriam ad suum illum frugaliorem adolescentem pertinere.

Catastrophe.

Hae turbae omnes prudentia et mansuetudine Mitionis sedantur. Est autem haec fabula vel in primis rhetorica, habet crebras accusationes, excusationes, querelas, errores. Quare non solum res habent utile ad vitam exemplum, sed etiam oratio ad facundiam alendam atque augendam prodest.

Prologus in Adelphos [13]).

Salvere primum spectatores optimos
Iubeo, bonas artes qui facitis maximi,

---

5) Resciscit] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1588., ubi legitur: Rescivit.

6) Hoc argumentum invenitur in Editt. 1542. L. M., 1545., 1575., 1588., 1592. F., 1602., 1614., 1623., s. a.

7) transferendum] sic omnes illae Editt. exceptis Editt. 1542. L. M., 1545., in quibus legitur: transferendam.

8) rescivit] sic Editt. 1588., 1614., 1623., s. a. et Ricc.; in Editt. 1542. L. M., 1545., 1575., 1592. F., 1602. deest.

9) queriturque] sic Editt. 1542. L. M., 1545., 1588., 1614., 1623., s. a., Ricc.; Editt. 1575., 1592. F., 1602. queritur.

10) ad] in Editt. 1592. F., 1602. deest.

11) deseratur] sic omnes illae Editt. praeter Ed. 1542. L., quae habet: desereretur.

12) ea de re] sic illae Editt. praeter Editt. 1575., 1592. F., 1602., quae exhibent: ea re.

13) Hic prologus invenitur in Prologis aliquot (ubi inscriptus est: „Prologus in Adelphos: eiusdem." scilicet eius-

Quae vos vicissim multis condecorant bonis.
Deinde magnopere oro, quamobrem adstiti[14]),
Patienter audiatis, vos ego[15]) iudices
Facio, improbari[16]) factum nostrum oporteat
Quod commodorum publicorum gratia
Communiumque causa rerum coepimus,
An potius adprobarier, cognoscite.
Qui[17]) iactitant malevoli nos corrumpere
Bonos, per hos ludos, mores, et fabulas,
Officere praedicant qui[17]) sanctimoniae,
His cur respondeam, nihil operae pretium est.
Nam ipsi videtis, quam delirent improbe.
Sed qui reprehendunt alio conatus modo
Nostros, et iudicant[18]) voces per barbaros[19])
Et per pronuntiationem rusticam
Lepidos iocos a nobis depravarier,
Veneremque scenicam contaminarier,
Eos rogamus, vobis hic praesentibus,
Male nos quod facimus[20]), ipsi faciant rectius,
Superentque nostrum hac in re scilicet gregem,
Aut si melius ne ipsi sciunt quidem, sinant
Tolerabili nos principio interim utier.
Rebusque in arduis voluisse sit satis.
Quod si quis ad veterem rationem haec exigit,
Nec esse conandum putat, quod non queas
Praestare, quaeso vos, cur quicquam discimus
Rerum omnium, cum vincat longe antiquitas,
Nosque veniamus nunquam, quo contendimus?
At si meretur laudem multo maximam,
Qui, ut excolat linguam, dedit operam suam,
Seu Graeca seu Latina discere placuit,
Nec consecutus tamen est, quod praestituerat,
Si nemo duci vitio oportere autumat
(Quod institutum summa laude nuper est)
Declamitare, materiamque dicere
In publico, nec esse spes tamen potest,
Ita ut deceret facere: cur[21]), quod omnium
Est calculis probatum, cuius pulcher est
Conatus, inveniuntur, qui lacerent opus?
Iam vero, qui pueris melius haec dictitant,
Quoniam minus peccato sit locus, agere,
Nec esse, cur velimus inepti esse nos,
Eos ego, calumniari quando amant,
Nihil moror, si, spectatores optimi,
Studium probatur vobis et industria
Et opera, quam nos huic rei navavimus,
Istis sui[22]) pueri recitent parasiticas,
Apti quibus fortasse sunt, fabellulas[23]).
Hic forte pulchrius est, tam civiles iocos
Ludosque tam urbanos in scenam adferrier
Ab iis quoque, melius paulo qui intelligant,
Quorumque gestus haud ad verba singula
Formarier necesse sit, quos nil minus
Venisse quam meditato[24]) arbitremini.
Sed cur abutor vestram benevolentiam?
Dum tot pudendis versibus vos obruo,
Cum iam velitis, sat scio, communiter[25])
Pro viribus iuvare quemque res suis
Publicas, bonasque promovere litteras.
Ardentibus votis Deos precemini,
Quod dum studemus, consulite quaeso boni,
Nec, si quid expectationi non satis
Vestrae faciat[26]), iniqui explodite.

Scholia et Argumenta in prologum singulasque scenas.

Prologus.

Vs. 1. *Postquam.*] Narratio. Vs. 6. *Diphili.*] Diphilus poeta comicus fuit. Vs. 11. *Verbum de verbo.*] Graeca Latino stilo ornavit. Vs. 15. *Dicunt malevoli.*] Alia defensio[27]). Vs. 18.

---

dem, qui prologum ibi proxime praecedentem in Eunuchum scripsit, de cuius prologi inscriptione vide supra p 716. notam 17.), in Mel. Opp. Basil. V., Grathusii collect. Epigramm. Mel., Terentii Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. et Riccianae collectionis Tomo II.

14) adstiti] sic omnes illae Editt. excepto Riccio, qui exhibet: hic adstiti.

15) ego] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Ricc.; in Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

16) improbari] sic omnes illae Editt. praeter Riccium, qui habet: improbarin'.

17) Qui — qui] sic omnes illae Editt. praeter Riccium, qui exhibet: Quod — quod.

18) iudicant] sic Prologi aliquot; Mel. Opp. Basil. V., Grathus. et Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. indicant.

19) iudicant voces per barbaros] horum loco Riccius habet: inducunt voces perbarbaras,

20) facimus] sic omnes illae Editt. praeter Riccium, qui exhibet: aiunt.

21) cur] in Grathus. collect, deest.

22) sui] sic Prologi aliquot; Mel. Opp. Basil. V. et Grathus.: suis; Riccius: suas.

23) Istis sui — fabellulas.] horum duorum versuum loco Terentii Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. habent hunc unum; Istis, suis pueri recitent fabellulas.

24) meditato] sic Prologi aliquot, Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. meditatio; Riccius: meditatos.

25) communiter] sic omnes illae Editt. praeter Riccium, qui habet: comiter.

26) faciat] sic Prologi aliquot, Mel. Opp. Basil. V.; Grathus., Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. et Riccius: faciet.

27) *Verbum de verbo* — defensio.] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546 *Verbum de verbo.*] Alia defensio. (verbis intermediis omissis).

Eam laudem.] Inversio. Vs. 20. *Quorum opera.*] Laus ab humanitate.

Actus I. Scena I. Argum.

Admodum est sollicitus Mitio, quod nondum a coena redierit filius Aeschinus. Ostendit in liberis educandis, lenitate plus quam asperitate parentes proficere.

Vs. 1. *Storax non.*] Mitio hac narratione exponit suam erga filium voluntatem, sua consilia de educatione; exponit item consilia Demeae. Vs. 7. *Uxor, si cesses.*] Orditur autem narrationem a collatione, qua exaggerat curam et amorem erga filium. Vs. 16. *Dissimili* [28]) *studio.*] Mitionis vita clemens et otiosa. Vs. 17. *Ego hanc clementem.*] Demeae vita laboriosa et austera. Vs. 32. *Pudore.*] Epiphonema. Vs. 35. *Quid agis, Mitio?*] Fratris consilia. Vs. 40. *Et errat.*] Retorquet correptionem contrarium inferendo. Vs. 51. *Hoc pater*] Indulgentiae affectum ad disciplinam revocat. Vs. 56. *Gaudemus.*] Hic senarius perficitur initio scenae sequentis.

Actus I. Scena II. Argum.

Demea Aeschinum absentem petulantiae graviter accusat; excusat eundem Mitio, plus nimio indulgens pater. Hic attende lenem Mitionem, asperum Demeam induci a Terentio.

Vs. 1. *Hem opportune.*] Congressus senum, qui velut superiorem Mitionis orationem comprobat et amplificat. Vs. 5. *Neque metuit.*] Propositio generalis. Vs. 8. *Fores effregit.*] Narratio. Vs. 14. *Si conferendum.*] Amplificatio ab exemplo. Vs. 20. *Quia tu, Demea.*] Excusatio facti per confutationem. Vs. 25. *Id laudi ducis.*] Id plerumque usu venit. Vs. 26. *Nam si esset.*] Dissimulatio callida Mitionis, qua placare fratrem conatur. Vs. 31. *Pro Iuppiter.*] Tragica exclamatio. Vs. 35. *Is meus est factus.*] Argumentatio per inductionem. Vs. 40. *Fores effregit.*] Perculta brevitas, qua proposita solvuntur. Vs. 43. *Postremo.*] Peroratio. Vs. 46. *Natura tu illi.*] Plus laudis consilium quam natura consequitur. Vs. 53. *Si istluc placet.*] Concessio ironica. Vs. 59. *Iste tuus.*] *Iste*, per contemptum. Vs. 60. *Gravius dicere.*] Cicero: Nolo in eos gravius quicquam ne hominis quidem causa dicere [29]). Vs. 61. *Nec nihil.*] Correptio dissimulationis. Vs. 65. *Vix humane.*] Argumentum a contrario. Vs. 68. *Facit iniuriam.*] Responsiones leves. Vs. 73. *Gaudebam.*] Aposiopesis.

Actus II. Scena I. Argum.

Senibus omissis, describitur Aeschini factum, iurgantis cum lenone; nec error est poetae, quod hic fiant, quae facta esse Demea dixit, qui fortasse rumore nuntio acceperat fecisse Aeschinum, quod facturum ille se minatus fuerit.

Vs. 1. *Obsecro populares.*] Omissis senibus, describitur Aeschini factum iurgantis cum lenone. Estque haec periculi protasis. Vs. 9. *Huius non faciam.*] *Huius*, vel stipulam, vel summa digiti ostendens, dicit. Vs. 13. *Abi.*] Ad Parmenonem concitatus loquitur. Vs. 19. *O facinus.*] Exclamatio vapulantis. Vs. 26. *Erit melius.*] Livius lib. III. ab U. C. Non erit melius, inquit, nisi de quo consulimus, vocem emisisse. Et mox: Proinde quis erit melius, inquit [30]). Vs. 27. *Nam si molestus.*] Comminatio vehementior. Vs. 30. *Debacchatus.*] Superbe contemnit dicta lenonis. Vs. 33. *Modo aequi.*] εἰρωνικῶς. Vs. 37. *Vertat male.*] Imprecatio. Vs. 38. *Tibi illam nolo.*] Stulte negat se venditurum, quod perdidit. Vs. 40. *Illam liberali.*] Liberalis causa, quae continet actionem libertatis. Vs. 42. *Pro supreme.*] Tragica exclamatio. Vs. 45. *Homini misero.*] Hic mira arte insano conceditur.

Actus II. Scena II. Argum.

Sannio queritur de iniuria sibi facta Aeschino, et Syri consiliis eluditur.

Vs. 1. *Tace, egomet.*] Consilia servi, quibus eludit lenonem, atque commode subiecit statim concertationi, quae fuit cum eo Aeschino. Vs. 12. *Inescare.*] Metaphora ab aucupibus. Vs. 14. *Mallem auferre.*] Mos avarorum. Vs. 19. *Nusquam pedem.*] Aposiopesis. Vs. 20. *Inieci scrupulum.*] Metaphora a lapillis articulos urgentibus. Vs. 29. *Hoccine illo.*] Comploratio. Vs. 31. *Labascit.*] Metaphora ab arbore resecta. Vs. 34. *Hei mihi.*] Nunc conqueritur de iniuria, cum damnum quoque sentit. Vs. 40.

---

28) *Dissimili*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Dissimilis*.

29) Hoc schol. in Ed. 1546. exstat; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

30) Hoc schol. legitur in Ed. 1546.

Potius quam lites.] Divertit[31]) se tandem ad preces. Vs. 44. *Sed Ctesiphonem.*] Parasceue.

Actus II. Scena III. Argum.

Ctesipho fratrem laudat, et commendat, agitque gratias absenti pro accepto beneficio.

Vs. 1. *Abs quivis.*] Spargitur in personas Aeschini factum, idque iam Ctesipho praedicat, nempe ad quem fructus redit. Vs. 4. *Ita magnifice.*] Summa fratris laudatio. Vs. 9. *Postputarit*[32]).] Veri patris descriptio.

Actus II. Scena IV. Argum.

Colloquuntur fratres, agitur de pecunia reddenda lenoni, et paranda coena.

Vs. 1. *Ubi ille est.*] Aeschinus servat adversus lenonem superbiam. Vs. 6. *Ne id, assentandi.*] Assentatores coram laudant. Vs. 8. *Hoc mihi dolet.*] Insinuatio beneficii in periculo collati. Vs. 10. *Stultitia est.*] Extenuatio delicti. Vs. 12. *Mitis est.*] Ex debacchante scilicet et austero. Vs. 15. *Etiam maneo.*] Inconstanter a lenone dictum. Vs. 20. *Intus oblecta.*] Honesta in re turpi periphrasis. Servus magnifice loquitur.

Actus III. Scena I. Argum.

Sollicitam inducit Sostratam ob filiae, quae ex Aeschino gravida est, vicinum partum.

Vs. 1. *Obsecro, mea nutrix.*] Aliud periculum Aeschini; nam palam fit oppressam ab eo ingenuam, et mulierculae in metum coniiciuntur propter raptam psaltriam. Vs. 7. *Mearum miseriarum.*] Amatorius affectus. Vs. 9. *Quando vitium.*] Factum laudat ob conditionem nuptiarum.

Actus III. Scena II. Argum.

Geta Sostratae servulus commotior, herae nuntiat Aeschinum alio captum amore, puellam eripuisse lenoni.

Vs. 1. *Nunc illud est.*] Tragica conquestio servuli de iniuria Aeschini; viam autem facit ad epitasin. Vs. 6. *Hoccine seculum?*] Seculum accusat, ut a tempore mores carpat. Vs. 8. *Quem neque fides.*] Geta querimoniam prosequitur per exaggerationem. Vs. 12. *Me miserum.*] Cum pondere et stomacho pronuntianda; nam ira animum impedit. Vs. 17. *Syrum impulsorem.*] Hypotyposis. Vs. 18. *Sublimem medium.*] Cum nutu et gestu pronuntianda. Vs. 21. *Caeteros ruerem.*] *R* littera canina, iram indicat. Vs. 23. *Sine me.*] Prae iracundia vix tandem cognoscit heram. Vs. 27. *Actum est.*] Interruptus sermo ob indignationem. Vs. 30. *Neque id occulte.*] Argumentum magni amoris. Vs. 31. *Ah ah.*] Aposiopesis amare flentis. Vs. 33. *Nostrae spes.*] Exaggeratio. Vs. 34. *Hac iurabat.*] Oratorie vehementius cupitum postremo posuit. Vs. 37. *Lacrumas mitte.*] Frustra in metum coniectae mulierculae, ut in fabula plusculum esset turbarum. Vs. 43. *Quapropter.*] Getae consilium. Vs. 54. *Nostro Simulo.*] Simulus Sostratae maritus, pater puellae vitiatae ab Aeschino, hic est ὁ σιμύλος[33]).

Actus III. Scena III. Argum.

Male est Demeae, quod filium Ctesiphonem audiverit una adfuisse, cum eriperet mulierem Aeschinus.

Vs. 1. *Disperii.*] Demea solus haec secum. Vs. 10. *Non ostendam.*] Demeae astutia.

Actus III. Scena IV.[34]) Argum.

Commendatur Ctesipho, vituperantur Mitio et Aeschinus, callide utrumque Syrus facit. Demea autem narratione virtutum Ctesiphonis plurimum gaudet.

Scenae III. Vs. 10. *Omnem rem.*] Mire faceto et callido commento eluditur Demea, ne Ctesiphonis peccatum resciscat. Vs. 27. *Macerentur.*] Macerare, mollire, sicut triticum Columella macerandum dixit, et gemmas aceto macerari Plinius, et pleraque alia. Vs. 38. *Pigetque.*] Piget ob damna, pudet ob turpia. Vs. 42. *Sinerem illum?*] Senis vigilantia. Vs. 51. *Nihil reticuit.*] Laus filii diligentis. Vs. 55. *Lacrumo gaudio.*] In profuso gaudio lacrumae erumpunt. Vs. 65. *Porro autem.*] Initium ulterioris orationis interruptae per Syrum. Vs. 70. *Praecipio.*]

31) Divertit] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. Convertit.

32) *Postputarit*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *post putavit.*

33) hic — σιμύλος.] haec in Ed. 1546. addita sunt.

34) Haec Scena IV. incipit a verbis: *Omnem rem modo seni*, quae in Ed. Vollb. (quam in adscribendis versuum numeris sequimur) in Scenae III. versu 10. leguntur. Haec enim Scena III. in duas sic disiuncta reperitur in Editt. 1516., 1528., 1533., 1534., 1539., 1542. M., 1545., 1550. B. V., 1592. L., 1614., 1623.; a ceteris vero Editt. haec disiunctio Scenae III. abest.

Praecepta Demeae, ad coquinaria usque deludit. Vs. 77. *Verum quid facias*?] Gnathonica sententia. Vs. 81. *Ego vero hinc abeo.*] Causa discedendi, ut fabula confirmetur.

Actus III. Scena V.[35]) Argum.

Hegio docet Sostratae filiam inique ab Aeschino tractatam, ac tandem vitiatam esse: id factum nunc Demeàe narrat.

Vs. 1. *Pro Dii immortales.*] Epitasis palam facit Aeschini peccatum. Vs. 6. *Pater.*] Mitio scilicet. Vs. 8. *Ni facient.*] Civilis et matura comminatio. Vs. 16. *Maior filius.*] Artificiosa expostulatio. Vs. 23. *Vero amplius.*] Collatione amplificat. Vs. 24. *Persuasit nox.*] Narratio. Vs. 30. *Ille bonus vir.*] Conclusio accusationis per ironiam. Vs. 34. *Ut captus est.*] Caesar: Ut captus est Germanorum. Tuscul. II.: Ut captus est hominum [36]). Vs. 41. *Iuno Lucina.*] Pamphila parturiendo haec dicit. Vss. 42 sq. *Hem, illaec fidem.*] Argumentum a coniecturis. Vs. 48. *Cognatus mihi.*] Causam reddit, cur adversarius futurus sit. Vss. 51 sq. *Denique animam.*] Incrementum. Vs. 59. *Si vos vultis.*] Persuasio a laude probitatis. Vs. 62. *Non me indicente.*] Epiphonema.

Actus IV. Scena I. Argum.

Probi adolescentis ingenium, moresque hac scena exprimuntur. Syrus Ctesiphonem instituit, quemadmodum respondere debeat patri. Initio scenae ostendit non raro contingere, ut filii optent parentum absentiam, si quando solutius vivere, ac genio indulgere statuerint.

Vs. 1. *Ain' patrem.*] Hic compendio ostenditur, quid sit iam locuturus. Vs. 6. *Misere nimis.*] Asseveratio comica. Vs. 10. *Nunc ubi me.*] Sollicitudinem paternam notat. Vs. 12. *Nunquam*[37]) *quicquam.*] Bonus adolescens mentiri nescit, nec vult. Vs. 18. *Cum fervit.*] Hyperbole. Vs. 21. *Lupus in fabula.*] Silentii proverbium. Vs. 23. *Nusquam tu me.*] Eclipsis properanti apta.

35) Scena V.] sic in illis Editt., in quibus Scena III. in duas (III. et IV.) seiuncta est; in ceteris autem aeque ac in Ed. Vollb. haec est Scena IV.

36) Hoc schol. Ed. 1546. exhibet.

37) *Nunquam*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *nusquam*.

Actus IV. Scena II. Argum.

Queritur Demea, quod fratrem non repererit. Idem a Syro deluditur, locum, in quo sit frater, bifariam describente.

Vs. 1. *Nusquam gentium.*] Magis sonoram reddit orationem. Vs. 5. *Quid hoc.*] Ridicula querela senis. Vs. 8. *Obnuntio.*] Obnuntiantur mala, annuntiantur bona. Vs. 12. *Nunquam hercle.*] Diffidentia Ctesiphonis ex pavore. Vs. 15. *Non hercle hic.*] Eluditur Demea, ne deprehendat Ctesiphonem. Vs. 18. *Quid, malum.*] Versuta Syri fictio, qua senem eludit. Vs. 22. *Factum.*] Callida inventio. Vs. 27. *Perquam, quia.*] Ironia. Vs. 28. *Huc.*] Cum gestu servili pronuntiandum. Vs. 31. *Scio ubi sit.*] Hoc dicit, ut avidius investiget. Vs. 35. *Praeterito.*] Perplexa descriptio. Vs. 40. *Censen hominem.*] Callide mendacem simulando errorem palliat. Vs. 42. *Scin' Cratini.*] Alia loci descriptio. Vs. 47. *Sane bene.*] εἰρωνικῶς.

Actus IV. Scena III. Argum.

Rogat Mitionem Hegio, ut Sostratam adeat, narraturus illi, suspicionem alienati a Pamphila Aeschini, ortam esse propter ereptam Ctesiphoni psaltriam.

Vs. 1. *Ego in hac re.*] Viam sternit ad catastrophen. Vs. 2. *Meum officium.*] Officium boni. Vs. 3. *Nisi si me in illo.*] Iniuriosorum mos. Vs. 7. *Sed quaeso.*] Succinctim de re loquitur, eo quod ambo intelligebant. Vs. 14. *Omnes quibus.*] Omnes infortunati maxime sunt suspiciosi.

Actus IV. Scena IV. Argum.

Dolet vehementer Aeschinus in suspicionem venisse se apud Sostratam et Pamphilam, quod amare psaltriam coeperit, quam non sibi, sed fratri, ut gratum faceret, ab lenone eripuerat.

Vs. 1. *Discrucior animi.*] Haec verba repentino nuntio Aeschini animum perculsum indicant. Vs. 8. *Sostrata credit.*] Causa stuporis Aeschini. Vs. 11. *Accedo.*] Amatoriae interrogationes de amica. Vs. 14. *Valeas.*] Sic in Andria: Valeant, qui inter nos, etc. Vs. 23. *Nunc porro.*] Exhortatur se ipsum.

Actus IV. Scena V. Argum.

Mire faceto commento novum incutit Aeschino metum pater, ostendens alii viro nupturam

Pamphilam. Tandem amoto ludo agere seria incipiens, filii animum gaudio explet, futurum promittens, ut illam ipse ducat uxorem.

Vs. 1. *Ita ut dixti.*] Catastrophe coepta est, sed eam priusquam absolvat, mire faceto commento novum metum Aeschino incutit pater: quod tamen, quia non habet seriam querelam, breviter tractat, et sine tragicis schematibus. Vs. 10. *Nihil mihi quidem.*] Eclipsis. Vs. 12. *Ego dicam tibi.*] Incipit figmentum vero admixtum. Vs. 16. *Haec virgo orba.*] Cum abiectione pronuntiandum, ut nuptiarum spem adimat. Vs. 22. *Quid ipsae?*] Eclipsis. Vs. 23. *Ex alio.*] Tangit Aeschinum. Vs. 29. *Immisericorditer.*] Adverbium multarum syllabarum, indignationi aptum. Vs. 36. *Qua ratione.*] Clam hic pater obiurgatur, quod fuerit conscius. Vs. 40. *Haec, mi pater.*] Amatorie et pueriliter. Vs. 43. *Aeschine.*] Haec ultima desperatio cogit Aeschinum fateri verum. Vs. 49. *Credo hercle.*] Amica et lenis obiurgatio ex arte, a loco, a facto. Vs. 53. *At humanum tamen.*] Terentius summa arte inducit Mitionem leniter accusantem, Demeam aspere blandientem. Vs. 63 sq. *Pater, obsecro.*] Mitis et faceta obiurgatio. Vs. 64. *Nisi quia tam*[38]).] Timor ex cupiditate. Vs. 67. *Dii me, pater.*] Blanditur patri. Vs. 68. *Quid? ille ubi.*] Adhuc aliquantulum formidat. Vs. 70. *Tu potius Deos.*] Nam peccatores Deus non exaudit [39]). Vs. 73. *Quid hoc est.*] Epiphonema [40]), paterna liberalitatis exaggeratio. Vs. 75. *Hic non amandus?*] Bonae indolis adolescens.

Actus IV. Scena VI. Argum.

Demea ambulando fatigatus, de Syro queritur, quod non aperte satis commonstraverit locum, ubi frater esset Mitio.

Vs. 1. *Defessus sum.*] Anhelans solus haec secum loquitur. Vs. 3. *Perreptavi.*] Aptum seni verbum.

Actus IV. Scena VII. Argum.

Demea de vitio virgini oblato et nuptiis resciscit, is fingitur iam tumultuari, sed postea placatur.

Vs. 1. *Ibo illis dicam.*] Demea de nuptiis resciscit, is fingitur iam tumultuari, verum postea placabitur. Vs. 4. *Boni illius.*] Ironia. Vs. 21. *Ludas tesseris.*] πολιτειῶν ί.: καὶ ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα [41]). Vs. 24. *Corrector.*] Indignationem indicat. Vs. 27. *Neque est.*] Non vult Ctesiphonem prodere. Vs. 32. *Quicum.*] id est, cum qua. Vs. 34. *Restim.*] Attende locum reconditum. Vs. 39. *O Iuppiter.*] Exclamatio in vitam et mores.

Actus V. Scena I. Argum.

Servulorum licentiam in hac scena Terentius ostendit. Exit egregie potus Syrus multum exultans, laute se ac opipare coenatum esse: hunc Demea ob temulentiam impetit et obiurgat.

Vs. 1. *Syrisce.*] Syrus ebrius Syriscum se nominat [42]). Vs. 4. *Prodeambulare.*] Tarditatem, mollitiem et delicias indicat. Vs. 6. *Ohe scelus.*] Aposiopesis minantis. Vs. 8. *Tune* [43]) *si meus esses.*] Importunus Demea pomposis verbis cum ebrio litigat.

Actus V. Scena II. Argum.

Exitu parasiti cuiuspiam Ctesipho Demeae proditur.

Vs. 1. *Heus, Syre.*] Resciscit Ctesiphonis peccatum. Ea extrema pars est epitaseos. Vs. 5. *Iam scibo.*] Hoc dicens baculo minatur. Vs. 10. *Silescunt turbae.*] Plautus: Atque me occultabo aliquot dies, dum hae consilescunt turbae [44]). Vs. 11. *Edormiscam.*] id est, dormiendo exhalem.

Actus V. Scena III. Argum.

Cognito Ctesiphonis amore, Demea exclamat, et Mitionem iurgio adoritur, ut liberorum corruptelam, per quem placatur tandem et Aeschino, et Ctesiphoni.

Vs. 1. *Parata a nobis.*] Placatur Demea tum Aeschino, tum Ctesiphoni. Vs. 4. *Hem tibi.*] Miro labore poeta decorum personarum observavit. Vs. 9. *Repressi.*] Demeae perspicax ratiocinatio. Vs. 12. *Factum est.*] Crimen.

---

38) *Nisi quia tam.*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Nisi tam.*

39) Nam — exaudit.] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; horum loco Ed. 1546. habet: Non esse delinquentibus propitium numen divinum, etiam ratio iudicat.

40) Epiphonema] in Ed. 1546. deest.

41) Hoc schol. invenitur in Ed. 1546. Hic locus exstat in Plat. de Republ. X. (Opp. ed. H. Steph. T. II. p. 604. C.).

42) se nominat.] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. se blande nominat.

43) *Tune*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Tu.*

44) Hoc schol. legitur in Ed. 1546.

Vs. 13. *Cur nunc*] Confutatio. Vs. 20. *Ausculta paucis.*] Avaritiam Demeae notat. Vs. 29. *Mea, quae.*] Mitionis liberalitas. Vs. 31. *Id de lucro.*] Ab utili et honesto. Vs. 34. *Mitto rem.*] Eclipsis. *Mane.*] Moralis et blanda correptio. Vs. 40. *Ut confidam fore.*] Magna de filiis spes. Vs. 42. *Vereri.*] Laus filiorum a virtutibus. V. 44. *At enim metuas.*] Oratorie obiicit. Vs. 47. *Solum unum.*] Avaritia senilis. Vs. 49. *Acuet.*] id est, docebit, μεταφορικῶς a cote. Vs. 53. *Exporge frontem.*] Mirus ornatus contractae ad severitatem frontis. Cum gestu explicanda. Vs. 59. *Ego isthuc videro.*] Agrestis et aspera compositio ex arte. Vs. 67. *Ego sentio.*] Aposiopesis.

Actus V. Scena IV. Argum.

Demea cum videat non probari vulgo severitatem in liberos, diversam institutionis viam meditatur: in qua persona Terentius indicat mitioribus se favere patribus, seculi sui moribus hoc magis concedens, quam quod ita faciundum esse existimet.

Vs. 1. *Nunquam ita.*] Ut appareat placari Demeam, res in personas spargitur, adeoque ipse producitur solus in scenam. Exordium a gnome traductum est; sequitur dein narratio. Vs. 9. *Ille suam semper.*] Mitionis descriptio. Vs. 12. *Ego ille agrestis.*] Demeae descriptio. Vs. 15. *Contrivi in.*] Auxesis. Vs. 18. *Illum amant.*] Collatio duorum senum. Vs. 21. *Ita eos meo.*] Locus a contrariis. Vs. 23. *Age, age nunc*[45]).] Contentio, color rhetoricus hic est. Vs. 24. *Blande dicere.*] His rebus conciliatur benevolentia. Vs 27. *Id mea minime.*] Redit ad ingenium Demea.

Actus V. Scena V. Argum.

Demea absurde contra ingenium suum blandus esse conatur.

Vs. 1. *Heus Demea.*] Demeae nova et simulata comitas spargitur in personas. Vs. 3. *Optime est.*] Rustica blandimenta.

Actus V. Scena VI. Argum.

Vs. 9. *Bonus es.*] Metaphora ab ambitiosis candidatis. *Bene procedit.*] Cicero Attico lib. X.: Quid agam nunc, cui nihil procedit? προχωρεῖ. [46]).

Actus V. Scena VII. Argum.

Nuptiarum mora offenditur Aeschinus. Hunc Demea blande alloquitur, et maceriam dirui iubet, qua puerperam traducant.

Vs. 1. *Occidunt me.*] Amantis affectus exprimitur. Vs. 3. *Quid agitur.*] Hoc comicum et blandum est. Vs. 6. *Cupio, verum.*] Omnia de ritu nuptiarum. Vs. 10. *Atque hanc in.*] Prodigus ex avaro. Vs. 13. *Euge iam lepidus.*] Vide senis ingenium; non enim potest se dissimulare, iuxta proverbium: Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Vs. 25. *Sic soleo.*] Vel captiose vel ficte.

Actus V. Scena VIII. Argum.

Mitioni suadetur, ut uxorem ducat Sostratam; ac vix tandem persuadetur, et non sine risu spectantium. Demea praeter naturam facilis esse studet.

Vs. 1. *Iubet frater.*] Scilicet dirui parietem. Vs. 5. *Imo hercle.*] Insinuatio oratoria latentis persuasionis. Vs. 9. *Quam hic rem.*] Nova turba, in qua mire declarat facilitatem suam Mitio. Vs. 18. *Age.*] Prius *age*, blandientis [47]), posterius corripientis est. Vs. 24. *Hegio hic*] Hegionis commendatio a persona. Vs. 27. *Qui fruatur.*] Cicero Attico lib. XI.: ut sit qui utamur. [48]) Vs. 28. *Faciundum est.*] Facti necessitatem indicat. Vs. 31. *Quod nimium.*] Mitio suo ipsius dicto impetitur. Vs. 35. *Suo sibi.*] Proverbium.

Actus V. Scena IX. Argum.

Servis libertas, filiis dantur uxores. Mitioni narrat Demea, cur tam repente mores mutaverit. In cuius persona Terentius nobis ridicula prodigalitatis exempla proponit.

Vs. 5. *Ego istos.*] Commendatio a diligentia sua. Vs. 7. *Obsonare.*] Cicero Tuscul. V.: obsonare ambulando famem [49]). Vs. 8. *De die.*]

45) *Age, age, nunc*] sic illae Editt., Ed. Vollb. *Age nunc iam.*

46) Hoc schol. invenitur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

47) blandientis] Ed. 1546. male: blandimentis.

48) Hoc schol. Ed. 1546. habet.

49) Hoc schol. in Ed. 1546. exhibetur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

Apud Plautum in Asin. Vs. 10. *Postremo.*] Ita deridet, ut serio agere videatur. Vs. 12. *Denique hic.*] Scilicet hic Aeschinus. Vs. 18. *Hercle vero.*] Ironia. Vs. 24. *Utatur.*] id est, vivat. Vs. 26. *O vir optime.*] Blandimenta. *Dicam tibi.*] Redit Demea ad ingenium. Vs. 31. *Sed ex* [50]) *assentando.*] Mores et vitam assentatoriam notat. Vs. 32. *Nunc adeo.*] Apostrophe ad filios. Vs. 33. *Quia non.*] Oblatio patris. Vs. 38. *Tibi pater.*] Obsequentia filii.

50) ex] sic illae Editt.; ab Ed. Vollb. abest.

In Hecyram Terentii.

Argumentum [1]).

Protasis.

Uxorem duxit Pamphilus, cum Bacchidis meretriculae amore tantopere teneretur, ut duobus mensibus uxorem ne attingeret quidem. Postea per consuetudinem animus victus est, coepit placere uxor. Porro cum ipse peregre abesset, illa domum redit ad matrem, atque ibi parit, mense septimo, postquam nupsisset Pamphilo. Eam rem celat et affines [2]) et patrem anus. Ubi Pamphilus redit, comperit eam [3]) peperisse. Hic graviter adeo commovetur, cum aliunde concepisse existimaret. Et cum per sese dolent res Pamphilo, amabat enim mulierculam, tum molestum est ab ea divelli, neque enim honestum erat reducere. Periclitatur itaque Pamphilus, quomodo honeste dimittat uxorem, neve illius peccatum proderet. Haec fabulae protasis est.

Epitasis.

Instant pater et socer, inscii quid accidisset, ut domum reducat, praesertim cum nec socrus, nec mater, id quod senes falso suspicati fuerant, obstarent. Quamquam autem permoveri non posset Pamphilus, ut reduceret, tamen causam constantissime dissimulat. Itur eo, ut putent Bacchidis amore devinctum, alieno ab uxore [4]) animo esse.

Catastrophe.

Bacchis accersita fidem facit nihil sibi cum Pamphilo rei esse. Hic autem prodendum peccatum uxoris fuit, aut reducenda, verum casu periculum discutitur. Forte enim Philumenae annulum socrus in digito Bacchidis conspexit, quem olim Pamphilus stupratae in tenebris Philumenae detraxerat. Is annulus testatur ex Pamphilo puerum susceptum esse. Ita redit in gratiam cum uxore Pamphilus.

Iucunda est cum uxoribus senum concertatio, quae monet saepe errore et falsis suspicionibus fieri, ut dissentiant coniuges. Inprimis autem insignis est humanitas et fides Pamphili in hac fabula.

1) Hoc argumentum exstat in Editt. 1528—1623. et s. a.; in Riccianae collectionis Tomo III. deest.

2) et affines] sic omnes illae Editt. excepta Ed. 1528., quae habet: affines.

3) eam] sic Editt. 1542. L. M., 1545., 1575., 1588., 1592. F., 1602., 1614., 1623., s. a.; in ceteris Editt. deest.

4) alieno ab uxore] sic Editt. 1528—1540., 1542. M., 1546—1560., 1592. L.; Editt. 1542. L., 1545., 1575., 1588., 1592. F., 1602., 1614., 1623. et s. a.: ab uxore alieno.

Scholia et Argumenta in prologum singulasque scenas.

Prologus.

Vs. 1. *Hecyra.*] Propositio, qua petit explosam antea cognosci.

Alter Prologus. [5])

Vs. 6. *In his.*] Confirmatio ab exemplis. Vs. 21. *Hecyram.*] Redit ad propositionem, et amplificat per querelam, quod antea fuerit explosa. Vs. 26. *Funambuli.*] Cur explosa sit. Vs. 29. *Vetere.*] Altera explosio. Vs. 38. *Nolite sinere.*] Argumentum ab arte, a meritis. Vs. 41. *Si nunquam.*] Attentos et benevolos reddit. Vs. 47. *Mea causa.*] Peroratio.

Actus I. Scena I. Argum.

Philotis et Syra indigne ferunt Pamphilum uxorem duxisse, relicta, quam amare videbatur, Bacchide, et prostaticae sunt personae, nam extra fabulae argumentum inducuntur, ut Parmenoni detur occasio commemorandi argumenti.

Vs. 1. *Per pol quam.*] Philotis prostatica persona [6]), ut sit occasio commemorandi argu-

5) Alter Prologus] sic Prologi pars a verbis: „Orator ad vos venio" incipiens in Ed. Vollb. est inscripta; ab illis vero Editt. haec divisio abest.

6) prostatica persona] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548. 1558.; Ed. 1546. *προστατικὸν πρόςωπον*.

menti et occasionis reliquae fabulae. Vs. 6. *Ergo propterea.*] Audax ac mala persuasio. Vs. 9. *Utin eximium.*] Vel *utine* ἀποστρόφῳ, vel *ut ni* pro *ut ne*; deest autem: censes. [7])

Actus I. Scena II. Argum.

Redeunti peregre Philoti Parmeno totius narrat argumentum fabulae.

Vs. 26. *Habet.*] Sensim ad narrationem accedit. Vs. 29. *Non est opus.*] Variis verbis morales facetias internectit. Vs. 36. *Vera haec.*] Servorum vitium loquacitas, et est ἦθος θρυπτόμενον ὡς δὴ οὐκ ἐπιθυμῶν λέγειν, quale et in Phaedro Platonico [8]). Vs. 39. *Hanc Bacchidem.*] Narratio, quae occasionem fabulae continet. Vs. 42. *Et haec communia.*] Communes patrum persuasiones. Vs. 44. *Praesidium.*] Latens excusationis ratio. Vs. 51. *Donec iam.*] Amatoris affectus in nuptias. Vs. 53. *Ibi demum.*] ὑπερβολικῶς. Vs. 59. *At te Dii.*] Apostrophe et imprecatio ad absentem. Vs. 63. *Quid ais?*] Affectus meretricis. Vs. 66. *Credo ita.*] Confutatio meretricis. Vs. 68. *Diebus sane.*] Iactantia servi de familiaritate domini. Vs. 78. *Hoc ego.*] Prosequitur Parmeno ipsa Pamphili verba. Vs. 82. *Quid interea?*] Philotis gestit caetera audire. Vs. 87. *Et illam.*] Defendit herum servus. Vs. 90. *Pudens.*] Vis amoris his verbis exprimitur. Vs. 96. *Senex.*] Nam iuvenis alicuius mors non convenit comoediae. Vs. 106. *Si quando.*] Parmeno odio adscripsit, quod pudoris erat. Vs. 116. *Patrem.*] Reliquum argumenti actoribus reservat, per quod suspensum et attentum reddit spectatorem.

Actus II. Scena I. Argum.

Sostratam uxorem accusat Laches, quod nurum Philumenam duritie sua et morum incommoditate domo eiecerit. Socrus contra nihil tale a se patratum [9]) esse contendit.

Vs. 1. *Pro Deum.*] Senex difficilis et iratus ab exclamatione orditur. Vs. 2. *Ut omnes.*] Exclamatio senilis in mulierum morositatem. Estque id exordium orationis. Vs. 8. *Me miseram.*] Exclamatio ad misericordiam commovendam. Vs. 13. *Quae me et te.*] Exaggeratio et amplificatio. Vs. 17. *Mulier.*] Emphasim habet. Vs. 20. *Multo melius.*] Tollit opinionem suspicionis. Vs. 22. *Iam pridem.*] Propositio querelae. Vs. 25. *Quod si.*] Comminatio eiectionis. Vs. 29. *Meo labori.*] Exaggerat indignitatem a suis meritis. Vs. 31. *Opera.*] Opera scientes, culpa nescientes laedimus. Vs. 35. *Haud equidem.*] Defensionem praevenit. Vs. 37. *Peccando detrimenti.*] hoc est, non potest fieri peior. Vs. 40. *Quod heri.*] Obiectio. Vs. 42. *Tuos esse.*] Socrus morosa accusatur.

Actus II. Scena II. Argum.

Laches remitti cupit nurum suam. Pater Phidippus dicit non posse eam perdurare apud socrum absente Pamphilo.

Vs. 1. *Etsi scio.*] Philumena patri multa praelocuta fuit, cui ita respondet. Vs. 5. *Phidippe.*] Eadem sententia, quae superioris scenae, sed est sparsa in personas. Vs. 12. *Aut ea refellendo.*] Refellit, qui negat; purgat, qui fatetur, et tum defendit. Vs. 16. *At ita me Dii.*] Amicorum officium. Vs. 19. *Neque adeo.*] Subtiliter oneratur culpa nurus recedentis. Vs. 21. *Laches.*] Principium laudationis a personis. Vs. 25. *Eho.*] Cum gestu de prope secreto inquirentis. Vs. 28. *Ego sum animo.*] Paterna lenitas. Vs. 29. *Hem, Sostrata.*] Eclipsis.

Actus II. Scena III. Argum.

Sostrata queritur genus mulierum nimis esse suspectum viris.

Vs. 1. *Aedepol.*] Querela. Vs. 3. *Nam ita me.*] Sententia defensoria contra accusationem generis totius.

Actus III. Scena I. Argum.

Pamphilus queritur se absente uxorem ad suos abiisse relicta socru.

Vs. 1. *Nemini.*] Viam sternit ad epitasim. Pamphili enim iam tandem innotescit incommodum, ad quem maxime pertinebat. Vs. 4. *Cui quanto.* [10])] Magna loci detestatio. Vs. 12. *Levia sunt.*] Consolatio a quantitate. Vs. 13. *Quid consolare me?*] Amatores consolatio angit, non lenit. Vs. 14. *Prius quam.*] Narratio.

---

7) Hoc schol. in Ed. 1546. invenitur, in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

8) et est — Platonico.] haec in Ed. 1546. addita sunt.

9) patratum] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548.; Editt. 1546., 1551. paratum.

10) *Cui quanto*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *ah*, *Quanto*.

Vs. 17. *Vix me illinc* [11]).] Implicatio continuarum miseriarum. Vs. 22. *Tum uxori.*] A iusto et decente. Vs. 23. *Quae numquam ullo* [12]).] Donatus ait neutrum ad superiora generaliter esse relatum, sed ad uxorem non incommode poterit referri. [13]) Vs. 24. *Sed magnum.*] Suspicio ingentis mali. Vs. 26. *Haud* [14]) *quidem.*] Servi responsio ad ultimam tantum partem. Vs. 32. *Itidem illae.*] Argumentum a simili. V. 37. *Pro Iuppiter.*] Hic non solum Lucina non invocatur, verum silentium quoque ob furtivum conceptum indicitur. Vs. 41. *Pavitare.*] id est, aegrotare. Vs. 43. *Nescio.*] Inepta et servilis eiusdem verbi repetitio. Vs. 49. *Heri nemo.*] Argumentum loci. Vs. 54. *Capiti.*] id est, vitae.

Actus III. Scena II. Argum.

Pamphilus tristior egreditur a Philumena deprehenso eius partu, quem modis omnibus celare conatur ac tegere.

Vs. 1. *Nescio.*] Magis laborat Terentius, ut bonam socrum faciat, quam bonam meretricem. Vs. 7. *Non visas?*] Dissuasio a sententia morali. Vs. 10. *Tum autem.* [15])] Causa ab eventu. Vs. 12. *Hem isthoc.*] Sostrata affectum sequitur. Vs. 18. *Gaudeo venisse.*] Caute respondet partum celans et mendacium fingens. Vs. 22. *Ita aiunt.*] Religiose mendacium ad rumorem retulit.

Actus III. Scena III. Argum.

Deliberat Pamphilus, velit uxorem recipere an repudiare.

Vs. 1. *Nequeo.*] Epitasis. Grave principium, ut ostendantur multae et magnae aerumnae. Egregia querela Pamphili. Estque haec proprie fabulae protasis. Vs. 16. *O facinus.*] Haec exclamatio ad vitii autorem refertur. Vs. 19. *Lacrumans.*] Ostendit effectum misericordiae suae. Vs. 22. *O mi.*] A nomine et blandimento secreta confitetur. Vs. 29. *Si unquam.*] Ab ante acta vita. Vs. 31. *Caeterum.*] Tentat etiam hoc, tamen verecunde. Vs. 38. *Abortum esse.*] Ratiocinabiliter, mense scilicet septimo. Vs. 42. *Pollicitus sum.*] Conclusio per enarrationem. Vs. 46. *O fortuna.*] Exclamatio in fortunam lubricam. Vs. 50. *In hac re.*] Quia et scire omnia vult et nihil tacere.

11) *illinc*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *hinc*.

12) *ullo*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *nullo*.

13) Hoc schol. in Ed. 1546. legitur, ab Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. abest.

14) *Haud*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Aut*.

15) *Tum autem filius*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Tum filius tuus*.

Actus III. Scena IV. Argum.

Narrat Sosia, quae adierit maris pericula. Servus Parmeno in arcem mittitur, ne parere Philumenam interim audiat.

Vs. 1. *Ain' tu.*] Hic poeta ostendit incommoda navigationis. Vs. 10. *Haud clam me est.*] Dictum in fugitivum servum. Vs. 17. *In arcem.*] Pamphilus callido consilio servulum ablegat, usque adeo cavet, ne qua emanet negotium. Vs. 24. *Vola.*] Celeritatem imponit, ne quid audiat. Vs. 29. *Non queo.*] Hoc magis in gestu exprimitur. Vs. 33. *Quod potero.*] Pamphili pietas. Pamphili honestas.

Actus III. Scena V. Argum.

De reducenda Philumena inter senes agitur. Pamphilus reducturum se negat; fert eam rem indigne Phidippus.

Vs. 1. *Dixtine.*] Viam ad epitasin facit; senes enim impellunt ad reducendam. Vs. 7. *Atque* [16]) *adeo.*] Auxesis ad salutem. Vs. 8. *Advenis.*] Aut avarus, aut iactabundus haec dicit. V. 13. *Imo obfuit.*] Patris avaritiam notat. Vs. 16. *Heri.*] Huc tendebat tota oratio. Vs. 19. *At istos invidos.*] Imprecatio in rumigerulos. Vs. 22. *Quam fideli.*] Argumentum fortissimum. Vs. 25. *Cum illa.*] Confirmatio cum protestatione. Vs. 30. *Segreganda.*] Ex deliberatione conditionem colligit. Vs. 38. *Amoque.*] Totum hoc facit ad catastrophen, ut avidius reducatur. Vs. 42. *Quandoquidem.*] Excusatio repudii a necessitate. Vs. 44. *Non est consilium.*] Lenis recusatio. Vs. 47. *Dixine.*] Invidiose in Phidippum. Vs. 58. *Deliberet.*] Iratus haec. Vs. 60. *Phidippe.*] Prae ira noluit neque audire, neque respondere. Vs. 65. *Atque in eam.*] Num aegros relevat vomitus.

Actus IV. Scena I. Argum.

Obiurgat uxorem maritus ob celatum filiae partum; hoc etiam, quod resciscit de puero Phi-

16) *Atque*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Et*.

dippus, ad tumultum augendum facit, et ut Pam philus uxorem recipere cogatur.

Vs. 1. *Perii.*] Resciscit de puero Phidippus. Id etiam ad augendum tumultum facit, et ut Pamphilus cogatur reducere. Vs. 8. *Heus.*] Ostendit eum cogitabundum de filia. Vs. 12. *Isthuc patrem.*] Mira calliditas. Vs. 17. *Puerum.*] Invidia ab infantis aetate. V. 21. *Sed nunc.*] Argumentum a prius dictis. Vs. 29. *Sed, ut olim.*] Accusatio a perseverantia. Vs. 32. *Cui mater.*] Argumentum a verisimili, et a persona idonea. Vs. 34. *Tune prospicere.*] Oratorie autoritatem iudicibus adimit. Vs. 39. *Nam si.*] Laudat hoc ipsum, quo accusatus est Pamphilus. Vs. 42. *Et quae me.*] His verbis commentitia argumenta contemnit. Vs. 45. *Si quidem ille.*] Hic eo accusat eam, quo se ipsam tutari credit. Vs. 46. *Aderam cuius.*] hoc est, meo consilio, qui praesens eram, haec provideri debuerant [17]). Vs. 57. *Quita.*] Antique dictum.

Actus IV. Scena II. Argum.

Sostratae purgatio de Philumenae abscessu. Eadem Sostrata rus abituram se filio pollicetur, ne impedimento sit, quo minus redeat Philumena. Filius contra matri, ne id faciat, dissuadere conatur.

Vs. 1. *Non clam.*] Sostrata excusatur. Myrrhina paulo post accusabitur donec palam fiet utramque vacare culpa. Vs. 7. *Praepositum.*] A iusto et honesto. Vs. 9. *Mi Pamphile.*] Verbis praemollit rem duram, quam dictura est. Vs. 14. *Haud facies.*] Dissuasio a persona, a causa, a loco, a facto. Vs. 18. *Dum aetatis.*] Omnia Pamphili argumenta refellit. Vs. 22. *Sic optime.*] Mores notas detractorum. Vs. 25. *Quam fortunatus.*] Quod absque hoc esset, in Captivis Plautus, et infra in Phormione. Vs. 26. *Obsecro mi.*] Dura patienter ferenda sunt.

Actus IV. Scena III. Argum.

Reconciliantur, et omne bellum inter se componunt vir et uxor. Monetur Pamphilus, ut uxorem reducat.

Vs. 1. *Quem cum isthoc.*] Laches audierat verba Sostratae ad filium habita. Vs. 4. *Fors.*] Bona fortnna est. Vs. 6. *Dixi.*] Perorationis verbum. Vs. 16. *Per tempus.*] id est, opportu ne.

Actus IV. Scena IV. Argum.

Natum puerum Laches resciscit; Pamphilum ad recipiendam uxorem ambo senes hortantur, ille negat; meretricis amorem incusat pater.

Vs. 1. *Tibi quoque.*] Transfertur culpa in alteram anum. Ostenditur et matri et socrui esse iratus, quod filia a marito discesserit. Vs. 10. *Myrrhina.*] Traductio criminis. Vs. 13. *Ego.*] Gravis orationis initium. Vs. 16. *Accipias puerum.*] Nam liberi patrem sequuntur. Vs. 21. *Sed quid mulieris.*] Reprehensio cum contemptu. Vs. 29. *Perii.*] Urgetur Pamphilus pueri mentione. Vs. 33. *Pater, si illa.*] Tandem aliam dissidii causam commentus est. Vs. 38. *Mater.*] A derivatione causae. Vs. 44. *Uxor quid faciat, in.*] id est, mea uxor quid velit facere in manu, hoc est, potestate sua non habet; secundum hos, aderam, cuius consilio ea par fuerat prospici [18]). Vs. 45. *Neutra in re.*] Promittit facilitatem suam. Vs. 55. *Primum, ubi hanc.*] Extrema conflictatio epitaseos. Vs. 61. *Aliquando tandem.*] Ab ante actis. Vs. 64. *Egi.*] Agit, qui instanter petit; orat, qui demisse precatur. Vs. 72. *Testem hanc.*] Testem vocat, non impeditricem. Vs. 76. *Reduc uxorem.*] Relicta quaestione ad rem redit. V. 79. *Omnibus modis.*] Anxius Pamphilus abscedit, ne rem aperire cogatur. Vs. 88. *Haec.*] Pellicatum scilicet et adulterium. Vs 94. *Quid agas?*] Poeta festinat ad rerum cognitionem. Vs. 98. *Vicinam.*] Honeste dixit, ut seni congruit.

Actus V. Scena V. Argum.

Bacchis et Laches colloquuntur. Hic illam accusat, quod ad se recipiat filium; illa constanter negat. Mitem autem senem, et meretricem bonam inducit; et occasio est catastrophes.

Vs. 1. *Non hoc de nihilo.*] Occasio catastrophes. Vs. 6. *Credo aedepol.*] Lene et molle prooemium. Vs. 8. *Quoque etiam.*] παρέλκον tertium. Vs. 10. *Si vera dicis.*] Ambiguitas. Vs. 11. *Nam etiam aetate.*] Cautio Lachetis. Vs. 14. *Inscitum.*] id est, inelegans est. Vs. 17.

---

17) Hoc schol. in Ed. 1546. exhibetur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

18) Hoc schol. exstat in Ed. 1546.; ab Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. abest.

Meum receptas filium.] Propositio accusationis. Vs. 19. *Mane.*] Parabat abitum Bacchis. Vs. 21. *Nam neque ille.*] Permutatio rerum. Vs. 24. *Aliud si scirem.*] Commendatio a persona. Vs. 25. *Sanctius.*] Ab utili. Vs. 26. *Me segregatum* [19]).] Ab honesto. Vs. 30. *Faciam.*] Bona meretrix contra consuetudinem facit. Vs. 36. *Hoc etiam credidi.*] Suspicionem suam fatetur. Vs. 39. *Sed reprimam me.*] Aposiopesis irati. Vs. 40. *Verum te hoc.*] Comminatio pollicitatione admista.

Actus V. Scena II. Argum.

Quae dudum Lacheti, eadem haec Phidippo Bacchis promittit, se intro abituram ad Sostratam et Myrrhinam, ut illis purgetur.

Vs. 1. *Nihil apud me.*] Post varia nutricis poscentis verba, Phidippus ad generalem promissionem se confert, dicens: *Nihil apud me.* Vs. 6. *Nec pol istae.*] Meretrices irreligiosae. Vs. 7. *Ancillas dedo.*] Firmius argumentum. Vs. 11. *Suspectas.*] Non de adulterio, sed de nurus discessu. Vs. 16. *Profecto in hac.*] Post discussionem hoc [20]) infert. Vs. 18. *Quid isthaec.*] Correptio. Vs. 24. *At hae* [21]) *amicae.*] Aliae persuadendi rationes. Vs. 30. *Nam si est.*] Ostendit commune bonum utrique eventurum. Vs. 31. *Rem* [22]).] Ex amicitia senis, gloriam, ex facto singulari.

19) *Me segregatum*] sic illae Editt.; Vollb. *Segregatum.*

20) hoc] in Ed. 1546. deest.

21) *hae*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *haec.*

22) Hic vs. in illis Editt. legitur sic: *Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam, et gloriam esse*; in Ed. Vollb. autem sic: *Scit se nobilitatem ex ea re nactam et gloriam esse.*

Actus V. Scena III. Argum.

Per annuli, quem Pamphilus dederat Bacchidi, cognitionem Philumena ab illo compressa ostenditur.

Vs. 1. *Aedepol nae meam.*] Hoc a stomachante dicitur servo, tanquam ab hero desolatus [23]) sit. Vs. 12. *Tua quod nihil.*] Proverbium in curiosos percontatores. Vs. 15. *Tantum.*] Eclipsis. Vs. 16. *Minime equidem.*] Quasi dicat, currere nequeo. Vs. 18. *Quantam obtuli.*] Hic reliquam argumenti partem Bacchis sola secum memorat. Vs. 23. *Hic adeo his rebus.*] Annulus fabulae nodum solvit. Vs. 33. *Inde.*] Ab annulo et narratione. Vs. 35. *Haec tot propter me.*] Concludit fabulae narrationem. Vs. 39. *Ego, dum illo.*] Honesta meretrix.

Actus V. Scena IV. Argum.

Pamphilus multo gaudio perfunditur ex cognitione annuli, quem olim dederat Bacchidi. Eiusdem mirifice laudatur uxor.

Vs. 1. *Vide, mi Parmeno.*] Quod misere cupit Pamphilus, tardius ob affectum credere potest. Vs. 4. *Manedum sodes.*] Sic fit in rebus subitis. Vs. 5. *Sic te dixisse* [24]).] ἀμφιβολογικῶς ex affectu. Vs. 9. *Quid.*] Deliberantis est. Vs. 17. *Factis, ut credam.*] Laus Bacchidis. Vs. 20. *At tu aecastor.*] Laus Pamphili. Vs. 23. *Nam nunquam.*] Aemula formam laudat. Vs. 25. *Harum rerum.*] Scilicet de consuetudine nostra. Vs. 26. *Ut in comoediis.*] Quasi hic comoedia non sit, sed veritas. Vs. 37. *Hoc.*] Auget beneficii meritum. Vs. 38. *An temere.*] Iactantia servilis.

23) desolatus] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. delusus.

24) *dixisse*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *dixe.*

In Phormionem Terentii.

Argumentum [1]).

Protasis.

Cum Antipho, absente patre, in puellam quandam unice deperiret, nec posset ea potiri, nisi uxorem duceret (erat enim civis Attica), forte nuptiae confectae sunt technis sycophantae cuiusdam Phormionis. Is enim ex composito, diem dicit Antiphoni, fingit puellam ei cognatam esse, neque quemquam alium propiorem, cui nubat. Facile est vincere non repugnantem. Ita legibus ducere cogitur Antipho.

Epitasis.

Non probatur avaro patri, ubi rediit, factum, ut qui malebat filio opulentam aliquam et

1) Hoc argumentum exstat in Editt. 1528—1623. et s. a. atque in Riccianae collectionis Tomo III.

dotatam obtrudere. Quare cum Phormione expostulat, cur in has nuptias se absente filium coniecerit. Tandem paciscitur etiam mercedem, minas triginta, si receperit [2]) ad sese puellam. Ibi vero et Antipho in discrimen venit; ne per eam conditionem ipse unice caram et iucundam coniugem amitteret.

Catastrophe.

Interea domum redit et patruus Antiphonis, hic fidem facit, puellam Antiphoni nuptam, ex se in Lemno susceptam esse, ubi cum muliercula quadam consueverit, gaudetque ita casu cecidisse, se absente, ut is duceret, quem maxime ipse generum cuperet, et paulo ante ambibat. Ita fit, ut et Antipho retineat uxorem, et nuptiae patri probentur.

Secunda Catastrophes pars.

Porro triginta minae quos ludos reddidere! Has extorserat Phormio, quamquam dissimularet, dandas alteri adolescenti Phaedriae, qui citharistriam mercaretur, et iam perierat pecunia; quam cum reposcunt senes, sycophanta prodit Chremetem apud uxorem, et docet consuesse cum alia quadam peregre, simulque impetrat, ut Phaedriae id argentum condonetur. Estque ridicula admodum Catastrophes pars, ubi mulier maritum obiurgat, parum memorem fidei suae.

Prologus in Phormionem [3]).

Salvere spectatores ego [4]) iubeo optimos,
Honoris huc quicunque [5]) nostri gratia
Venistis, et favetis horum industriae
Puerorum, qui daturi vobis fabulam
Ludosque daturi [6]), prodiere [7]) scenico
Ornatu. Sed si quis plus iusto tetricus
Damnarit horum operam, plorare et in malam
Abire rem iubemus illum. Nam malis
Male esse iusque fasque est. Adprobent boni
Votum. Terentii huc adfertur Phormio.
Una adferuntur huc [8]) lepidissimi ioci,
Adfertur et bona copia candidi salis,
Qui [9]) nullius ex iniuria risum ciet,
Famamque virulento scommate [10]) nullius
Adspergit, exporrigite frontem, innoxios
Et incruentos [11]) adferimus vobis iocos.
Quales in his dici conviviis decet,
Ubi cum bonis convivantur itidem boni.
Si quis tamen nigrum salem desiderat,
Et qualia Momus convicia dicit, volet
Audire, multa is plaustra [12]) nigri inveniet salis
In bibliopoliis, ubi codices novi
Prostant, licet [13]) inde sumere, quantum quilibet [14])
Modium nigri et venenati salis volet.
Sed cesso; namque prodit nostrae fabulae
Qui exponet argumentum. Vos parvo gregi
Favete, crescendi copiam date.

Alius Prologus in Phormionem [15]).

Primum opto vobis, spectatores candidi,
Salutem, et a vobis vicissim mihi expeto,
Ut auribus aequis, cur ego huc processerim,
Noscatis, et in humanitate [16]) spes mihi
Vestra est, benigne facturos, quod postulo.
Plerique prologi vestra abutuntur patientia,
Qui cum aemulis rixantur in prosceniis,
Ubi blanditiis decet emereri gratiam,

2) receperit] sic illae Editt. omnes exceptis Editt. 1588., 1623., s. a., et Ricciana collect., quae habent: acceperit.

3) Hic prologus invenitur in Prologis aliquot (ubi inscriptus est: „Prologus in Phormionem. Ioach. Camera:"), Mel. Opp. Basil. V., Grathus. collect. Epigramm. Mel., Terentii Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.

4) ego] in Prologis aliquot deest.

5) quicunque] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Terent. Editt. 1540. B., 1543.; Ed. 1548. quinque; Ed. 1551. quique.

6) daturi] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; in Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. hoc alterum „daturi" deest.

7) prodiere] Editt. 1548., 1551. mendo typogr. prodire.

8) huc] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. hic.

9) Qui] Ed. 1551. male: Quid.

10) scommate] Editt. 1543., 1548., 1551. mendo typogr.: commate.

11) incruentos] Editt. 1540. B., 1543., 1548. male: in cruentos.

12) plaustra] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. plaustro.

13) licet] Editt. 1540. B., 1543. licent.

14) quilibet] sic Prologi aliq.; Mel. Opp. Basil. V., Grathus. et Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. cuilibet.

15) Hic Prologus sic inscriptus exstat in Prologis aliquot, Mel. Opp. Basil. V., Grathus. collect. Epigramm. Mel., Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.

16) in humanitate] sic recte Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. inhumanitate.

Non odiose latrare iocosque comicos
Ab amarulentis satyris auspicarier.
Si quis caninam meditatur facundiam,
Et dicere[17]) ac audire vult convicia,
Concedat hinc ad Cynicos, si libeat, novos.
Nae is bene lauteque accipietur, arbitror.
Ego huc venio, indicem ut coronae, fabulam
Adferri bellulam[18]) lepidamque Terentii
A pueris aliquot Phormionem. Nunc peto,
Ut, qui studiis favent, bonisque litteris,
Faveant et actioni puerorum rudi.

Alius Prologus in Phormionem[19]).

Vobis salutem noster hic optat chorus,
Qui veste quamvis scenica in theatrum venit,
Mentes tamen moresque castos et pios
Retinet, Deumque vult iocis et seriis
Adesse, quem precamur, ut nos protegat,
Servetque litterariam rempublicam.
Nam quod didicere fabulas, quas exhibent,
Honesta causa est, ut Latini copia
Sermonis hauriatur[20]) ex his fontibus.
Huic vos studio favere maxime decet,
Et rebus ipsis utilitas et gratia
Ingens inest, imagines vitae omnium
Pinguntur in Terentii comoediis,
Quae singulos, qualis deceat moderatio,
Qualisve in actione dignitas, monent.
Leporque mixtus est, salesque candidi,
Qui suavitate orationem condiunt,
Et saepe tecte commonent, quod expedit.
Dixisse quondam fertur Attica civitas,
Natos Menandri comici lepidos sales
Illa ex salis spuma Venus quae dicitur
Exorta, primum ex Oceano cum prodiit.
Id praedicari et de Terentii iocis
Quamquam severioribus conceditur.
Nunc Phormionem acturus est noster chorus,
Qui praebet in hoc innoxios theatro iocos.
Sed Phormiones sunt, opinor, plurimi
Alii, suis qui sycophantiis movent,
Vertuntque tota regna, quos coherceat
Deus, piamque Ecclesiae pacem suae
Det, sycophantarum peremptis coetibus,
Et omnium incendat regentum pectora,
Ut veritatem traditam divinitus
Et iura iustitiamque Deo gratam colant.
Sed cesso. Nunc Terentianam fabulam
Audite, quaeso, cum modestia, ut decet.

Scholia et Argumenta in prologum singulasque scenas.

Prologus.

Vs. 2. *Retrahere.*] Recriminatio. Vs. 5. *Tenui esse.*] Accusatio a stylo levi. Vs. 6. *Quia nusquam.*] Accusatorem accusatus accusat. Vs. 13. *Vetus si poeta.*] Occupatio excusat necessitatem. Vs. 25. *Epidicazomenon*[21]).] Epidicazomenos, agens de possessione rei seu vindiciarum. Epidicasia, lis vindiciarum. Vs. 26. *Phormionem.*] Phormion tegiculum, quo pavimentum insternitur. Inde Phormio servile nomen. Vs. 33. *Quem actoris.*] Per hoc apparet Hecyram ante Phormionem actam.

Actus I. Scena I. Argum.

Davus exiens dicit adferre, quam debet Getae pecuniam; et haec persona extra argumentum inducitur, cui rem gestam narraturus est Geta.

Vs. 1. *Amicus summus.*] Davus hic prostatica persona est, nihil ad argumentum comoediae spectans. Vs. 11. *Id illa universum.*] Incommoda ab uxore. Vs. 15. *Ferietur munere.*] Feritur munere non qui recipit, sed qui dat, praesertim invitus.

Actus I. Scena II. Argum.

Geta narrat, quo sint profecti senes Demipho et Chremes: qua occasione coeperit amare Demiphonis filius Antipho.

Vs. 1. *Praesto est.*] Davus prostatica persona, cui Geta exponit occasionem fabulae. Vs. 6. *Si quis quid reddit.*] Gemina perturbatio a cupitis. Vs. 10. *Cuius tu fidem.*] Argumentum a maiore. Vs. 13. *Senis nostri, Dave.*] Mirae narrationis compendium per interrogationem. Vs. 28.

---

17) dicere] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Terent. Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. ducere.

18) bellulam] Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. corrupte: belluam.

19) Hic tertius Prologus in eandem comoediam exhibetur in Prologis aliquot (inscriptus: „Alius Prologus in Phormionem Phil. Melanth."), Vincentii collect. Epigramm. Mel. et in hoc Corp. Reform. X.

20) hauriatur] sic Prologi aliq., Vincent.; Corp. Ref. X.: exhauriatur.

21) *Epidicazomenon*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Epidicazomenen*.

Advorsum stimulum.] Proverbia quam maxime inter se diversa. Eurip. Bacchis:

Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι, θνητὸς ὢν, θεῷ.

Aeschylus Prometheo:

Οὔκουν ἔμοιγε χρώμενος διδασκάλῳ,
Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς.
Quod si meis parere praeceptis vides,
Adversus haud stimulos repercuties pedem [22]).

Vs. 31. *Puellulam.*] Ab aetate: citharistriam ab arte laudat. Vs. 46. *Miseram.*] Ob affectum scilicet. Vs. 48. *Neque notus.*] Auxesis; nam res minuuntur, sententia augetur. Vs. 50. *Virgo ipsa facie.*] Laus a forma. Vs. 54. *Virgo pulchra.*] Occasio, qua Antipho amare coepit [23]). Vs. 57. *Ut, ni vis boni.*] Mira genuinae formae descriptio. Vs. 60. *Scita.*] id est, bella, modesta. Vs. 64. *Neque eum.*] Laus a loco, a persona, a maioribus. Vs. 67. *Nescire.*] id est, nesciebat. Vs. 70. *Illene* [24]) *indotatam.*] Alia causa litis futurae. Vs. 75. *Lex est.*] Attica lex. Vs. 77. *Ego te cognatum.*] Phormionis fictum consilium. Vs. 85. *Persuasit* [25]).] Gradus. Vs. 88. *Quod fors fert.*] Sententia moralis. Vs. 89. *In me omnis spes.*] Consolatio laudatoria. Vs. 90. *Ad precatorem.*] Oratio precatoris ad dominum mittendi. Vs. 94. *Quid ille paedagogus.*] Urbaniter de Phaedria inquirit. Vs. 97. *Quid? senem.*] Praeparatio inopinati adventus senis.

Actus I. Scena III. Argum.

Contendunt inter se adolescentes, uter eorum magis sit miser. Unde tota haec scena versatur in genere causae demonstrativo.

Vs. 1. *Adeon' rem.*] Querela adolescentis continens protasin et peccati expositionem. Vs. 4. *Rogitas?*] Antipho timidus. Phaedria audax. Vs. 6. *Neu me cupidum.*] Formidantis querela. Vs. 7. *Non potitus.*] Amoris cruciatus. Vs. 13. *Ita me Dii.*] Vide amantis vesaniam. Vs. 17. *Sine mala fama.*] A fama. Vs. 20. *Ita plerique.*] Adagium. Felicem dicit, eo quod non amet nuptam. Vs. 26. *Hei timeo.*] Semper enim metuit nimium praesaga mali mens.

Actus I. Scena IV. Argum.

Geta Antiphoni affert e Cilicia rediisse patrem, quo nuntio tantus iniicitur metus, male sibi conscio adolescenti, ut subducat illico sese.

Vs. 1. *Nullus es.*] Protasis et consultatio, quomodo placent senem. Vs. 4. *Nostra.*] Cuius scilicet autor fui. Vs. 8. *Quod.*] Antiphonem scilicet duxisse uxorem. Vs. 10. *Eheu me.*] Exclamatio stupentis. Vs. 13. *Convasassem* [26]).] id est, comportassem, aut collegissem furtim. Lucianus Toxaride: *καὶ οἱ λοιποὶ δὲ τῶν οἰκετῶν δύο ὄντες ἅπαντα ἐκ τῆς οἰκίας συσκευασάμενοι ᾤχοντο φεύγοντες* [27]). Vs. 15. *Sed ubi.*] Verba deliberantis. Vs. 19. *Cedo quid portas.*] Affectum timentis exprimit. Vs. 23. *Phanium, abs te.*] Apostrophe amatoria. Vs. 25. *Forteis fortuna.*] Sententia Virgiliana: Audaces fortuna iuvat [28]). Vs. 27. *Nam si te senserit.*] Culpae suspicio ex timore. Vs. 30. *Cum hoc non.*] Dialectica illatio a minore. Vs. 32. *Voltum.*] Expressio simulantis audaciam. Vs. 33. *Satin' sic est?*] Haec in gestu consistunt. Vs. 36. *Vi coactum.*] Breviter totam defensionem praescribit. Vs. 39. *Egomet me.*] Conscientiae stimulus. Vs. 40. *Vobis commendo.*] Amatorie prius Phanium quam se commendat. Vs. 45. *Aufer mihi*] Ad omnia se paratum indicat. Vs. 48. *Iustam illam.*] Quia nunc proelium erit, tunc praelusio fuit.

Actus II. Scena I. Argum.

Filium Antiphonem se absente uxorem duxisse admodum aegre fert Demipho; a Phaedria ille et Geta servo defenditur. Ad postremum Demipho convenire Phormionem constituit, ut iniuriam cum eo expostulet, qui ducendae puellae autor fuerit.

Vs. 1. *Itane tandem.*] Turbae gliscunt, pater enim adveniens queritur de filii peccato. Vs. 5. *Anne hoc dicent* [29]).] Vinci potest, qui par-

22) Eurip. — pedem.] haec in Ed. 1546. praecedentibus sunt addita. Locus Euripidis legitur in Bacchis vss. 793 sq. Ed. Barnes., Aeschyli in Prometheo vss. 332 sq.

23) *Virgo ipsa facie* — coepit.] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. *Virgo ipsa facie.*] Occasio, qua Antipho amare coepit. (verbis intermediis omissis).

24) *Illene*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Ille*.

25) *Persuasit*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Persuasumst*.

26) *Convasassem*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *conrasissem*.

27) Lucianus — *φεύγοντες*.] haec in Ed. 1546. addita sunt. Luciani verba leguntur in Toxar. c. 28. extr. Ed. Reitz.

28) Virg. Aen. X, 284.

29) *Anne hoc dicent.*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *an hoc dicet*.

tem defensionis admittit. Vs. 7. *Verum scientem.*] Praeparatio futurae defensionis. Vs. 10. *Ita sum irritatus.*] Amplificat querelam. Vs. 11. *Quamobrem.*] γνώμη. Sincerum institutum. Vs. 15. *Communia.*] id est, ex rerum usu. Iam ferme fracta senis ira. Vs. 18. *Meditata.*] Facetum. Vs. 19. *Molendum.*] Servorum supplicia. Vs. 20. *Opus ruri.*] Irrisoria huius dicti resumptio. Vs. 23. *Phaedriam.*] Mitia verba senis de Phaedria. Vs. 25. *Salvum.*] Denuo salutat, ut interim mitescat. V. 29. *O artificem.*] Exclamatio ironica. Vs. 30. *Egone ille.*] Emphatice. Vs. 33. *Atqui nihil.*] Summa contradictionis. Vs. 34. *Ecce autem.*] Virgilius: Et crimine ab uno Disce omnes [30]). Vs. 42. *Non causam.*] Rhetoricum theorema. Vs. 45. *Nostrane ea culpa.*] In accusatorem et iudices. Vs. 50. *Tua iusta.*] δίκαια pro iure. Vs. 51. *Functus.*] Translatio causae. Vs. 55. *Laudo hunc.*] Geta Phaedriam laudat. Vs. 57. *Bone custos.*] Ironia. Vs. 59. *Iamdudum te.*] Duplex accusatio. Vs. 62. *Servum hominem.*] Exceptio sui in causa agenda. Vs. 65. *Tu servus.*] Singula ita proferenda tanquam plura sint. Vs. 69. *Non ratio.*] Expedita responsio [31]). Vs. 71. *Postremo.*] Eclipsis. Vs. 76. *Istum.*] Per contemptum. Vs. 79. *Abi, Phaedria.*] Simplex est senex, qui Phaedriam mittit. Vs. 83. *Amicos.*] id est, advocatos et testes.

Actus II. Scena II. Argum.

Adducitur Phormio, ut factum defendat, qui hîc se instruit cum sene litigaturus [32]).

Vs. 1. *Itane patris.*] Accersitur Phormio, ut defendat factum [33]). Vs. 2. *Phanium.*] Pulchra respondendi varietas. Vs. 4. *Tute hoc.*] Hoc facit ad fallaciam. Vs. 7. *Cedo senem.*] Iactantia de consiliis repertis. Vs. 8. *Quid vis?*] Tria promittit, quibus tota Antiphonis causa constituitur. Vs. 11. *Vereor, ne isthaec.*] Proverbium a sagittariis natum. Vs. 11 sq. *Ah, non ita est.*] Adagium, μεταφορικῶς omnino, et scurriliter. Vs. 16. *Quia non rete.*] Allegorice et trivialiter. Vs. 19. *Aliis aliunde.*] Divites periclitantur. Vs. 21. *Edacem.*] Facete edacem se vocat. Vs. 24. *Immo enim nemo.*] Summa parasitorum felicitas, cibus. Vs. 29. *Ubi tu dubites.*] Proverbium suum ipse exponit.

Actus II. Scena III. Argum.

Haec scena concertationem habet Demiphonis et parasiti. Clàm patre uxorem duxerat Antipho; domum reversus pater, illam vult eiicere; contradicit Phormio.

Vs. 1. *En, unquam.*] Concertatio Phormionis et Demiphonis. V. 4. *Pro Deum.*] Exclamatio per congeminationem mirae vehementiae. Vs. 10. *Quia egens.*] Conquestio ad coronam spectatorum. V. 14. *Nam iam adolescenti.*] Veterator callidus haec omnia fingit. Vs. 21. *Videas te.*] Amphibologia. Vs. 26. *Ain' tandem* [34]), *carcer?*] Contumeliae in parasitum. Vs. 28. *Quis homo.*] Callida Getae dissimulatio. Vs. 36. *Ego me nego.*] Vulgaris disceptatio. Vs. 39. *Perii hercle.*] Falsi nominis non meminit. Vs. 40. *Subiice.*] ὑποθέσθαι, subiicere, admonere. Vs. 46. *At si talentum.*] Syncope. Vs. 47. *Dii tibi malefaciant*] Imprecatio. Vs. 54. *Filium narras.*] Senex confidit iustae causae. Vs. 55. *Cuius de stultitia.*] Compendium conviciorum. Vs. 56. *At tu, qui sapiens.*] Irridet senem. Οἱ νόμοι οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας οὔτε εὐθύνας οὔτε διαδικασίας οὔτ' ἄλλο τοιοῦτο οὐδὲν εἶναι. πρὸς Λεπτίνην, Demosth. in oratione contra Leptinem [35]). Vs. 59. *Hic de eadem.*] Mos vetus et obsoletus. Vs. 60. *Etsi mihi.*] Redit ad concordiam. Vs. 64. *Ha ha, hae, homo.*] Ironice. Vs. 66. *Itane tandem.*] Argumenta per interrogationem sunt fortiora. Vs. 72. *Actum.*] Proverbium. Vs. 73. *Perfecero.*] Subiunctivus ornate pro indicativo. Vs. 77. *Illum putato.*] Definitive respondet. Vs. 82. *Quin quod est.*] Voluntas est necessitati accommodanda. Vs. 86. *Si concordabis.*] Acerbe ludit Phormio. Vs. 92. *Dixi, Demipho.*] Irrisorie ad Getam haec.

Actus II. Scena IV. Argum.

Consulit Demipho advocatos super filii coniugio; unus suadet, dissuadet alter, tertius nihil

30) Virg. Aen. II, 65 sq.

31) Hoc schol. in Ed. 1546. exstat; ab Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. abest.

32) qui — litigaturus.] haec in Ed. 1546. addita sunt.

33) Hoc schol. in Ed. 1546. exhibetur, in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. desideratur.

34) *tandem*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *tamen*.

35) *Οἱ νόμοι* — Leptinem.] haec in Ed. 1546. praecedentibus adiecta sunt.

dicit, qui se alterutri iungere debuit; versatur autem in deliberativo.

Vs. 1. *Cura et sollicitudine.*] Cura est in spe bonorum, sollicitudo in metu malorum. Vs. 6. *Videtis quo in.*] Consultatio cum amicis. Vs. 9. *Ego quae in rem.*] Captatio benevolentiae. Vs. 10. *Aequum est* [36]).] Ab honesto. *Et bonum* [36]).] Ab utili. Vs. 12. *Et id impetrabis.*] A possibili. Vs. 15. *Mihi non.*] Ab honesto et possibili. Vs. 17. *Ego amplius.*] Critonis consilium. Vs. 22. *Percontatum ibo.*] Fratris consilium percontatur.

Actus III. Scena I. Argum.

Antipho se vehementer incusat, quod ita inconsulto patri se subduxerit, et causam suam aliis tutandam dederit. Rem totam denique ex Geta cognoscit.

Vs. 1. *Enimvero Antipho.*] Se ipsum imprudentiae lamentanter incusat. Vs. 5. *Ne quid.*] Plus Phanium quam se ipsum curat. Vs. 8. *Loquere.*] Omnia sua in amica repetit. Vs. 10. *Subolet?*] Metaphora ab odoribus. Vs. 12. *Tum Phormio.*] Conventionem eius et Phormionis intelligit. Vs. 18. *Quantus metus.*] Amatorie patruum non salvum optat. Vs. 19. *Nam per eius unam* [37]).] Tanquam sine Phanio vivere nequeat.

Actus III. Scena II. Argum.

Phaedria lenonem orat, ut venditam militi Pamphilam non tam cito abducendam tradat, se intra triduum nummos adnumeraturum, quos pro illius redemptione sit pollicitus.

Vs. 1. *Dorio, audi.*] Omisso Antiphone producitur alter adolescens in scena [38]), ut augeantur turbae. Vs. 8. *Logi.*] Verba ridicula. Vs. 10. *Cantilenam.*] Adagium. Vs. 11. *Tu mihi* [39]) *cognatus.*] Duriuscula blanditio. Vs. 14. *Adeone te esse.*] Irrisorie idem principium et compositionem servat. Vs. 18. *Tum hoc.*] Eclipsis, subaudi: doleo. Vs. 20. *Huiusmodi malo.*] Scilicet lenone. Vs. 21. *Auribus teneo.*] Proverbium in perplexos. Vs. 29. *Ne oppertus.*] id est, ne expectes. Vs. 30. *Haud longum.*] Antipho quoque intercedit. Vs. 33. *Horum.*] Masculinum praeponderat. Vs. 34. *Dii tibi omnes.*] Getae imprecatio. Vs. 35. *Ego te complureis.*] Locus a contrariis. Vs. 37. *Qui det.*] Lenonis avaritia. Vs. 41. *Dum ob rem.*] Eclipsis. Vs. 43. *Siccine hunc.*] Correptio. *Imo enimvero.*] Correctio. *Ego hunc esse.*] Vafer leno. *Mea lege utar.*] Lenonis decretum.

Actus III. Scena III. Argum.

Antipho Getam monet, ut argumentum inveniat, quod detur lenoni a Phaedria.

Vs. 1. *Quid faciam?*] Consultatio de pecunia, ut amissae postea triginta minae plus turbae faciant. Vs. 2. *Cui minus nihilo est?*] Aeschylus Prometheo: *ἐμοὶ δ' ἔλασσον Ζηνὸς ἢ μηδὲν μέλει.* [Sophocles] Antigona: *τὸν οὐκ ὄντα μᾶλλον ἢ μηδένα* [40]). Vs. 6. *Scio equidem.*] Ab aequo et possibili. Vs. 8. *Pater.*] A quo scilicet emungas. Vs. 10. *Non triumpho.*] Metaphora a victoribus. Vs. 13. *Sed parumne est.*] Prudentiae haec Getae. Vs. 18. *Quoquo hinc.*] Amantis desperatio. Vs. 20. *Si quid, quid?*] Repetitio fastidientis. Vs. 23. *Noli metuere.*] Dictum veterum amicorum. Vs. 27. *Sed opus est mihi.*] Phormio opitulatur. Vs. 29. *Solus est homo.*] Paroemia. Vs. 30. *Numquid est.*] Discedere cupit.

Actus IV. Scena I. Argum.

Demipho et Chremes colloquuntur, ambo natu grandes; narrat hic illi, cur in Lemno diutius haeserit; fit et mentio nuptiarum Antiphonis.

Vs. 3. *Postquam videt.*] Simplex narratio. Vs. 7. *Quaeso igitur.*] Quaerit causam morae. Vs. 12. *Factum.*] Scilicet nuptiarum. Vs. 14. *Sit*] Filia scilicet. Vs. 16. *Ille si me.*] Honesta et familiaris locutio.

Actus IV. Scena II. Argum.

Tota haec scena est Getae exultantis duos sibi senes offerri, quos fallere possit.

Vs. 1. *Ego hominem.*] Exultantis verba. Vs. 2. *Venio ad hominem.*] Venuste et comice ho-

36) *Aequum est et bonum*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *aequom esse ac bonum.*

37) *per eius unam*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *de eius una.*

38) in scena] sic Editt. 1543., 1546., 1548., 1551.; Ed. 1540. B. in scenam.

39) *mihi*] sic illae Editt.; ab Ed. Vollb. abest.

40) Hoc schol. in Ed. 1546. exhibetur; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. Aeschyli verba leguntur in Prometh. vs. 940., Sophoclis in Antig. vs. 1325. Ed. Brunck.

minem repetit. Vs. 5. *Gaudebat.*] Utrique cupit gratari. Vs. 8. *Hominem.*] Iucunde hominem tertio repetit. Vs. 11. *Sed quid pertimui.*] Servilis sententia. Vs. 14. *Hinc.*] Ab hoc Demiphone scilicet.

Actus IV. Scena III. Argum.

Geta cudit argentum Phaedriae.

Vs. 1. *Expecto.*] Haec secum loquitur, metuens divortium. Vs. 5. *Venire salvum.*] Viam ad epitasin facit, simul etiam cudit argentum Phaedriae. Vs. 10. *Nam hercle ego.*] Vide callidum assentatorem. Vs. 12. *Ut abii abs te.*] Narratio facta ad fallendum senem. Vs. 15. *Cur non, inquam, Phormio.*] Getae persuasio a spe commodi. Vs. 23. *Sudabis satis.*] μεταφορικῶς. Vs. 25. *Pone*[41]).] Graece τίθει, quod vel fac vel finge dicunt. Vs. 32. *Si tu aliquam.*] Decora locutio. Vs. 36. *Occidi.*] Exclamatio consternati. Vs. 39. *Talentum magnum.*] 80 librae[42]). *Ego, inquit, iam.*] Responsum et petitio Phormionis. *Fabuler.*] Recte quia re vera fabulabatur. *Quid si animam.*] Proverbium. Vs. 57. *Ob decem minas.*] Astute non simul 30 minas protulit, ne parcum senem terreret. Vs. 65. *Ego dabo.*] Chremes viginti minas dat, Demipho decem. Vs. 72. *Iam accipiet.*] Chremes sententiam fert, argentum dat. Vs. 75. *Fructum, quem.*] Iurgio paratur locus.

Actus IV. Scena IV. Argum.

Obiurgat Antipho Getam, cuius opera se in periculum venisse putat, ne extrudatur coniux; idem ab eodem placatur.

Vs. 1. *Geta.*] Epitasis. Nam in periculum venit Antipho, ne extrudatur coniux. Vs. 5. *Ad restim.*] Qua scilicet me suspendam. Vs. 8. *Huic mandes.*] Ironice. *Qui te ad scopulum.*] Proverbium. Vs. 12. *Ducenda.*] Necessitatem indicat. Vs. 15. *In nervum.*] Proverbium a sagittariis tractum. Vs. 19. *Concedo tibi.*] Concessio cum exceptione. Vs. 24. *Quot res.*] Prodigia nuptias remorantia. Vs. 28. *Ante brumam.*] id est, antequam dies decrescant.

41) *Pone*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *pono*.

42) 80 librae] sic Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551.; Ed. 1546. LX minae commodae, ut arbitror.

Actus IV. Scena V. Argum.

Colloquuntur senes de tradendo Phormioni argento. Chremes Demiphonem instigat, ut argentum solvere festinet.

Vs. 1. *Quietus esto.*] Haec Demipho ad fratrem Chremetem. Vs. 3. *Ut cautus est.*] Geta haec secum irrisorie. Vs. 5. *Nam si altera.*] Approbat consilium. Vs. 10. *Is.*] Phormio scilicet. Vs. 11. *Malum.*] Indignantis. Vs. 14. *Mulier mulieri.*] Adagium.

Actus V. Scena I. Argum.

Haec scena continet mutuam agnitionem Sophronae nutricis et Chremetis; Chremes ex eadem nutrice discit, filiam suam Phanium nuptam esse Antiphoni, quae res ingentem ei laetitiam affert; cavet item, ne uxor hoc resciscat.

Vs. 1. *Quid agam?*] Occasio catastrophes. Vs. 3. *Hera.*] id est, Phanium. Vs. 5. *Nam quae.*] Figurate κατ' ἀναστροφὴν[43]) pro: Quaenam. Vs. 9. *Quid agam?*[44])] Deliberatio. Vs. 12. *Quis hic loquitur?*] Iam plane novit. Vs. 13. *Dii obsecro.*] Invocatio gaudentis. Vs. 14. *Concede hinc.*] Timet proditionem. Vs. 17. *Conclusam hic.*] Aperit fictionem. *Istoc.*] Nomine scilicet Stilbonis. Vs. 21. *Eho dic mihi.*] Sollicite de suis inquirit. Vs. 23. *Matrem ipsam.*] Mors uxoris. Modeste pronuntianda. Vs. 27. *Hau.*] Fastidientis. Vs. 30. *Dii vostram.*] Exclamatio gaudentis. Vs. 34. *Haec.*] Sophrona scilicet. Vs. 35. *Pater*] Demipho scilicet[45]). Vs. 37. *Sed per Deos.*] Adiurat, ut celet.

Actus V. Scena II. Argum.

Demipho se ipsum excusat, quod dum avaritiae maculam studet effugere, in stultitiae reprehensionem inciderit. Dolet enim Phormioni datum esse argentum.

Vs. 6. *His*[46]) *nunc praemium.*] Sententia nimium vera. Vs. 8. *Modo ut hoc.*] Timorem iniicit. Vs. 12. *Ista.*] Phania. Vs. 13. *Argentum inventum.*] Geta insultans commodo enu-

43) κατ' ἀναστροφὴν] haec in Ed. 1546. addita sunt.

44) *Quid agam?*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Quid ago?*

45) Hoc schol. legitur in Ed. 1546.; in Editt. 1540. B., 1543., 1548., 1551. deest.

46) *His*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *iis*.

merat. Vs. 15. *Vorsuram*[47]) *solvis.*] Vorsuram solvere, est creditorem mutare.

Actus V. Scena III. Argum.

Apud Demiphonem queritur Nausistrata, suum viri Chremetis negligentia minui patrimonium.

Vs. 1. *Agedum, ut soles.*] Hortatur, ut Phanium placatam reddat. Vs. 4. *Factum volo.*] Conqueritur de viri negligentia. Vs. 10. *Parce.*] Dubium; adverbium ne sit, an imperativum. Vs. 13. *Nollem datum.*] Altera ἐπιτάσεως pars de pecunia temere effusa. Vs. 14. *Hei; video uxorem.*] Vir timidus uxore praesente non audet loqui. Vs. 17. *Uterque utrique.*] Valla *uterque alteri.* Vs. 22. *Dixit.*] Phormio scilicet. Vs. 24. *Equidem hercle.*] Scabrosus sermo ob uxoris praesentiam. Vs. 29. *Hanc.*] Phanium scilicet.

Actus V. Scena IV. Argum.

Antipho redemptam Phaedriae amicam gratulatur, seque involutum his malis queritur, unde expediri nequeat.

Vs. 1. *Fratri.*] Phaedriae scilicet.

Actus V. Scena V. Argum.

Adnumeratam esse lenoni pecuniam narrat Phormio, et quasi re bene gesta, nunc se curaturum cuticulam dicit.

Vs. 1. *Argentum accepi.*] Collocatur pecunia extorta senibus, quae repetita postea miras tragoedias excitabit. Vs. 5. *Quidnam nunc.*] De fratre inquirit.

Actus V. Scena VI. Argum.

Geta Antiphoni nuntiat Phanium inventam esse Chremetis filiam.

Vs. 1. *O fortuna.*] Fortuna instabilis Dea: fors fortuna bonus eventus. Vs. 9. *Pergit hercle*[48]).] Geta herum nondum agnoscit. Vs. 13. *Omnium quantum.*] Geta maximus assentator. Vs. 19. *Ut modo argentum.*] Narratio plane comica exponens catastrophen. Vs. 27. *Suspenso gradu.*] Auscultationem ipsam mire exprimit. Vs. 29. *Euge*[49]) *Geta.*] Catastrophe periculorum Antiphonis. Vs. 33. *Consuevit.*] Honeste dixit. Vs. 35. *Phormio, esse.*] Studet compendio. Vs. 37. *Dabo.*] id est, dicam. Vs. 42. *Fecero.*] Pro *faciam* eleganter.

Actus V. Scena VII.

Vs. 1. *Tantam fortunam.*] Phormio haec secum.

Actus V. Scena VIII. Argum.

Cognita Phanio, senes a Phormione pecuniam repetunt; Phormio negat se redditurum. Hinc contentio inter eos oritur.

Vs. 1. *Diis magnas.*] Gratiarum actio de secundo rerum eventu. Vs. 6. *Ut quot.*] Aposiopesis. Vs. 8. *Quid ad me.*] Iactantia de fide. Vs. 13. *Itaque ad vos venio*[50]).] Parasiti astus. Vs. 17. *At hic.*] Vafre retorquet rationes. Vs. 22. *Qui?*] id est, quomodo, quamquam forte et plurale videri potest. Vs. 26. *Tum autem.*] Haec Demiphoni clanculum suggerit Chremes. Vs. 29. *Rescribi.*] id est, renumerari. Vs. 31. *Si vis mihi.*] Divisio, color. Vs. 34. *Nam non est.*] Ab aequo et honesto. Vs. 43. *In ius.*] Aposiopesis minaci vultu. Vs. 48. *Hem.*] Apertius loquens intercipitur. Vs. 51. *Haec adeo ago.*] Epitasis alterius partis in fabula. Vs. 53. *Quid vis tibi?*] Chremes terretur. Vs. 55. *Quid vos.*] Invectiva in senes. Vs. 57. *Nolo volo.*] In inconstantes. Vs. 61. *Monstri.*] Proverbium. *Hem.*] Stomachose ad lites concitat: a necessario, ab honesto, ab utili. Vs. 70. *Haereo.*] Metaphora ab avibus inviscatis. Vs. 75. *Aggredimini.*] Perstat in metaphora. Vs. 80. *Lautum.*] id est, purgatum. Vs. 82. *Si extillaveris.*] Metaphora. Vs. 84. *Tantane affectum.*] Interrogationes mirae indignationis. Vs. 90. *Etenim*[51]) *nequeo.*] Vide turbas. *Iniuria.*] id est, actio iniuriarum.

Actus V. Scena IX. Argum.

Phormio Chremetem prodit uxori de altera coniuge. Chremes graviter obiurgat[52]); Phormio exultat tam probe se ultum esse senes; Demipho pro fratre intercedit, et orat, ut huic

---

47) *Vorsuram*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *vorsura.*

48) *Pergit hercle.*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Pergin? hercle.*

49) *Euge*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *eu.*

50) *Itaque ad vos venio*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Idque adeo advenio.*

51) *Etenim*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *Enim.*

52) obiurgat] sic Editt. 1543., 1546., 1548., 1551.; Ed. 1540. B. obiurgatur.

uxor factum condonet. Ea neque se ignoscere dicit, neque promittere quicquam, sed filii iudicio permittere omnia.

Vs. 1. *Quis nominat.*] Audiens clamosi Phormionis vocem, haec dicit. Vs. 7. *Pergin' credere?*] Vide timorem Chremetis. Vs. 8. *Delirat.*] εἰρωνικῶς stomachose. Vs. 13. *Mi vir.*] Blande. Vs. 15. *Hem, quid ais?* [53])] Interrumpit uterque narrationem Phormionis. Vs. 19. *Pro Dii.*] Exclamatio cum stomacho. Vs. 20. *An quidquam.*] Amplificatio digna muliere. Vs. 22. *Appello.*] Scilicet ut testem. Vs. 27. *Nam neque.*] Causae derivatio. Vs. 31. *Quamobrem te.*] Oratoria deprecatio. Vs. 33. *Sed quid* [54]).] A coniecturis. Vs. 37. *Exequias.*] Insultat Chremeti tanquam iam mortuo. Vs. 39. *Faxo tali.*] Iactantia de male actis. Vs. 45. *Accusando fieri infectum.*] Haec est et apud Pindarum sententia, et Simonidis adducitur versus:

Τὸ γὰρ γεγενημένον οὐκ ἔτ' ἄῤῥεκτόν ἐστι.

Et in Trachiniis:

Τὸ γὰρ
φανθὲν τίς ἂν δύναιτ' ἀγέννητον ποιεῖν [55]);

Vs. 48. *Heus Nausistrata.*] Aliud malum dicturus. Vs. 50. *Gnato.*] Phaedriae scilicet. Vs. 51. *Adeon hoc.*] Excusat filii amorem. Vs. 54. *Immo ut iam.*] Duriuscula est Nausistrata. Vs. 56. *Eius iudicio.*] Filium iudicem constituit. Vs. 58. *Satis tibi est.*] Catastrophe. Vs. 61. *Phormio; at ego.*] Pollicetur operam suam. Vs. 64. *Et quod tuo viro.*] Dictum in invidos.

53) *ais?*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *agis?*
54) *quid*] sic illae Editt.; Ed. Vollb. *qui.*

55) Hoc schol. exstat in Ed. 1546. Locus alter legitur in Sophocl. Trachin. vss. 742 sq. Ed. Brunck.

XCIII. PHIL. MEL. PROLOGI DUO IN PLAUTI MILITEM ET IN SENECAE THYESTEM.

Iuvenes Melanthonis disciplinae traditi non solas Terentii fabulas, de quibus supra p. **679** sq. diximus, sed etiam Plauti ***Militem*** et Senecae ***Thyestem*** agebant. Quamobrem in has quoque prologos scripsit.

Hi duo prologi inveniuntur in iisdem sex libris, quos supra p. **675** sq. memoravimus, videlicet in hisce:

1. in Secerii Farragine Epigrammatum Mel. Haganoae **1528**. edita (quae mihi non ad manus est);
2. in Mel. Opp. Basil. **1541**. editorum Tom. V. p. **328**. (Prol. in Militem Plauti) et p. **331**. (Prol. in Thyestem Senecae);
3. in Prologis aliquot, qui Vitebergae **1554**. prodierunt, fol. A **2**. (Prol. in Mil., Melanthonis auctoris nomine adscripto) et fol. A 8 ᵇ — B 1 ᵃ (Prol. in Thyest., sine auctoris Prologi nomine);
4. in Grathusii Collectione Epigrammatum Mel. Vitebergae **1560**. edita, fol. K **1** (Prol. in Mil.) et fol. K **6**ᵇ — **7**ᵃ (Prol. in Thyest.);
5. in Vincentii Editione Epigrammatum Mel. Viteb. **1563**., fol. I 8 ᵇ — K **1**ᵃ (Prol. in Mil.) et fol. K **2**ᵇ — **3**ᵃ (Prol. in Thyest.);
6. in huius Corp. Reform. Vol. X. p. **497** sq. nr. **44**. (Prol. in Mil.) et p. **500**. nr. **47**. Prol. in Thyest.).

PROLOGI IN MILITEM PLAUTI ET THYESTEM SENECAE
PHILIPPO MELANTHONE AUCTORE.

1. Prologus in Militem Plauti.

Deserta scena et muta aliquamdiu stetit,
Salesque refrixerant, et comici [1]) ioci,
Cum barbari obruissent tenebris litteras,
Sed hae [2]) postquam caput erigunt comoediae,
Favete quaeso, in lucem ut una prodeat.
Praestare id aequum est vos, quibus ipsae litterae
Ingens decus peperere, nec committere,
Audax ut inceptum ac novum fraudi siet
Nobis, amor quos litterarum perpulit,
Renovare priscum morem, et hoc spectaculo
Ludos facere, haec ut studia et aetas postulant.
Illamque vos decet favore prosequi.
Audite nunc, in qua velimus fabula
Facere actionis hoc loco periculum.
Germana Plauti est, quam modo exhibebimus.
Cuius ferebant ore facundissimo
Musas fuisse libenter usuras, probe
Si quando decressent Latine dicere.
Nomenque fecit Gloriosum Militem
Poeta fabulae. Argumentum ex servulo
Intelligetis, ille sumpsit hoc sibi,
Ut narret ipse; nam crepitaculum est merum.
Quod non molesti bis sumus, mihi gratiam
Debetis, ultro qui loquaci servulo
Cessi. Sed ecce Militem delegimus,
Ut in hoc iuventus nostra inspiciat sedulo

1) comici] Mel. Opp. Basil. V. mendo typogr. comini.

2) hae] sic Mel. Opp. Basil. V. et Prologi aliquot; in Grathus. et Vincent. collectt. atque in Corp. Ref. X. deest.

Exemplum, et intueatur hîc imaginem
Perinde ac in tabella adumbratam suam.
Nec lac enim lacti, nec ovo est ovum magis
Simile, huic inepto militi [3]) quam sunt modo,
Qui cum meliores litteras fastidiunt [4]),
Rerum omnium tamen scientiam sibi
Audacter arrogant, et inter pocula
In compitisque venditant suum σοφός,
Vulgus profanum et improbum, atque futile
Thrasones, atque pyrgopolinices meri,
Dignissimi quîs latera fiant lorea.
Sed eccum Militem, favete actoribus,
Et date iuventuti crescendi copiam.

2. Prologus in Thyestem Senecae.

Salvete spectatores candidissimi,
Honoris huc quicunque nostri gratia [5])
Venistis, et favetis artibus bonis,
Quarum excolendarum causa [6]), quicquid est,
Hoc operae, quod ponimus [7]) in agendis fabulis,
Sumimus. At ne detineam vos diutius,
Dicam. Thyestem [8]) acturi Senecae sumus,
Et impia fratrum facta, tristesque exitus
Recitabimus. O quantum ambitio parit mali!
Sic regni scelerata cupiditas omnia
Confusa iura naturae contaminat,
Ut frater impias fratri iniiciat manus.
Proinde spectandum exemplum damus utile;
Nam cernere hac licebit in tragoedia,
Nil esse peius ambitione, quae omnia
Divina, humana, iusque et fas [9]) vertere solet,
Quae florentissimis quibusque fere fuit
Exitio civitatibus, quae denique
Tum plurimum nocet, cum in templa irruperit,
Ubi hoc tempore saevam exercet tyrannidem.
O Dii, quam tristis his *impendet exitus*,
Qui dum parant regnum sibi, sacra polluunt.
Sed ecce prodit Tantalus huc ab inferis,
Is dicet argumentum huius tragoediae.

3) militi] Grathus. male: militae.

4) fastidiunt] sic Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Vincent., Corp. Ref. X.; in Prologis aliquot legitur: fastidiant.

5) gratia] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus., Vincent.; Corp. Ref. X.: gratiae.

6) causa] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Vincent. et Corp. Ref. X.: modo causa.

7) Hoc operae, quod ponimus] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Vincent. et Corp. Ref. X.: Quod operae ponimus.

8) Thyestem] sic Prologi aliq., Mel. Opp. Basil. V., Grathus.; Vincent. et Corp. Ref. X.: Thyesten.

9) fas] Corp. Ref. X. mendo typogr.: vas.